This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

47.300.



47.300.



LYCURGI

DEPERDITARUM ORATIONUM

FRAGMENTA

COLLEGIT DISPOSUIT ILLUSTRAVIT

FRIDERICUS GUSTAVUS KIESSLINGIUS

PRAEMISSA EST

TUM VITA LYCURGI QUAE PLUTARCHO TRIBUITUR

TUM

MAURITII HERMANNI EDUARDI MEIERI

COMMENTATIO DE VITA ILLA LYCURGI ET DE ORATIONUM EIUS RELIQUIIS.

HALIS SAXONUM

LIBRARIA ORPHANOTROPHEI

MDCCCXLVII.

ΛΥΚΟΥΡΓΟΣ.

Λυκοῦργος πατρὸς μὲν ἦν Λυκόφρονος τοῦ Λυκούργου [1]), (ὃν οἱ τριάκοντα τύραννοι ἀπέκτειναν, αἰτίου αὐτῷ τῆς ἀναιρέσεως γενομένου Ἀριστοδήμου Βατῆθεν [2]), ὃς καὶ ἑλληνοταμίας [3]) γενόμενος, ἔφυγεν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ) τὸν δῆ-

1) Cf. Clinton. Fast. Hellen. Olymp. CX., 4. p. 161. ed. Lips., cuius argumentationem posthabita Taylori sententia iure comprobat Westermannus, doctissimus oratorum Graecorum historiae enarrator, p. 101.

2) Quod Salmasius scribi voluit *Βατιῆθεν*, iam explosum est a Menagio ad Diog. Laert. p. 264. Cf. interpr. ad Hesych. s. v. *Βατιῆθεν*. Omnem de scribendo hoc vocabulo litem dirimit Stephani Byzantini auctoritas, in his rebus haud parvi aestimanda. Hic enim diserte ait: *τὸ ἐθνικὸν ἐπιῤῥηματικῶς Βατῆθεν*. Neque attigissem Salmasii scripturam, nisi Grotefendus in libello de pagis Atticis p. 20. scripsisset *Βατῇθεν*, quod quo fundamento nitatur perspici nequit, et ab inscriptione aliqua (Boeckh. C. I. n. 183.) arcendum est, quamquam iubente Grotefendo. Qui meminerit, quae rationes Lysiae oratoris fuerint trigintavirorum dominatione, certe non deridebit nos suspicantes, Aristodemum Batensem esse eundem, contra quem Lysias orationem habuit ab Harpocrat. s. v. *Ἀνθήνη* citatam.

3) Hellenotamiarum munus ultra anarchiae, quae dicitur, tempora non duravit, imperio enim populari restituto in eorum locum successerunt *ὁ ταμίας τῶν στρατιωτικῶν* et *θεωρικοῦ*. Boeckh. Oec. Civ. I. p. 193. Aristodemi exemplum docet, qui factum sit, ut iste magistratus suspectus redderetur.

μον δὲ [1]) Βουτάδης, γένους τοῦ τῶν Ἐτεοβουταδῶν [2]). ἀκροατὴς δὲ γενόμενος Πλάτωνος [3]) τοῦ φιλοσόφου, ταπρῶτα ἐφιλοσόφησεν· εἶτα καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος γνώριμος γενόμενος, ἐπολιτεύσατο ἐπιφανῶς καὶ λέγων καὶ πράττων, καὶ δὴ πιστευσάμενος [4]) τὴν διοίκησιν τῶν χρημάτων. Ταμίας [5]) γὰρ ἐγένετο ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας ταλάντων μυρίων τετρακισχιλίων, ἤ, ὥς τινες, μυρίων [6]) ὀκτακισχιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα 251 ed.Hutten.] (καὶ ὁ τὰς τιμὰς αὐτῷ ψηφιζόμενος Στρατοκλῆς [7]) ὁ ῥήτωρ), τὸ μὲν πρῶτον αἱρεθεὶς αὐτὸς, ἔπειτα τῶν φίλων

---

1) Ita cum Wyttenbachio scripsi. Miror, quod Christ. Lud. Bossler., qui nuperrime de gentibus et familiis Atticae sacerdotalibus disseruit (Darmstad. 1833. 4.), Stephani scripturam *δήμων δὲ τῶν* pag. 5. scriptionis suae revocavit.

2) De hac celeberrima gente cf. Odofr. Muellerum de Minervae Poliadis sacris et aede disserentem p. 8. sqq., ex cuius verbis Taylori errores (Prolegom. in Lycurgi reliquias p. 22. ed. Becker.) corrigendi sunt. Muelleri, certissimi ducis, vestigia pressit Bosslerus libro supra commemorato p. 1. — 9. Quae a Bosslero p. 2. 3. in universum disputata sunt de gentium origine et denominatione, multum accipient lucis ex iis, quae Meierus, V. Cel., in prooem. indic. schol. Halens. 1833. erudite ac sagaciter commentatus est.

3) „Praeter Photium et Plutarchum Olympiodorus MS. et Laertius in Platone III, 46. Plutarch: in Hyper. p. 841. B.“ Taylor. Prolegom. p. 4.

4) *πιστεύεσθαι* medio sensu est mandatum accipere. Cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 320., cuius adnotatio lexicographos fugit.

5) Cf. quae infra disputabimus ad orat. *περὶ τῆς διοικήσεως*.

6) De his numeris eorumque diversitate verissime disseruit Boeckhius Oec. Civ. I. p. 470. 471., qui certissimum ducit eum talentorum numerum, qui in decreto exstat, atque omnem hunc locum a secunda manu huc ex decreto illatum esse existimat. Partem huius enunciati, verba *καὶ ὁ — ῥήτωρ*, iam Wyttenbachius ex psephismate perperam invecta esse dixit. Reiskius suspicatus est *ἦν δέ* pro *καί*, quod nullius est pretii. Desideratur *ὡς* vel *ὅ* ante *καί*.

7) Cf. Westermanni histor. eloqu. Graec. p. 155.

ἐπιγραψάμενός τινα, αὐτὸς ἐποιεῖτο τὴν διοίκησιν διὰ τὸ φθάσαι [1]) νόμον εἰσενεγκεῖν, μὴ πλείω πέντε ἐτῶν διέπειν τὸν χειροτονηθέντα ἐπὶ τὰ δημόσια χρήματα, ἀεί τ' ἐφεστὼς τοῖς ἔργοις διετέλεσε καὶ θέρους καὶ χειμῶνος· καὶ ἐπὶ τὴν τοῦ πολέμου παρασκευὴν χειροτονηθεὶς, πολλὰ τῆς πόλεως ἐπηνώρθωσε· καὶ τριήρεις παρεσκεύασε τῷ δήμῳ τετρακοσίας· καὶ τὸ ἐν Λυκείῳ γυμνάσιον ἐποίησε καὶ ἐφύτευσε, καὶ τὴν πάλαιστραν ᾠκοδόμησε, καὶ τὸ ἐν Διονύσου θέατρον ἐπισταθῶν ἐτελεύτησε· πιστευσάμενος δ' ἐν παρακαταθήκῃ [2]) παρὰ τῶν ἰδιωτῶν διακόσια πεντήκοντα τάλαντα ἐφύλαξε, πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ τῇ πόλει κατεσκεύασε καὶ νίκας χρυσᾶς· πολλὰ δὲ ἡμίεργα παραλαβὼν ἐξετέλεσε, καὶ νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην· καὶ τῷ σταδίῳ τῷ Παναθηναϊκῷ [3]) τὴν κρηπῖδα περιέθηκεν, ἐξεργασάμενος τοῦτό τε καὶ τὴν καράδραν [4]) ὁμαλὴν ποιήσας, Λινίου τινὸς, ὃς ἐκέκτητο τοῦτο τὸ χωρίον, ἀνέντος τῇ πόλει περὶ παντὸς αὐτοῦ χαρίσασθαι Λυκούργῳ [5])· ἔσχε δὲ καὶ τοῦ ἄστεος

---

1) Reiskius nomen eius, qui legem illam tulerat, excidisse suspicatur, nisi Lycurgus ipse legis auctor fuerit. Neutrum horum verum est. Sed tamen Reiskius concinnitatis quodam sensu ductus esse videtur. Nisi enim subaudias τινά ad φθάσαι, mancum est dicendi genus. Hoc quum et ipse persentiscerem, aliquando in mentem venit, pro εἰσενεγκεῖν scribere εἰσελθεῖν.

2) Cf. Nunnes. et Lobeck. ad Phrynich. p. 313. Meier. de lite Attica p. 512. sqq. et Schuch. in Jahn. Annall. nov. 1832. fasc. 10. p. 165.

3) Meurs. Panathen. Cap. IX.

4) Cf. Boeckh. C. I. Vol. I. p. 289. a.

5) Meo iudicio neque Reiskius, qui suspicatur ἀνέντος τῇ πόλει, καὶ προειπόντος, αὐτὸ χαρίσασθαι· neque Wyttenbachius, qui invento suo ad Reiskii mentem prope accedit: πόλει, προσειπόντος, αὐτὸ χαρίσασθαι· nec denique Turnebus, quem Osannus sequitur Leocrat. p. 4., hunc locum corruptum emendaverunt. Wyttenbachii enim commentum aeque ac Turnebianum asyndeto laborat vix tolerando; Reiskius autem

τὴν φυλακὴν [1]), καὶ τῶν κακούργων τὴν σύλληψιν [2]), οὓς ἐξήλασεν ἅπαντας, ὡς καὶ τῶν σοφιστῶν ἐνίους λέγειν, Λυκοῦργον οὐ μέλανι, ἀλλὰ θανάτῳ χρίοντα τὸν κάλαμον κατὰ τῶν πονηρῶν, οὕτω συγγράφειν [3]). ὅθεν ἐξαιτηθέντα αὐτὸν ὑπ' Ἀλεξάνδρου [4]) τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος οὐ προήκατο· καθ' ὃν δὲ χρόνον ἐπολέμει Φίλιππος πρὸς Ἀθηναίους τὸν δεύτερον πόλεμον, ἐπρέσβευε [5]) μετὰ Πολυεύκτου καὶ 252] Λημοσθένους εἴς τε Πελοπόννησον καί τινας ἑτέρας

---

hoc evitaturus *καί* intrusit, cuius nullum potest vestigium erui. Neque ego certiora mihi praebere videor duabus coniecturis proferendis. Possis enim aut transponere verbum *αὐτοῦ* ante *περὶ παντός* et in *αὐτό* mutare, ita ut haec sententia oriatur: Dinia quodam illam regionem urbi permittente, ut usquequaque Lycurgo gratificaretur: aut, si eiusmodi transpositionem respuis, *παντὸς αὐτοῦ* mutare in *πᾶν τῶν αὐτοῦ*, haud absimili sententia.

1) Obscurum est, utrum magistratum aliquem significarit scriptor, necne. Quod si voluit, *ἀστύνομον* aliquando fuisse Lycurgum suspicor.

2) Quo haec spectent, nescio. Pinzgerus Prolegom. ad translat. Leocrateae vernacul. p. 17. hunc locum ita interpretatur: „Er hielt gewiſſermaßen Wache über die Stadt, und wo er einen Uebelthäter oder Verräther gewahrte, ſtand er ſogleich als der heftigſte Ankläger deſſelben auf.“ Quae tantum abest ut probem, ut verisimiliora mihi loqui videatur Taylorus a Pinzgero vituperatus. Hic enim p. 6. ed. Becker.: „tanta denique severitate morum, ut ei et urbis custodia et facinorosorum cognitio fere extra ordinem daretur“.

3) Cf. nostrum Quaestion. Atticarum specimen (Cizae 1832. 4.) p. 17. 18.

4) Cf. Westermann. l. l. p. 102. n. 9.

5) Demosth. Philipp. III. p. 129., ad quem locum cf. Winiewskium Commentar. chronolog. p. 152. Pinzgerus l. l. p. 7. hanc legationem Olymp. CIX., 1. susceptam tradit, rectius vero Winiewskius eam eiusdem olympiadis anno alteri adscripsit.

πόλεις [1]). διετέλεσέ τε τὸν ἅπαντα χρόνον εὐδοκιμῶν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις καὶ δίκαιος εἶναι νομιζόμενος, ὥστε καὶ ἐν τοῖς δικαστηρίοις τὸ φῆσαι Λυκοῦργον ἐδοκεῖ βοήθημα εἶναι τῷ συναγορευομένῳ [2])· εἰσήνεγκε δὲ καὶ νόμους [3]), τὸν περὶ τῶν κωμῳδῶν ἀγῶνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, πρότερον οὐκ ἐξόν, ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα· τὸν δὲ, ὡς χαλκᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν, Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου, καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν, καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι [4])· καὶ τρίτον [5]), μηδενὶ ἐξεῖναι Ἀθηναίων, μηδὲ τῶν οἰκούντων Ἀθήνησιν, ἐλεύθερον σῶμα πρίασθαι ἐπὶ δουλείᾳ ἐκ τῶν ἁλισκομένων ἄνευ τῆς τοῦ προτέρου δεσπότου

---

1) Similis h. l. ἕτερος pronominis usus est, qui in ἄλλος obtinet, de quo cf. testimoniorum nubem a Strangio ad Isocrat. Demonic. p. 46. congestam.

2) Cf. Taylor. l. c. p. 6. — 12.

3) De differentia, quae inter νόμους et ψηφίσματα intercedit, cf. Schoemannum de comitt. Athen. p. 248. sq., imprimis adnot. 2., in qua etiam Plutarchei loci mentio facta est. Non notarem hoc, nisi Pinzgerus l. c. p. 16. minus accurate de hac re locutus esset. Ceterum de legibus a Lycurgo latis cf. Clinton. F. Hellen. p. 161. ed. Lips. et, cuius commode admonuit Kruegerus, Boeckhium in Actis Academ. Berolin. a. 1818. p. 99 sqq.

4) De hoc multorum curis pertractato loco cf. post Gesner. et Protscher. ad Quintil. 10, 1, 66. et Boeckhium trag. graec. princip. p. 13. Grysarium in libello de Graecorum tragoedia, qualis fuit circum tempora Demosthenis (Coloniae 1830. 4.), p. 7. — 9. uberrime disserentem. Post αὐτάς Grysarius ἄλλως similitudine literarum excidisse opinatur, qua voce interposita haec efficitur sententia: „neque licitum esse, ut aliter, i. e. atque in exemplo publico perscriptae essent, fabulas histriones docerent". Quam coniecturam Heinrichio probavit Grysarius.

5) Cf. Petit. Legg. Att. p. 177.

γνώμης. ἔτι δὲ, ὡς τοῦ Ποσειδῶνος ἀγῶνα [1]) ποιεῖν ἐν Πειραιεῖ, κυκλίων χόρων οὐκ ἔλαττον τριῶν, δίδοσθαι μὲν τοῖς νικῶσιν οὐκ ἔλαττον δέκα μνᾶς, τοῖς δὲ δευτέροις ὀκτὼ, ἓξ δὲ τοῖς τρίτοις κριθείσιν· ἐπὶ ζεύγους [2]) μὴ ἀπεῖναι γυναῖκα 253] Ἐλευσινάδε, ὅπως μὴ ἐλαττῶντται [3]) ὑπὸ τῶν πλουσίων· εἰ δέ τις φωραθείη, ἀποτίνειν δραχμὰς ἑξακισχιλίας· τῆς δὲ γυναικὸς αὐτοῦ μὴ πεισθείσης, τῶν συκοφαντῶν φωρασάντων, τάλαντον αὐτοῖς ἔδωκε. κατηγορούμενος δ' ἐν ὑστέρῳ ἐν τῷ δήμῳ ἔφη· ἀλλ' οὖν ἐγὼ μὲν διδοὺς, οὐ λαμβάνων ἑώραμαι [4]). τελώνου δέ ποτ' ἐπιβαλόντος Ξενοκράτει τῷ φιλοσόφῳ τὰς χεῖρας, καὶ πρὸς τὸ μετοίκιον αὐτὸν ἀπαγαγόντος, ἀπαντήσας ῥάβδῳ τε κατὰ τῆς κεφαλῆς τοῦ τελώνου κατήνεγκε, καὶ τὸν μὲν Ξενοκράτην ἀπέλυσε, τὸν δὲ ὡς οὐ τὰ πρέποντα δράσαντα εἰς τὸ δεσμωτήριον κατέκλεισεν. ἐπαινουμένου δ' ἐπὶ τῇ πράξει, μεθ' ἡμέρας τινὰς συντυχὼν ὁ Ξενοκράτης τοῖς παισὶ τοῦ Λυκούργου ἔφη· ταχέως γε τῷ πατρὶ ὑμῶν ἀπέ-

---

1) Cf. Meurs. Piraeeo Cap. VII.

2) Cf. Taylor. l. c. p. 16. Pinzgerum (Proleg. p. 14.) non debebat Theodori Metochitae locus fugere, in quo paullo aliter haec res narratur. Ille scriptor enim cap. LXV. ita inscripto: ὅτι πολλάκις ἔνιοι συμπίπτουσι τοῖς ἑαυτῶν δόγμασι καὶ κρίσεσι (p. 404. edit. Mueller.), post alia huiusmodi exempla haec tradit: Καὶ Λυκοῦργος δὲ ὁ ῥήτωρ Ἀθήνησι ψήφισμα θέμενος, ὅπερ ἐκύρωσεν ὁ δῆμος, μὴ ἐλαύνειν τὰς γυναῖκας ἐπὶ ζευγῶν εἰς τὰ μυστήρια, ὧν πολὺς ἦν ὁ λόγος Ἀθήνησιν, εἰ δὲ μή, ζημίαν εἶναι τόσην, μετ' ὀλίγον εἶχεν ὑπεύθυνον τὴν γυναῖκα μὴ γινώσκουσαν, ἔοικε, τὸν νόμον, ζεύγει χρησαμένην τοῖς μυστηρίοις, καὶ τὴν ζημίαν ἐξ ἀνάγκης ἀποδοῦσαν, ἧς ὁ ταύτης ἀνὴρ αἴτιος. Ceterum congruit haec narratio cum Aeliano Var. Hist. XIII, 24.

3) Perizonii interpretationem ad Aelian. l. c. propositam probo: „ne cives damnum fortunarum suarum facerent, vel pauperiores fierent per divites feminas, quae immodicis sumtibus in bigas, reliquas dein omnes in aemulationem sumtuum illorum excitarent".

4) Scribe cum Wyttenbachio πεφώραμαι, quod etiam Pinzgero p. 14. n. 32. probatur.

δωκα, ὦ παῖδες, τὴν χάριν· ἐπαινεῖται γὰρ ὑπὸ πολλῶν ἐπὶ τῷ βοηθῆσαί μοι. εἰσήνεγκε δὲ καὶ ψηφίσματα Εὐκλείδῃ τινὶ Ὀλυνθίῳ χρώμενος ἱκανωτάτῳ περὶ τὰ ψηφίσματα [1]). εὔπορος δ' ὢν, ἱμάτιον ἓν καὶ ταὐτὸ ἐφόρει τοῦ χειμῶνος καὶ τοῦ θέρους, καὶ ὑπεδέδετο ταῖς ἀναγκαίαις ἡμέραις [2]). ἐμελέτα δὲ καὶ νυκτὸς καὶ ἡμέρας, οὐκ εὖ πρὸς τὰ αὐτοσχέδια [254 πεφυκώς, κλινιδίου δ' αὐτῷ ὑποκειμένου, ἐφ' ᾧ μόνον ἦν κώδιον καὶ προσκεφάλαιον, ὅπως ἐγείροιτο ῥᾳδίως καὶ μελετῴη. ἐγκαλοῦντος δ' αὐτῷ τινος, ὅτι μισθοὺς σοφισταῖς δίδωσι περὶ λόγους διατρίβων· ἀλλ' εἴ τίς γε ἐπαγγέλλοιτο, ἔφη, τοὺς υἱοὺς ἀμείνους αὐτῷ ποιήσειν, οὐ χιλίας ἀλλὰ τὰ ἥμισυ [3]) τῆς οὐσίας προϊέσθαι. ἦν δὲ καὶ παῤῥησιαστὴς διὰ τὴν εὐγένειαν· Ἀθηναίων γέ τοί ποτε οὐκ ἀνεχομένων αὐτοῦ δημηγοροῦντος, ἀνέκραγεν ἐκβαλλόμενος· ὦ Κερκυραῖα μάστιξ [4]), ὡς πολλῶν ταλάντων εἶ ἀξία. πάλιν δὲ θεὸν ἀναγορευόντων Ἀλέξανδρον· καὶ ποδαπὸς ἂν, εἶπεν, ὁ θεὸς, οὗ

---

1) Psephismata nonnunquam iam conscripta in comitium a latore afferebantur (Schoemann. de comit. Athen. p. 118.), unde videre licet, quale auxilium Euclides Lycurgo praestare potuerit. Moneo hoc contra Reiskii suspiciones, pro *ψηφίσματα* coniicientis *χρήματα* vel *δανείσματα*.

2) „Necessarii dies, auctore Casaubono ad Theophr. Charact. X., sunt illi, in quibus facere nequis, quin calceos gestes, per itineris scilicet caussam, aut frigoris, aut viae lutosae, aut asperae.“ Hutten. Minus commode Pinzgerus p. 16. hanc locutionem ad dies festos ac solennes retulit.

3) Scribendum est cum Reiskio, Wyttenbachio et Osanno *τὸ ἥμισυ*. Quod autem Wyttenbachius praeterea particulam *ἄν* desiderat, aliis diiudicandum relinquo. Equidem eam non requiro.

4) De Corcyrensium flagris haec verba intelligenda sunt. Taylorus p. 17. speciosius quam verius belli peloponnesiaci initium, a Corcyrensium rebus repetendum, huc traxit, immerito propterea a Pinzgero p. 22. notatus, quoniam dicit modo, in ea opinione se aliquando fuisse.

τὸ ἱερὸν ἐξιόντας δεήσει περιῤῥάνασθαι [1]); ἀποθανόντος δ' αὐτοῦ, παρέδωκαν τοὺς παῖδας τοῖς ἕνδεκα, Μενεσαίχμου μὲν κατηγορήσαντος, γραψαμένου δὲ Θρασυκλέους [2]). Δημοσθένους δὲ, καθ' ὃν ἔφυγε χρόνον, ἐπιστείλαντος τοῖς Ἀθηναίοις, ὡς κακῶς ἀκούοιεν ἐπὶ τοῖς Λυκούργου παιδίοις, μετενόησαν, καὶ ἀφῆκαν αὐτοὺς, Δημοκλέους, τοῦ Θεοφράστου μαθητοῦ, ὑπὲρ αὐτῶν ἀπολογησαμένου. ἐτάφη δ' αὐτὸς καὶ τῶν ἐκγόνων τινὲς δημοσίᾳ· καὶ ἔστιν αὐτῶν τὰ μνήματα ἀντικρυς τῆς Παιωνίας Ἀθηνᾶς [3]) ἐν τῷ Μελανθίου τοῦ φιλοσόφου κήπῳ, τράπεζαι πεποιημέναι [4]), αὐτοῦ τε τοῦ Λυκούργου καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐπιγεγραμμέναι, καὶ εἰς ἡμᾶς
255] ἔτι σωζόμεναι. τὸ μέγιστον χίλια διακόσια τάλαντα προσόδου τῇ πόλει κατέστησε, πρότερον ἑξήκοντα προσιόντων. μέλλων δὲ τελευτήσειν, εἰς τὸ μητρῷον καὶ τὸ βουλευτήριον ἐκέλευσεν αὐτὸν κομισθῆναι, βουλόμενος εὐθύνας δοῦναι τῶν πεπολιτευμένων· οὐδενὸς δὲ κατηγορῆσαι τολμήσαντος πλὴν Μενεσαίχμου, τὰς διαβολὰς ἀπολυσάμενος, εἰς τὴν οἰκίαν ἀπεκομίσθη, καὶ ἐτελεύτησεν, ἐπιεικὴς νομισθεὶς παρὰ πάντα τὸν βίον, καὶ ἐν λόγοις ἐπαινεθεὶς, καὶ μηδένα ἀγῶνα ἄλους, καίτοι πολλῶν κατηγορησάντων. ἔσχε δὲ τρεῖς παῖδας ἐκ Καλλιστοῦς, τῷ Ἄβρωνος μὲν θυγατρὸς, Καλλαιοῦ [5]) δὲ τοῦ Ἄβρωνος Βατῆθεν ἀδελφῆς, τοῦ ταμιεύσαν-

---

1) Cf. interprett. ad Theophrast. Charact. cap. XVI. init.

2) *Μοιροκλέους* nomen, quod Ruhnkenius ex Demosthenis epistola huc invehendum esse censuit, reiiciendum est. Ita Pinzgerus quoque p. 24. Osannus autem Ruhnkenii coniecturam probabilem ducit.

3) Cf. Meurs. Athen. Attic. I, 3. Siebelis. ad Pausan. I, 2.

4) Apposite Cicero de legg. II, 26, 75.: nam super terrae tumulum noluit [Demetrius Phal.] quid statui nisi columellam, tribus cubitis ne altiorem, aut mensam, aut labellum. Osann.

5) Scr. *Καλλίου* cum Salmasio et Boeckhio Oec. Civ. I, p. 194. Verba *τῆς Ἄβρωνος* usque ad *τοῦ Ἄβρωνος* Osannus negligenter omisit.

τος στρατιωτικῶν ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος [1]). περὶ δὲ τῆς κηδείας ταύτης λέγει ὁ Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Πιστίου [2]). κατέλιπε δὲ παῖδας Ἄβρωνα, Λυκοῦργον, Λυκόφρονα, ὧν ὁ Ἄβρων καὶ ὁ Λυκοῦργος ἄπαιδες μετήλλαξαν· ἀλλ' ὅ γε Ἄβρων καὶ πολιτευσάμενος ἐπιφανῶς μετήλλαξε, Λυκόφρων δὲ, γήμας Καλλιστομάχην Φιλίππου Αἰξωνέως ἐγέννησε Καλλιστώ. ταύτην δὲ γήμας Κλεόμβροτος Δεινοκράτους Ἀχαρνεύς, ἐγέννησε Λυκόφρονα· τοῦτον δὲ ὁ πάππος εἰσεποιήσατο Λυκόφρων· οὗτος δ' ἐτελεύτησεν ἄπαις. μετὰ δὲ τὴν Λυκόφρονος τελευτὴν ἔγημε τὴν Καλλιστὼ Σωκράτης, καὶ ἔσχεν υἱὸν Σύμμαχον· τοῦ δ' ἐγένετο Ἀριστώνυμος· τοῦ δὲ Χαρμίδης· τοῦ δὲ Φιλίππη· ταύτης δὲ καὶ Λυσάνδρου Μήδειος, ὁ καὶ [256 ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμολπιδῶν γενόμενος· τούτου δὲ καὶ Τιμοθέας τῆς Γλαύκου παῖδες, Λαοδάμεια καὶ Μήδειος, ὃς τὴν ἱερωσύνην Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως εἶχε, καὶ Φιλίππη, ἥτις ἱεράσατο τῆς Ἀθηνᾶς ὕστερον· πρότερον δ' αὐτὴν γήμας Διοκλῆς ὁ Μελιτεὺς, ἐγέννησε Διοκλέα, τὸν ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας στρατηγήσαντα [3])· γήμας δ' οὗτος Ἡδίστην Ἄβρωνος, Φιλιππίδην καὶ Νικοστράτην ἐγέννησε· γήμας δὲ τὴν Νικοστράτην Θεμιστοκλῆς ὁ Θεοφράστου, ὁ δᾳδοῦχος, ἐγέννησε Θεόφραστον καὶ Διοκλέα. διετάξατο δὲ καὶ τὴν ἱερωσύνην τοῦ Ποσειδῶνος

---

1) Olymp. CX., 3.

2) Wyttenbachio iudice *Πιστίου* recte corrigunt Meurs. lectt. Att. III, 5. Vales. Harpocrat. p. 15. Idem statuit Westermannus l. c. p. 312. n. 14.

3) Vix opus est, ut inanis Reiskii coniectura *φασηλίτας* exagitetur. Cf. nunc de hoc magistratu Ahrens. de Athenarum statu politico etc. (Gotting. 1829. 4.) p. 42. — 49., a quo etiam inscriptionum tituli, ubi huius muneris mentio facta est, secundum Boeckhii numeros accurate indicantur. De Diocle cf. Boeckh. C. I. n. 385. p. 442., a quo in chronologicis computationibus aliquantum differt Bosslerus l. c. p. 8. n. 10. Ceterum quae de singulis hominibus in hoc stemmate commemoratis scitu sunt digna et sciri possunt, Bossleri contulit diligentia, quem vide.

Ἐρεχθέως. φέρονται δὲ τοῦ ῥήτορος λόγοι δεκαπέντε. ἐστεφανώθη δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου πολλάκις, καὶ εἰκόνων ἔτυχεν· ἀνάκειται δ' αὐτοῦ χαλκῆ εἰκὼν ἐν κεραμεικῷ κατὰ ψήφισμα ἐπ' Ἀναξικράτους ἄρχοντος· ἐφ' οὗ ἔλαβε καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ αὐτός τε καὶ ὁ Λυκοῦργος καὶ ὁ πρεσβύτατος αὐτοῦ τῶν ἐκγόνων κατὰ τὸ αὐτὸ ψήφισμα [1]). ἀποθανόντος τε Λυκούργου, ὁ πρεσβύτατος τῶν παίδων, Λυκόφρων, ἠμφισβήτησε τῆς ὡρεᾶς. εἶπε δὲ καὶ περὶ ἱερῶν πολλάκις, γραψάμενος Αὐτόλυκον τὸν Ἀρεοπαγίτην, καὶ Λυσικλέα τὸν στρατηγὸν, καὶ Δημάδη τὸν Δημέου [2]), καὶ Μενέσαιχμον, ἄλλους τε πολλοὺς, καὶ πάντας εἷλεν. ἔκρινε δὲ καὶ Λίφιλον [3]) ἐκ τῶν ἀργυρίων μετάλλων τοὺς μεσοκρινεῖς, οἳ ἐβάσταζον τὰ ὑπερκείμενα βάρη, ὑφελόντα, καὶ ἐξ αὐτῶν πεπλουτηκότα παρὰ 257] τοὺς νόμους· καὶ θανάτου ὄντος ἐπιτιμίου, ἁλῶναι ἐποίησε, καὶ πεντήκοντα δραχμὰς ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἑκάστῳ τῶν πολετῶν διένειμε, τῶν πάντων συναχθέντων ταλάντων ἑκατὸν ἑξήκοντα, ἢ (ὥς τινες) μνῶν. ὁ δὲ εὐθύνας Ἀριστογείτονα καὶ Λεωκράτην καὶ Αὐτόλυκον δειλείας [4]). ἐπεκαλεῖτο δὲ ὁ Λυκοῦργος [5])·

Ἶβις Λυκούργῳ, Ξενοφῶντι νυκτερίς.

κατῆγον δὲ τὸ γένος ἀπὸ τούτων, καὶ Ἐρεχθέως τοῦ Γῆς καὶ Ἡφαίστου· τὰ δ' ἐγγυτάτω ἀπὸ Λυκομήδους καὶ Λυκούργου, οὓς ὁ δῆμος ταφαῖς ἐτίμησε δημοσίᾳ· καὶ ἔστιν αὕτη ἡ καταγωγὴ τοῦ γένους τῶν ἱερωσαμένων τοῦ Ποσειδῶνος ἐν πίνακι τελείῳ [6]),

---

1) Cf. orationem περὶ τῆς διοικήσεως.

2) Cf. Corp. I. p. 135.

3) Cf. Corp. I. p. 288. et nos, ubi de numero orationum Lycurgearum disseremus.

4) Hunc locum ad orationum κατὰ Ἀριστογείτονος tractavimus.

5) Iteranda est vox Ἶβις et pro Ξενοφῶντι scribendum Χαιρεφῶντι. Cf. interprett. ad Aristoph. Aves vs. 1297. et Taylor. p. 9. 10.

6) Reiskius suspectum habuit τελείῳ et coniecit Πεντελικῷ. Sed neque opus est mutatione, neque ita scribi potest, sed Πεν-

ὃς ἀνάκειται ἐν Ἐρεχθείῳ, γεγραμμένος ὑπ' Ἰσμηνίου [1]) τοῦ Χαλκιδέως· καὶ εἰκόνες ξύλινοι τοῦ τε Λυκούργου καὶ [258 τῶν υἱῶν αὐτοῦ Ἄβρωνος, Λυκούργου, Λυκόφρονος, ἃς εἰργάσαντο Τίμαρχος καὶ Κηφισόδοτος [2]), οἱ Πραξιτέλους υἱεῖς· τὸν δὲ πίνακα ἀνέθηκεν Ἄβρων, ὁ παῖς αὐτοῦ, λαχὼν ἐκ τοῦ γένους τὴν ἱερωσύνην, καὶ παραχωρήσας τῷ ἀδελφῷ Λυκόφρονι· καὶ διὰ τοῦτο πεποίηται ὁ Ἄβρων προσδιδοὺς αὐτῷ τὴν τρίαιναν. πάντων δὲ, ὧν διώκησεν, ἀναγραφὴν ποιησάμενος, ἀνέθηκεν ἐν στήλῃ, πρὸ τῆς ὑπ' αὐτοῦ κατασκευασθείσης παλαίστρας, σκοπεῖν τοῖς βουλομένοις· οὐδεὶς μέντοι ἐδυνήθη ἐλέγξαι τὸν ἄνδρα νοσφισμοῦ. ἔγραψε δὲ καὶ Νεοπτόλεμον Ἀντικλέους στεφανῶσαι, καὶ εἰκόνα ἀναθεῖναι, ὅτι ἐπηγγείλατο χρυσώσειν τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν ἀγορᾷ κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ θεοῦ. ἐψηφίσατο δὲ καὶ Διοτίμου Διοπείθους Εὐωνυμεῖ τιμὰς ἐπὶ Κτησικλέους ἄρχοντος [3]).

τελησίῳ potius, uti Paus. VIII, 30. s. fin. De his tabulis cf. Mueller. l. c. p. 8.

1) Ismenias praetermissus est a Iunio in catalogo artificum. Silligii libro aegre careo.

2) Horum alter, Cephisodotus, est celebrior. Solennis permutatio nominum *Κηφισόδοτος* et *Κηφισόδωρος* etiam in hoc homine obtinet. Plinius enim Hist. Nat. XXXVI, 4, 6. eum Cephisodorum nuncupat, atque quantum ex Thierschii libro de Epochis p. 291. colligo, nulla scripturae diversitate. Potuit autem facile oriri nominum permutatio, quum duo fuerint artifices Cephisodoti nomine celebres, de quibus cf. Thierschium l. c. Itaque nostro quoque loco accuratior codicum collatio rectam scribendi rationem proferet, quam Plinianam esse suspicor. Thierschius nostri loci fuit immemor.

3) Olympi. CXI., 3. Fortasse paullo ante post *Νεοπτόλεμον* excidit *ἐπ'*. Anticles archon fuit Olymp. CXIII., 4. Pro *Εὐωνυμεῖ* scribendum est *Εὐωνυμιεῖ*. Pagi nomen est *Εὐωνυμία*. Grotefend. s. h. v.

Decretum Atheniense [1]).

Λυκόφρων Λυκούργου Βουτάδης ἀπεγράψατο αὐτῷ εἶ-
278] *ναι σίτησιν ἐν πρυτανείῳ κατὰ τὴν δοθεῖσαν δωρεὰν ὑπὸ τοῦ δήμου Λυκούργῳ Βουτάδῃ ἐπὶ Ἀναξικράτους ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος ἐν τῇ πρυτανείᾳ [2]). Στρατοκλῆς Εὐθυδήμου Διομειεὺς εἶπεν· Ἐπειδὴ Λυκοῦργος Λυκόφρονος Βουτάδης παραλαβὼν παρὰ τῶν ἑαυτοῦ προγόνων οἰκείαν ἐκ παλαιοῦ τὴν πρὸς τὸν δῆμον εὔνοιαν, καὶ οἱ πρόγονοι οἱ Λυκούργου, Διομήδης [3]) τε καὶ Λυκοῦργος, καὶ ζῶντες ἐτιμῶντο ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ τετελευτηκόσιν αὐτοῖς δι' ἀνδραγαθίαν ἔδωκεν ὁ δῆμος δημοσίας ταφὰς ἐν κεραμεικῷ· καὶ Λυκοῦργος αὐτὸς πολιτευόμενος, νόμους τε πολλοὺς καὶ καλοὺς ἔθηκε τῇ πατρίδι, καὶ γενόμενος τῆς κοινῆς προσόδου ταμίας τῇ πόλει ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας, καὶ διανείμας ἐκ τῆς κοινῆς προσόδου μύρια καὶ ὀκτακισχίλια καὶ ἐνακόσια τάλαντα· πολλὰ δὲ τῶν ἰδιωτῶν διὰ πίστεως λαβὼν, καὶ προδανείσας καὶ εἰς τοὺς τῆς πόλεως καιροὺς, καὶ τοῦ δήμου τὰ πάντα ἑξακόσια καὶ πεντήκοντα τάλαντα· δόξας δὲ, ἅπαντα ταῦτα δικαίως διῳκηκέναι, πολλάκις ἐστεφανώθη ὑπὸ τῆς πόλεως· ἔτι δὲ αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου, χρήματα πολλὰ συνήγαγεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν, καὶ παρασκευάσας τῇ θεῷ κόσμον, νίκας τε ὁλοχρύσους, πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργύρεα, κόσμον χρυσοῦν εἰς ἑκατὸν κανηφόρους· χειροτονηθεὶς δὲ ἐπὶ τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς, ὅπλα μὲν πολλὰ καὶ βελῶν μυριάδας πέντε ἀνήνεγκεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν· τετρακοσίας τριήρεις πλωΐμους κατεσκεύασε, τὰς μὲν ἐπισκευάσας, τὰς δὲ ἐξ ἀρχῆς ναυπηγησάμενος· πρὸς δὲ τούτοις, ἡμίεργα παραλαβὼν τούς τε νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην, καὶ τὸ θέατρον τὸ Διονυσια-*

---

1) Plura ex hoc decreto tractavimus ad orat. *περὶ διοικήσεως*.

2) Pro vulg. *ἐν τῇ πρυτ.* Schoemann. de comit. Athen. p. 134. n. 19. *ἕκτης* vel *ἐνάτης πρυτανείας* scribi voluit.

3) Reponendum est Lycomedis nomen ex vita Lycurgi. Quod vidit iam Taylorus p. 26. n. 34. et Pinzgerus probat p. 26.

κὸν ἐξειργάσατο, καὶ ἀπετέλεσε τό τε στάδιον τὸ Παν- [279
αθηναϊκὸν, καὶ τὸ γυμνάσιον καὶ τὸ Λύκειον κατεσκεύασε, καὶ ἄλλαις πολλαῖς κατασκευαῖς ἐκόσμησε τὴν πόλιν. Ἀλεξάνδρου τε τοῦ βασιλέως ἅπασαν μὲν τὴν Ἀσίαν κατεστραμμένου, κοινῇ δὲ πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν ἐπιτάττειν ἀξιοῦντος, ἐξαιτήσαντος Λυκοῦργον, ὡς ἐναντία πράττοντα αὐτῷ, οὐκ ἐξέδωκεν ὁ δῆμος παρ' Ἀλεξάνδρου φόβον. καὶ διδοὺς εὐθύνας πολλάκις τῶν πεπολιτευμένων ἐν ἐλευθερίᾳ καὶ δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει, διετέλεσεν ἀνεξέλεγκτος καὶ ἀδωροδόκητος τὸν ἅπαντα χρόνον· ὅπως ἂν εἰδῶσι πάντες διότι τοὺς προαιρουμένους ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας καὶ τῆς ἐλευθερίας δικαίως πολιτεύεσθαι, καὶ ζῶντας μὲν περὶ πλείστου ποιεῖται, καὶ τελευτήσασι δὲ ἀποδίδωσι χάριτας ἀειμνήστους· ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι τῷ δήμῳ, ἐπαινέσαι μὲν Λυκοῦργον Λυκόφρονος Βουτάδην ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης, καὶ στῆσαι αὐτοῦ τὸν δῆμον χαλκῆν εἰκόνα ἐν ἀγορᾷ, πλὴν εἶπου ὁ νόμος ἀπαγορεύει μὴ ἱστάναι, δοῦναι δὲ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ τῶν ἐκγόνων ἀεὶ τῶν Λυκούργου τῷ πρεσβυτάτῳ εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον, ἀναθεῖναι [1]) δ' αὐτοῦ καὶ εἶναι κύρια πάντα τὰ ψηφίσματα τὸν γραμματέα τοῦ δήμου ἐν στήλαις λιθίναις, καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει πλησίον τῶν ἀναθημάτων· εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν τῶν στηλῶν δοῦναι τὸν ταμίαν τοῦ δήμου πεντήκοντα δραχμὰς ἐκ τῶν εἰς τὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ.

---

1) Pinzgerus p. 28. ita scribi iubet: καὶ εἶναι κύρια πάντα τὰ ψηφίσματα αὐτοῦ, ἀναθεῖναι δὲ τὸν γραμματέα κ. τ. λ., haud scio, an recte.

De orationum Lycurgearum numero.

In constituendo orationum Lycurgearum numero difficultas quaedam exsistit ex scriptorum, qui eas attigerunt, discrepantia. Suidas enim s. v. *Λυκοῦργος*, Photius biblioth. cod. 268. p. 496. ed. Im. Bekk. et auctor vitae Lycurgi quindecim orationes Lycurgi circumferri asseverant, quarum titulos Suidas indicavit, Photius et Plutarchus non item. Photius enim eas se ne legisse quidem ait vacui temporis inopia; Plutarchus autem nonnullas innuit in cursu orationis, velut orationes de rebus sacris habitas, Autolyci, Lysiclis, Demadis, Menesaechmi, Aristogitonis et Leocratis accusationes, reliquorum vero, quibus Lycurgus diem dixit, nomina non addidit. Non potest autem de hac re commode disputari, nisi Suidae verbis adpositis. Suidas igitur s. v. *Λυκοῦργος* haec tradit: *Λυκοῦργος, Λυκόφρονος, Ἀθηναῖος, τὸ γένος Ἐτεοβουτάδης, τῶν μετὰ Δημοσθένους κριθέντων ῥητόρων. ἀνέγκλητος δὲ βιοῦς, τελευτᾷ νόσῳ, υἱοὺς καταλιπών· ὑπὲρ ὧν συκοφαντηθέντων Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ ἀπὸ τῆς φυγῆς εἰπών, ἐξεῖλεν αὐτούς. λόγοι δὲ αὐτοῦ εἰσιν οἱ σωζόμενοι γνήσιοι· κατὰ Ἀριστογείτονος. κατὰ Αὐτολύκου. κατὰ Λεωκράτους. κατὰ Λυκόφρονος β'. κατὰ Λυσικλέους* (male *Πασικλέους*). *κατὰ Μενεσαίχμου* (ita scribendum esse infra monstrabitur). *κατὰ Δημάδου. Ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν. πρὸς Ἰσχυρίαν. πρὸς τὰς μαν-*

τείας. περὶ τῆς διοικήσεως. περὶ τῆς ἱερατείας (scribendum est secundum codicem Lugdunensem, cuius collationem a Iacobo Gronovio olim factam per Aug. Seidleri singularem liberalitatem inspicere licuit, ἱερείας). περὶ τῆς ἱερωσύνης. Ἐπιστολαί· καὶ ἄλλα τινά. Quarum orationum si numerum computas, quatuordecim efficiuntur. Suspicatus igitur est Pinzgerus Prolegom. ad translat. Leocrateae vernaculam (Lips. 1824.) pag. 32. post ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτόν· maiori interpunctione distinguendas esse duas orationes, ἀπολογίαν et orationem ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν. Qua in re assentior viro doctissimo. Videtur enim hac inscriptione significari Lycurgi ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται, quem Harpocratio saepius commemoravit. Cum Suida autem non prorsus convenit Harpocrationi, qui, etsi ex quindecim orationibus verba compilavit, tamen titulos vel Suidae prorsus incognitos vel aliquantum immutatos exhibet, nonnullas vero orationes, a Suida in genuinarum numero recensitas, plane praetermisit, quippe quae fortasse nihil, quod lexicographo memoratu dignum videretur, praeberent. Quamquam, ne his eadem dicere cogamur, nos in singulis orationibus hasce testimoniorum differentias inter se contendemus, tamen statim hic loci omnes orationum inscriptiones, quae apud Harpocrationem reperiuntur, enumerabimus. Κατὰ Ἀριστογείτονος s. v. ἀγραφίου. κατὰ Αὐτολύκου s. v. Αὐτόλυκος. κατὰ Λεωκράτους s. v. Εὐρυμέδων. κατὰ Λυκόφρονος ά s. v. ἰπνός. κατὰ Λυκόφρονος s. v. ὀρκάνη. κατὰ Λυσικλέους s. v. Λεμβάδεια. κατὰ Μενεσαίχμου s. v. Δηλιασταί. ἡ πρὸς Δημάδην ἀπολογία s. v. ἀποβάτης. περὶ τῆς διοικήσεως s. v. Αἰγίς. περὶ τῆς ἱερείας s. v. Ἀλόπη. His accedit ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται s. v. δερματικόν. κατ' Ἰσχυρίου (quam Suidas πρὸς Ἰσχυρίαν inscriptam fuisse tradit). Non commemoravit igitur Harpocratio orationes κατὰ Δημάδου. πρὸς τὰς μαν-

τείας et περὶ τῆς ἱερωσύνης, a Suida in genuinarum numero positas. Fecit autem trium aliarum orationum mentionem, orationis κατὰ Λεξίππου s. v. σύνδικοι, κατὰ Κηφισοδότου s. v. χιλιωθέντα, et διαδικασία Κροκωνιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας s. v. δεοίνιον; quas incertae esse fidei infra demonstrabitur.

Porro apud Suidam s. v. Μηλόβοτος χώρα Lycurgo etiam oratio κατ' Αὐτοκλέους tribuitur. Quae quum a nemine praeterea commemoretur, variis modis Suidae verba tentata sunt. Osannus enim Lyc. Leocrat. p. 151. coniecit, pro Αὐτοκλέους scribendum esse Αὐτολύκου, ne verbo quidem addito, quo mutationis veritatem probaret. Quamquam facile possunt confundi nomina Autocles et Autolycus, tamen vehementer dubito, an in Autolyci Areopagitae accusatione aptus fuerit locus, quo verba a Suida repetita collocarentur. Quod cum perspexisset Pinzgerus, pro Αὐτοκλέους multo faciliore mutatione Ἀυσικλέους scribi voluit, quoniam verba ista aperte imperatorem quendam ob rem male gestam accusatum significent. Sed etsi hoc vere iudicavit, quod unusquisque videt, tamen qua ratione singula fragmenti verba explicatu difficillima ad Lysiclem, Chaeronensis cladis auctorem, referrentur, non ostendit, neque ostendi ullo modo posse arbitror. Beckerus autem, qui ex duobus Harpocrationis locis s. v. ἔργα νέων et Εὔηνος cognoverat, notam fuisse antiquitus Hyperidis orationem κατ' Αὐτοκλέους, se nescire ait p. 212., an errore Suidas Lycurgo adscripserit orationem, quam contra Harpocratio diserte Hyperidi tribuerit. Quae dicta sunt, quasi Beckerus certo sciret, unam omnino fuisse orationem κατ' Αὐτοκλέους. Etsi vero scite mentionem Hyperideae orationis iniecit, tamen non probaverim, si pro Λυκούργῳ quis Ὑπερείδῃ apud Suidam scribi vellet. Non perspiceretur enim erroris origo. Nihilo tamen secius fragmentum illud, quod Sui-

Suidas habet, ex Hyperidis oratione petitum esse censeo. Apud Suidam enim haec scripta exstant:

Μηλόβοτος χώρα· ὑπὸ πολεμίων ἐξερημωθεῖσα, ἣν κατανέμεται τὰ στρατόπεδα. κεῖται δὲ τοὔνομα καὶ τῷ Λυκούργῳ ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους. Ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε. βουλευομένου δὲ ὅπως τῇ πόλει χρήσεται, Ἀθηναῖοι μὲν μηλόβοτον ἀνεῖναι συνεβούλευον· Φωκεῖς δὲ ἀντεῖπον σῶσαι.

In quibus primum vocabulum *στρατόπεδα* vitiosum esse felicissime perspexit Kuesterus et in *τετράποδα* mutavit, quam emendationem veram esse Codex Lugdunensis testatur. Idem codex pro *καὶ τῷ Λυκούργῳ* exhibet *παρὰ τῷ Λυκούργῳ*, quod suspicatus est iam Osannus p. 151. *Κεῖσθαι παρά τινι* enim in auctoribus citandis frequentata est scholiastis locutio, veluti in Argum. Aeschyl. Prometh. p. 3. edit. Blomf.: *Κεῖται δὲ ἡ μυθοποιΐα ἐν παρεκβάσει παρὰ Σοφοκλεῖ Κολχίσι·* et Argum. Eurip. Med. p. 385. ed. Porson. Lips. 1807. Ut autem quod promisimus demonstremus, contendimus cum Suidae verbis Lycurgi locum ex Leocratea cap. XXXVI. s. fin. huncce: *Ἀλλὰ καὶ ὁ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν εἶναι φανερῖς τῇ ψήφῳ καταψηφισάμενος κ. τ. λ.*, ex quo apparere videtur, Suidam haec Lycurgi verba afferre voluisse iisque alium quendam locum ex Hyperidis adversus Autoclem oratione sumptum adiungere. Quum uterque locus fere ab iisdem verbis inciperet, factum est, ut prior omitteretur a librario, qui in unum duorum scriptorum verba contraxit. Nisi verendum esset, ne apud permultos in nimiae audaciae criminationem incurrerem, omnem Suidae locum ita reconcinnandum esse proponerem: *καὶ παρὰ τῷ Λυκούργῳ ἐν κατὰ Λεωκράτους· Ἀλλὰ καὶ ὁ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν εἶναι· καὶ παρὰ τῷ Ὑπερείδῃ ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους· Ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε κ. τ. λ.* Cui autem verba *εἶναι* et *ἀνῆκε* sibi dissimiliora videantur, quam ut eiusmodi aberratio oculorum potuerit fieri, ei respondemus, in

Lycurgi loco nobis scribendum esse videri pro εἶναι ἀνεῖναι. Potuit enim propter antecedens κὴν facile syllaba ἀν oblitterari et fere constans scriptorum usus obtinet in coniungendis verbis μηλόβοτος et ἀνιέναι, qua de re cf. Hesych. s. v. Bekk. Anecd. I. p. 280. et exempla plurima apud Wesseling. ad Diodor. Sic. I, 36. et XV, 63. Quamquam prorsus necessariam esse istam mutationem nolim contendere. Καταψηφισάμενος ἀνεῖναι pariter dictum foret, atque apud Suidam συνεβούλευον ἀνεῖναι. Quae si forte cuipiam non persuadeamus, ei alia quaedam coniectura de corruptelae istius origine fortasse magis placebit. Habet enim offensionis quid repetitio verbi μηλόβοτος in lexicographo. Quae potest ita orta esse, ut verba: Ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε· re vera ex Lycurgi Leocratea sumpta sint, sequentia autem verba ex Hyperidis oratione κατ' Αὐτοκλέους. Suidas enim potuit primum oratores ipsos et orationes, unde sua petierit, commemorare, tum vero locos ipsos deinceps adiungere. Quo haec oritur pristina lemmatis forma: παρὰ τῷ Λυκούργῳ καὶ παρὰ τῷ Ὑπερείδῃ ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους· „Ἀλλὰ καὶ ὁ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνεῖναι.“ „βουλευομένου δὲ“ κ. τ. λ. Quod non animadversum est a librario, qui, ut unam efficeret verborum comprehensionem, ἀνεῖναι in ἀνῆκε mutavit articulumque ὁ eiecit. Sed ne in hoc vexatissimo loco lusisse potius iudicer, quam ingenium exercuisse et veritatem indagasse, coniiciendi finem faciam, satis me assecutum esse ratus, si veram mali caussam detexisse existimabor. Ceterum quae ad illustrandum fragmentum necessaria sunt, ea persequar in Hyperideis, ubi et alios Harpocrationis locos, Beckero incognitos, ex eadem Hyperidis oratione tractabo.

Praeterea non agerem de Diphili accusatione, nisi Beckerus in orationum ordine enumerasset. Distinguendum enim est inter orationes recitatas tantum-

modo et scriptas editasque. Tradit autem Plutarchus pag. 256. Tom. XII. Ed. Hutt. haec: Ἔκρινε δὲ καὶ Δίφιλον ἐκ τῶν ἀργυρίων μετάλλων τοὺς μεσοκρινεῖς [1]), οἳ ἐβάστιζον τὰ ὑπερκείμενα βάρη, ὑφελόντα, καὶ ἐξ αὐτῶν πεπλουτηκότα παρὰ τοὺς νόμους· καὶ θανάτου ὄντος ἐπιτιμίου, ἅλῶναι ἐποίησε, καὶ πεντήκοντα δραχμὰς ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἑκάστῳ τῶν πολιτῶν διένειμε, τῶν πάντων συναχθέντων ταλάντων ἑκατὸν ἑξήκοντά, ἢ (ὥς τινες) μνᾶν. De qua Diphili condemnatione cf. Boeckh. de oecon. civ. Athen. I. p. 182. Si argenti summa cum civium numero comparatur, ea aetate undeviginti millia ducentos cives Athenis fuisse efficitur, de quo numero cf. Taylor. ad Demosth. Aristogit. I. p. 785. l. 23. et Clinton. Fast. Hellen. p. 397. — 404. Edit. Lips. Μεσοκρινεῖς vocabulum ita interpretatur Photius s. v.: οἱ ἀντὶ στηριγμάτων ἐν τοῖς ἀργυρείοις ὑποκείμενοι· ὥστε μὴ καταπίπτειν ἐπὶ τοὺς ἐργαζομένους τὰ μέταλλα. ἐκαλοῦντο δὲ μεσοκρινεῖς, ὅτι μέσοι ὄντες τῶν ἔργων, διέκρινον τοὺς ὅρους τῶν μισθουμένων. Quibuscum cf. Bekk. Anecd. I. p. 280. et Polluc. Onomast. III, 87. et VII, 98. Diphilus autem, a Lycurgo in iudicium vocatus, idem videtur esse cum eo, quem Dinarchus commemorat orat. κατὰ Δημοσθένους p. 33. Εἶπατέ μοι πρὸς Διός, ὦ ἄνδρες, προῖκα τοῦτον οἴεσθε γράψαι Διφίλῳ τὴν ἐν Πρυτανείῳ σίτησιν καὶ τὴν εἰς τὴν ἀγορὰν ἀναθησομένην εἰκόνα; quae verba ad eandem videntur caussam spectare, de qua Dionysius Halic. agit Iudic. de Dinarcho p. 659. Vol. V. Reisk.

---

1) Quod scribitur vulgo μεσοκρανεῖς, falsum est. Vocabulum μεσόκρανον ex Orphicis commemoratum a Polluce apud Lobeck. Aglaoph. II. p. 959. reperies.

I. De Lycurgi oratione κατ' Ἀριστογείτονος.

Singulari quodam casu factum est, ut a Quintiliano, peritissimo eloquentiae aestimatore, Lycurgus et Aristogiton tanquam genere orationis similes componerentur, qui in rebus publicis gerendis a diversis steterunt partibus (Instit. orat. XII, 10, 22.). Aristogiton enim, qui celebritatem aliquam nactus est eo, quod celeberrimi oratores, Lycurgus, Demosthenes, Hyperides et Dinarchus, acerrime in eius flagitia invecti sunt, orator fuit Atheniensis ex eo genere, quo nullum unquam perniciosius neque prope funestius exstitit. De eo Suidas nonnulla congessit s. v. Ἀριστογείτων Κυδιμάχου et Ἀριστογείτων Σκυδίμου, perperam de duobus Aristogitonibus narrata [1]). Quae Suidae verba etiam

1) Consimile exemplum est, quod Suidas duobus lemmatis duo Harpocrationes, a lexicographo diversos, commemorat: Ἁρποκρατίων, ὁ Γάϊος χρηματίσας, σοφιστής. ἔγραψε περὶ τῶν Ἀντιφῶντος σχημάτων· περὶ τῶν Ὑπερίδου καὶ Λυσίου λόγων· καὶ ἕτερα. Et Ἁρποκρατίων, ὁ Αἴλιος χρηματίσας, σοφιστής. ἔγραψε περὶ τῶν δοκούντων τοῖς ῥήτορσιν ἠγνοῆσθαι· καὶ ὑποθέσεις τῶν λόγων Ὑπερίδου· περὶ τοῦ κατεψεῦσθαι τὴν Ἡροδότου ἱστορίαν· περὶ τῶν παρὰ Ξενοφῶντι τάξεων· περὶ τέχνης ῥητορικῆς· περὶ ἰδεῶν. De quibus quum praeterea nihil constet, neque Maussaci eruditio in dissertatione critica de Harpocratione eiusque scriptis, quae Vol. II. edit. Lips. init. repetita est, quicquam potuerit eorum obscuritatis tollere, in coniecturam aliquam incidi, quam non admodum confidenter propono. Mirabar enim, utrumque Sophistam de Hyperide scripsisse et rhetoricos libros composuisse. Visus igitur mihi sum, hoc loco unum quendam Caium Aelium Harpocrationem in duo quasi dissectum deprehendisse. Atque huic coniecturae nominum ratio succurrit. Uti enim liberti patronorum nomen gentilicium assumebant (Lactant. Divin. Institut. IV, 3.): ita et peregrini cum gentilicio vel praenomen eorum, quorum beneficio in tabulas civium relati erant. Cf. Ciceron. Epist. ad Famil. lib. XIII, 35. 36. 78. c. not. Manutii.

nunc vitio laborant satis memorabili. Dicitur enim Aristogito λόγους ποιήσας, ἀπολογίαν πρὸς Δημοσθένην τὸν στρατηγόν. πρὸς Λυκοῦργον. Quis autem est ille Demosthenes imperator, Aristogitoni aequalis? Demosthenes enim imperator celeberrimus, quem Antipho παρανόμων accusavit (Plut. vit. Antiph. Suid. s. v. δεῦρο), dudum absumptus erat expeditione Siciliensi, neque postea alius eiusdem nominis imperator Athenis inclaruit. Itaque facillima mutatione Λεωσθένην scribendum esse conieci, quem illa aetate Athenis laude bellica egregie excelluisse satis est notum. Qua de caussa Leosthenes Aristogitonem accusarit, non constat, sed diversas eos in re publica partes secutos esse inde licet colligere, quod Hyperidi addictissimus fuit Leosthenes, de qua re alio loco plura dicentur. Qui penitus cognoscere Aristogitonem cupiant, adeant Taylorum praefat. ad Demosthenis Aristogit. I. et Birgeri Thorlacii Opusc. vol. II. p. 201. — 240., cuius commentationem tantum ex Car. Frid. Hermanni commemoratione novimus in libro inscripto: Lehrbuch der griech. Staatsalterthümer, p. 346. Nos ea tantummodo persequemur, quae cum hac caussa sunt coniuncta.

Insignis est autem haec adversus Aristogitonem instituta actio accusatorum gloria, Lycurgi et Demosthenis, quorum ille, utpote natu maior, prius ad dicendum surrexit (Libanii argum. orat. Aristogit. I. pag. 769. l. 25. Reisk.), Demosthenes, secundarum actor partium, priorem illam κατ' Ἀριστογείτονος orationem habuisse dicitur, de qua Attici fori consuetudine cf. Schoemannum in libro de re iudiciaria Atheniensium p. 708. sq. Lycurgus, qui hac in caussa prior exstitit, alias ipse δευτερολογίαν habuit, veluti post Pytheam, cum quo Simmiam quendam ab Hyperide defensum accusavit. Cf. Harpocrat. s. v. ἐπιχειροτονία.

In ius vocatus est Aristogito ἐνδείξει, de qua caussarum publicarum forma videas Meierum, Vir. Celeb., in libro de re iudiciaria Athen. p. 239. — 246. Potest hoc tum ex priore Demosthenica adversus Aristogitonem oratione abunde perspici, tum apud Harpocrationem s. v. ἔνδειξις est dictum: πολλοὶ μὲν οὖν εἰσὶ λόγοι ἐνδείξεως, γνωριμώτατοι δὲ οἱ κατ' Ἀριστογείτονος Δημοσθένους. Hic locus ab iis in disceptationem vocatus est, qui alteram Aristogitoniam a Demosthene abiudicarunt. Nec sane integer hic locus esse videtur. Aut enim Demosthenes, quod quidem a veritate quam maxime abhorrere videtur, in duabus iisque diversis caussis ἐνδείξεως actione usus est, quod fortasse declamatorem, hoc nescientem, permovit, ut adeo τριτολογίαν istam, Demosthene prorsus indignam, componeret de eadem caussa, aut supplendus est locus ita: γνωριμώτατοι δὲ οἱ κατὰ Ἀριστογείτονος Λυκούργου τε καὶ Δημοσθένους, quo genere corruptelae in lexicographis nihil est frequentius. Plutarchus autem vit. Lycurgi (Ed. Hutten. Vol. XII. p. 257.) non accurate indicavit formam accusationis, cum dicit: ὁ δὲ εὐθύνας Ἀριστογείτονα, καὶ Κλεωκράτην καὶ Λυτόλυκον δουλείας. Quibus in verbis, etsi recte mutarunt Valesius et Taylorus corruptum Κλεωκράτην in Λεωκράτην et δουλείας in δειλίας secundum rei veritatem, nihilo secius vitii quid remansit. Coniungendum est enim ex illorum emendatione εὐθύνας Ἀριστογείτονα cum δειλίας vocabulo, quasi Lycurgus tres illos δειλίας accusarit, sed Leocrates et Autolycus modo accusati sunt εἰσαγγελίαις δειλίας, Aristogito autem ἐνδείξει, prorsus alia accusationis caussa, uti statim apparebit. Desideratur igitur aliquid, quo secernatur actio in Aristogitonem ab Leocratis et Autolyci accusatione. Quapropter quum locus ita videatur corruptus esse, ut nonnulla exciderint vel illius culpa, qui hanc vitam ex copiosiore libro excerpsit et ea contraxit in

brevius, quae contrahi non deberent, vel correctoris cuiuspiam, ita redintegrandum locum esse existimo: ὁ δὲ ἐνδείξας Ἀριστογείτονα Λεωκράτην καὶ Λυτόλυκον δειλίας ἐγράψατο, quo scripturae genere etiam orationi magis prospicitur. Compilator enim, quum uno verbo tres caussas complecti vellet, εὐθύνειν vocabulo usus, cuius generalior est in iure attico significatio latiusque patet, ἐγράψατο tanquam non necessarium abiecit, aut librarius, quum pro ἐνδείξας legisset εὐθύνας, item ἐγράψατο omisit. Prorsus simili ratione Ruhnkenius pristinam scripturam restituit aliis Plutarchi verbis Histor. crit. oratorum p. LXVIII. Cui emendationi meae, audaciori sane et violentiori, quod temporum ordo obstat, de quo infra disputabitur, in vitis decem oratorum non adeo est urgendum, ut vel hac sola de caussa improbetur.

Ante vero quam accedamus ad tempus, quo haec oratio habita esse videtur, definiendum et ad argumenti expositionem cum fragmentorum explicatione coniunctam, necesse est, certa quaedam a nobis statuantur de duabus Demosthenicis orationibus in Aristogitonem.' Hoc vero ita accipi a quoquam nolim, quasi certo definiturus sim, utrum orationes istae a praestantissimo oratore profectae sint, nec ne, quam gravissimam disquisitionem nunc prorsus intactam relinquo. Quisquis enim fuit illarum auctor, ante oculos habuisse Lycurgi orationem credendus est, ad quam orationem suam composuit. Multo maiorem autem priori orationi auctoritatem tribuimus, quam alteri, quam Demosthenis opus esse negamus. Ut enim alia praetermittam ab aliis iam praeoccupata, prioris orationis verba: ἕτερος δ' οὐδεὶς ἔστιν ἀνεκτὸς αὐτῷ λόγος (§. 17. edit. Bekk. p. 774. R.), manifesto videntur ostendere, certe ab eius consilio, qui priorem orationem composuit, alteram quandam addere fuisse alienissimum. Sed ex-

tat certum Dionysii Halicarnassei testimonium de duabus orationibus adversus Aristogitonem habitis (*περὶ δεινότητος* cap. 57.), quem locum acute, ut solet, Seidlerus, V. Celeb., (Schmidt. Exc. ad Dinarch. p. 108.) expedivit, quo quidem nihil aliud efficitur, nisi quod iam Dionysii aetate duas circumlatas esse videmus. Neque huic Photii auctoritas debebat a Schmidtio (excurs. ad Dinarchum p. 109.) et A. G. Beckero (translatione Dionysii vernacula pag. 146. Anmerk.) opponi. Argumentatur enim ita Photius (Bibl. cod. 265. p. 800. edit. Hoeschel.): Dionysius, cum spurias censuit esse duas adversus Aristogitonem orationes, illud neglexit, quod Aristogito ipse testatur, Demosthenem adversus se actorem exstitisse in caussa publica, in oratione inscripta: *ἀπολογία πρὸς τὴν ἔνδειξιν Λυκούργου καὶ Δημοσθένους*. Photius igitur falso intellexit Dionysii mentem, quasi negarit, a Demosthene accusatum esse Aristogitonem, quum contra ea Dionysius tantum orationum superstitum fidem labefactare studuerit. Nuperrime magnam diligentiam Clintonus (Fast. Hellen. p. 366. 367. edit. Lips.) navavit congerendis veterum scriptorum testimoniis, ex quibus videre licet, si auctoritatibus hac in re tribuendum aliquid est, priorem Demostheni a permultis rhetorum assignatam esse. Etsi vero Clintonus omnes scriptores excussisse videtur, tamen fugit eum insignis Alexandri rhetoris locus in libro *περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων* (Rhet. Aldi I. p. 587. l. 9. sq.), neque a quoquam Demosthenis interpretum significatus. Exscripsit rhetor Dem. Aristog. I. p. 775. l. 5. sqq. hunc in modum: *Γίνεται δὲ ὑπερβατὸν καὶ πολλῶν τιθεμένων μεταξὺ λέξεων τῶν ὀνομάτων, ὡς ἔχει τὸ δημοσθενικόν· ἐγὼ δ' ὅτι μὲν πάντα ἀπόλλυται χρήματα, ἐὰν τὰ τοῦδε σοφίσματα παραδέξησθε, καὶ ὅτι εἰ ἄρα δεῖ τινας ἀφιέναι τῶν ὀφειλόντων τοὺς ἐπιεικεστέρους καὶ βελτίους καὶ ἐπὶ τοῖς ἥκιστα δεινῶς*

ὠφληκότας ἀφιέναι δίκαιόν ἂν εἴη, οὐχὶ τὸν πονηρότατον καὶ πλεῖστα ἡμαρτηκότα, καὶ δικαίως ὠφληκότα, καὶ ἐπὶ δεινοτάτοις· τί γὰρ ἂν γένοιτο συκοφαντίας καὶ παρανομίας δεινότατον. ἐφ' οἷς ἀμφοτέροις οὗτος ὤφληκε· καὶ ὅτι οὐ δεῖ πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀφιέναι δίκαιον, οὐχὶ τῷ βιαζομένῳ ὑβρίσαι τὸ αὐτοῦ γέγονε. τὰ τοιαῦτα ἐάσω. τὸ γὰρ ἐάσω διὰ μακροῦ πάνυ ἐπενηνεγμένον. In quibus typothetarum vitia tacito correxi, scriptoris negligentiam, qui memoriter locum tenuisse videtur, non tollendam esse arbitratus.

Accuratius autem, quam factum est adhuc, tempus definiri potest, quo habitae sunt Lycurgi et Demosthenis orationes in Aristogitonem. Taylorus enim praefat. ad Demosthenis Aristogitonias contendit, habitas esse post Olymp. CX., 3., quo anno ad Chaeroneam pugnatum est, et ante Olymp. CXIII., 2., quo anno in exsilium abiisse credidit Demosthenem; in litteris enim, quas exsul ad senatum populumque Atheniensem dedit, saepius ad hanc caussam alludit, et prior terminus pendet ex Demosth. Aristogit. II. p. 803. R. Quodsi de auctoritate horum testimoniorum certo constaret, non esset, quod Tayloro opponi posset. Sed ille alter terminus, post quem habita esse ei videtur oratio, nititur uno tantum orationis adv. Aristogitonem secundae loco, cuius auctor facillime potuit temporum notationes negligere; item quum epistolarum quoque Demosthenicarum fides admodum manca et dubia sit, ne de altero quidem termino certi quid potest statui. Multo certius argumentum peti potest ex Dinarchi oratione adversus Aristogitonem. Etenim haec habita est tum post hanc caussam, de qua agimus, id quod initio orationis testantur haec verba: καὶ ὀφείλων τῷ δημοσίῳ κατὰ τῶν ἐπιτίμων γέγραφεν οὐκ ἐξὸν αὐτῷ, et §. 13.: οὐ τὸ τελευταῖον οὗτος ἐνδειχθεὶς ὑπὸ Λυκούργου καὶ ἐξελεγχθεὶς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ λέγειν οὐκ ἐξὸν αὐτῷ κ. τ. λ., tum post Demosthenis De-

madisque condemnationem in caussa Harpalica. Itaque quum Dinarchi oratio in Demosthenem, post quam demum Demosthenes condemnatus est, iure a Clintono in annum Olymp. CXIV. primum referatur, hic est terminus, ultra quem transgredi non licet, unde appareret, Taylorum errasse, qui nescio qua ratione motus iam Olymp. CXIII., 2. Demosthenem in exsilium abiisse sibi persuaserit. Videamus nunc de priore termino, ante quem oratio habita esse nequeat. Argumento illi Taylori ex altera Aristogitonia Demosthenis petito non tantum tribuo, ut eius caussa orationem post Olymp. CX., 3. habitam esse statuam. Aliud quid enim me movit, ut in eandem fere concederem sententiam. Quum enim ex Dinarchi verbis supra allatis (§. 13.) pateat, nullam interesse publicam caussam ab Aristogitone agitatam inter ἔνδειξιν a Lycurgo ei intentam et Harpalicam, necessario illa Hyperidei decreti post pugnam Chaeronensem facti accusatio, contra quam Hyperides se defendit oratione πρὸς Ἀριστογείτονα, ante ἔνδειξιν nostram instituta est. Circumscriptum igitur est tempus hisce fere terminis: Olymp. CX., 4. et Olymp. CXIV., 1. Accedit autem aliud quid ex Demosthenis Aristogitonia priore, quo propius acceditur ad veritatem. Hanc Philippo demum mortuo habitam esse coniici potest ex §. 37. ed. Bekk. τοῖς ὑπὲρ Φιλίππου τότε πράττουσι σανιὸν μισθώσας (Aristogitonem ipsum orator alloquitur). Mortuus est autem Philippus Olymp. CXI., 1. Porro Aristogitonem per quinque annos, ex quo ἄτιμος iudicatus erat, non prodiisse oratorem coram populo, disertis verbis declaratum est §. 42. p. 783.: οὗτος ὑμῖν οὐχὶ προσῆλθε πέντε ἐτῶν, ὧν ἀτιμήθη μὴ λέγειν αὐτῷ. Quum Hyperidei decreti accusatio inter caussas, quas Aristogito ἄτιμος contra leges instituerat (§. 38. p. 781.), non commemoretur, illam caussam ἐπίτιμος egit, unde consequi-

tur, Aristogitonem quinque demum post Olymp. CX., 4. annis a Lycurgo et Demosthene potuisse hac ἐνδείξεως lite impugnari. His quinque annis, nisi omnia me fallunt, duo insuper a Demosthene §. 38. commemorati addendi sunt, quibus, quanquam ἄτιμος, tamen mulcta fratri mandata publice agere coeperat: δύο ἔτη βιάζεται λέγειν οὗτος οὐκ ἐξὸν αὐτῷ. Adducti sumus igitur ad Olymp. CXII. annum fere tertium, ante quem oratio non potuisse haberi videatur. Clintonus autem quam computationem annorum secutus hanc actionem in Olymp. CXII., 2. retulerit, certe ex additis scriptorum locis non perspicitur. In hanc nostram temporis definitionem quadrat fortasse locus ex Demosth. Aristog. I. p. 781., in quo Demosthenes Aristogitoni exprobrat, quod se bis εὐθύνας διδόντα accusarit. Demosthenes enim Olymp. CX., 3. et theorico praefectus erat et τειχοποιός, quod utrumque munus est ὑπεύθυνον. Itaque quum orator ipse orat. de corona pag. 316. queratur, statim post pugnam Chaeronensem adversarios suos tanta in se vehementia irruisse, ut nomen suum primis maxime post eam temporibus in dies fere omnique iudiciorum genere ad iudices delatum sit (cf. Winiewski Commentar. historici et chronologici in Demosth. orat. de corona, Monast. 1829, pag. 258.), atque quum praeterea nihil constet de publica pecunia a Demosthene administrata, admodum probabilis videtur coniectura, has duplices rationes intelligi illo loco in Demosth. Aristog. Qua re item ad Olymp. CX., 4. ducimur.

Restat, ut inquiramus in caussam ipsam, atque tum ex Libanii argumento prioris Aristogitoniae tum ex hac oratione ipsa singula, quae ab oratore pertractata esse videantur, eruamus. Erat bis mulctatus Aristogito, atque primum quidem propter decretum, quod rogaverat contra Hieroclem quendam, qui

sacras vestes, a sacerdote ei traditas, ut εἰς τὸ ἱερὸν κυνηγέσιον portaret, deprehensus fuerat ut sacrilegus. Hoc decretum ut contra leges factum quum accusasset Phanostratus, Hieroclis pater, subscribente Demosthene, Aristogito condemnatur eique a iudicibus lis aestimatur quinque talentis. Cf. de hac re praeter Libanium etiam Dinarch. adv. Aristogit. p. 82. Οὐκ Ἀριστογείτων ἐστίν, ὦ Ἀθηναῖοι, ὁ κατὰ τῆς ἱερείας τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Βραυρωνίας καὶ τῶν οἰκείων αὐτῆς τοιαῦτα γράψας καὶ ψευσάμενος, ὥςθ' ὑμᾶς, ἐπειδὴ τὴν ἀλήθειαν ἐπύθεσθε παρὰ τῶν κατηγόρων, πέντε ταλάντων τιμῆσαι τοῦτον, ὁσόνπερ ἦν ἐπὶ τῇ τῶν παρανόμων γραφῇ τίμημα ἐπιγεγραμμένον; Libanius autem et Dinarchus ita a se discrepant invicem, ut, quod decretum Libanius Aristogitonem adversus Hieroclem rogasse contendit, Dinarchus contra sacerdotem Dianae Brauroniae ipsam eiusque aedituos ab Aristogitone latum esse dicat. Ex quo Dinarchi loco falsa quaedam conclusit Boeckhius Oeconom. civ. Athen. I. p. 410., quae correxit Schoemannus in libro de re iudic. Athen. p. 737. Uterque autem Libanii verborum fuit immemor. Illud ἱερὸν κυνηγέσιον, de quo Hieron. Wolfius aeque ac Taylorus suspensus est iudicii, pertinebat sine dubio ad Dianae Brauroniae templum, quod erat in arce Attica. Pausan. Atticis cap. XXIII. Cf. Corp. Inscr. I. p. 247. Alterum vero crimen, ex quo Aristogito aerario publico debebat, erat, quod in caussa publica ne quintam quidem suffragiorum partem tulerat. Itaque mille drachmis mulctatus est. Quum autem utramque mulctam intra praefinitum tempus non solvisset, novem enim prytaniarum spatium ad solvendum concedebatur, utraque duplicata est ex lege, ita ut fisco deberet decem talenta atque bis mille drachmas. Aristogito autem, ex quo mulcta ista iudicum decreto affectus erat, ἄτιμος erat ex eo genere, quos Mei-

erus infamia maxima adspersos appellavit (Hist. iur. Att. de bon. damnat. p. 137. sqq.). Fiscales debitores quum Athenis privati essent omni publice verba faciendi licentia, neque privatam aut publicam causam agere possent, Aristogito per tempus aliquod otium sibi invito impositum patienter tulit. Tandem partem mulctae transscribendam curat in fundum publicum, quem conduxerat (cf. Boeckh. Oeconom. civil. Athen. I. p. 326. et II. p. 47.). Hunc fratri Eunomo cedit, ut in eum ἀτιμίας poena ea conditione transeat, ut singulis quibusque annis talentum ducentasque drachmas aerario publico resolveret. Ipse autem se in integrum restitutum esse opinabatur atque ad consuetum vitae genus, ad forenses occupationes, rediit. Quod per duo annos impune fecit, donec a Lycurgo et Demosthene in ius vocatus est, qui nihili aestimabant fraudulentam istam aeris alieni transscriptionem. Praeterea autem propter tertiam quandam mulctam Aristogitonis nomen in debitorum fiscalium tabulis consignatum erat, quam falso inscriptam esse iactabat Aristogito et adeo Aristoni, qui inscribendum curaverat Aristogitonis nomen, ψευδεγγραφῆς litem intendit. Sed neque hanc Aristogitonis exceptionem curant Lycurgus et Demosthenes, quoniam haec tertia summa in libello accusatorio (ἀπογραφή) ne notata quidem erat (cf. Demosth. Aristog. I. §. 71. Bekk.). Aiunt enim: si Aristogito Aristonem vicerit, tum Aristogitone expuncto illum ex lege inscriptum iri, priusquam autem de re iudicium fiat, non decere eum in publico verba facere, qui iure fortasse sit inscriptus et falso accuset Aristonem. Liban. Argum. Demosth. Aristog.

In oratione ipsa, quae longior videtur fuisse, quum Demosthenes in exordio Aristogit. I. dicat, se diu assedisse, Lycurgus in singulis Aristogitonis cri-

minibus exagitandis versatus fuerat, Demosthenes vero φιλοσοφικώτερον καὶ περιοδικῶς, ut ait Libanius, orationem instituit, id quod testatur Demosthenes Aristogit. I. §. 14. τὰ μὲν οὖν περὶ τῆς ἐνδείξεως καὶ τῶν νόμων δίκαια αὐτὸν, ὅπερ πεποίηκε, Λυκοῦργον ἐρεῖν ἡγούμην. καὶ τοὺς μάρτυρας τῆς πονηρίας τῆς τούτου τοῦτον ἑώρων προσκαλούμενον. Hoc severe atque acriter Lycurgum fecisse, ex eodem Demosthene potest colligi §. 54. δεινῶν γὰρ ὄντων, οὐ μὲν οὖν ἐχόντων ὑπερβολὴν, ὧν ἠκούσατε ἄρτι λέγοντος Λυκούργου· et Aristogit. II. §. 1. ὅτι μὲν τοίνυν καὶ ὀφείλει τῷ δημοσίῳ Ἀριστογείτων οὑτοσὶ καὶ οὐκ ἔστιν ἐπίτιμος καὶ οἱ νόμοι διαῤῥήδην ἀπαγορεύουσι μὴ ἐξεῖναι λέγειν τοῖς τοιούτοις, φανερῶς ἐπιδέδεικται· et §. 16. ὅτι μὲν γὰρ πονηρὸς καὶ τὸν τρόπον ἄδικος, ἱκανῶς ὑμῖν, ὡς ἔγωγ' οἶμαι, ἐκ τῶν προειρημένων Λυκοῦργος ἐπιδέδειχεν. Quamquam autem Lycurgus in id potissimum oratione incubuerat, ut quo iure ἔνδειξις instituenda fuerit, perspiceretur, tamen ab eo nonnulla de hoc genere praetermissa fuisse Demosthenes fidem facit §. 69. Ἡγοῦμαι τοίνυν καὶ περὶ τῆς ἐνδείξεως, ἃ μοι παραλείπειν ἔδοξε Λυκοῦργος, βέλτιον εἶναι πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν. In sequentibus enim Demosthenes pecuniam civitati debitam ad hominum vulgarium intelligentiam accommodate comparat cum aere alieno, quod quis homini privato debet, unde probabile fit, Lycurgum magis civitatis rationes in oratione sectatum esse ἐνδείξεως constituendae caussa, quam ad auditores sese demisisse. In fine orationis Lycurgus Minervam et Matrem Deorum invocaverat, Demosth. Aristog. I. §. 97. Λυκοῦργος μὲν οὖν τὴν Ἀθηνᾶν ἐμαρτύρετο καὶ τὴν μητέρα τῶν θεῶν, καὶ καλῶς ἐποίει· idque pro more suo fecerat. Cf. init. Leocrateae. Lycurgi enim formam dicendi ita exprimit Dionysius Halicarnasseus (de vett. script. censura Vol. V. p. 433. R.): ὁ δὲ Λυκοῦργός ἐστι διὰ παντὸς αὐξητικὸς καὶ διῳρμένος καὶ σεμνός. Cf. Hermog. de

formis orat. II, 10. p. 486. edit. Gasp. Laurentii Colon. MDCXIV.

Magnopere est dolendum, quod ne unum quidem longioris ambitus fragmentum ex oratione ipsa superest. Plurium enim caussarum formas, de quibus magna nostris temporibus est controversia doctorum hominum, magis compertas haberemus, veluti ἔνδειξιν ipsam et ἀγραφίου, ψευδεγγραφῆς et βουλεύσεως actiones. Atque ψευδεγγραφῆς quidem actionem accurate a Lycurgo definitam esse auctor est Suidas s. v. ψευδὴς ἐγγραφή ita disserens: *Τοῦτο ὄνομα δίκης. ζητήσαι δ' ἄν τις, τίνι διαφέρει ψευδεγγραφὴ βουλεύσεως. καὶ γὰρ διαφέροντα τίθησιν ὁ Λυκοῦργος. τάχα οὖν ψευδεγγραφῆς μὲν ἐλάγχανον οἱ μὴ ὀφείλοντες μέν, ἐγγραφέντες δὲ ψευδῶς. βουλεύσεως δὲ οἱ πάλαι μὲν ὠφληκότες. ἀποδόντες δὲ καὶ αὖθις κατ' ἐπιβουλὴν ψευδῶς ἐγγραφέντες.* quibuscum conferenda sunt Harpocrationis verba s. v. ψευδεγγραφή· *Ὄνομα δίκης ἐστίν, ἣν εἰσίασιν οἱ γεγραμμένοι ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ, ὡς καταψευσαμένου αὐτῶν τοῦ ἐγγράψαντος ἐν τῇ σανίδι τῇ παρὰ τῇ θεῷ κειμένῃ, ὡς ἀδίκως ἐγγραφέντες ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ. Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος καὶ Ἰσαῖος μνημονεύουσι τοῦ ὀνόματος.* Debebat Lycurgus huius caussae mentionem iniicere, ubi in accusando Aristogitone ad litem Aristoni de tertia ista mulcta intentam pervenit. At quanquam Suidas discrimen ab eo factum esse narrat inter *βούλευσιν* et *ψευδεγγραφήν*, tamen mirandum est, quod Demosthenes in eadem re *βούλευσεως* vocabulo usus est. Aristogit. I. p. 791. l. 25. Harpocrat. s. v. *βούλευσις*. Assentior igitur Meiero, hanc distinctionem ex sola Suidae mente profectam esse statuenti. Iam vero quispiam quaerat, qui fieri potuerit, ut Aristogito, *ἄτιμος* iudicatus, caussam in foro ageret. Neque ratione destituta ea est quaestio. Meierus de re iudic. Athen. p. 340. ob id ipsum atque alia quaedam, quae in hac caussa singularia videantur, eam

iccirco tantum caussis publicis adnumeratam fuisse censuit, quod ad fiscales debitores pertinuerit. Sed huius argumenti vim non perspicio. Est enim proprium huius caussae, civitati sua vindicare. Qui falso inscriptus erat, nullo modo potuit cogi, ut notatam summam civitati solveret, cuius ut ne iacturam faceret civitas, cautum erat ista actione. Porro tantum ab eo, qui falso inscriptus fuerit, eam potuisse institui, a nemine diserte traditur. Plerumque autem ab hoc motam esse, ad cuius potissimum commoda pertinebat, nemini mirum videbitur. Quod autem ἄτιμος erat ὁ ψευδῶς ἐγγραφείς, hoc non tam singulare videtur, ut propterea caussis publicis eximenda sit, praesertim quum neque privatam caussam agere licitum fuerit fiscali debitori. Videtur ista actio plerumque statim post litis diiudicationem instituta esse. Ubi autem litigans iste ἄτιμος reus agebatur, quod litigandi potestatem non haberet, necessario illud prius diiudicandum erat, esset iure inscriptus, necne, quoniam nisi iure inscriptus erat in fiscalium debitorum tabulas, nullus erat ἐνδείξεως locus. Contra si ἔνδειξις nihilosecius ei intendebatur, non potuit nisi post huius diiudicationem inscriptor fraudulentus ab inscripto reus agi. In nostra autem caussa plane non opus erat, ut ea controversia inter Aristonem et Aristogitonem componeretur, quoniam duo insuper erant crimina, quorum caussa Aristogito in iudicium vocatus erat, quae quidem certa atque Aristogitonis artificiis inaccessa fuisse videntur. Atque hoc quidem non curasse videtur Boeckhius V. Ill., qui adnotatione aliqua ad Meieri librum l. c. proposuit duas de hac caussa coniecturas, quibus ipse non multum inesse ponderis ingenue fatetur. Ἄδεια enim, quae altera est eius coniectura, non videtur concessa esse, quum ea omnino opus non esset. Cur enim data non sit Aristogitoni, qui, etiamsi Aristonem

nem

nem vicisset, nihilominus ἄτιμος erat propter duas istas mulctas? Attamen institutam esse ab eo actionem βουλεύσεως Demosthenes dicit, sed veniam nusquam commemorat, neque alius quis veterum. Atque Meierus ipse, cum dicit: „Wer einmal als Staatsschuldner eingeschrieben ist, gilt so lange dafür und also auch für ἄτιμος, bis er beweis't, daſs es mit Unrecht geschehen sei"; permittit ἀτίμῳ ius suum vindicandi potestatem, quod alia ratione fieri non potuit, nisi ψευδεγγραφῆς actione. Prius autem illud Boeckhii, quod dicit, eum, qui eiusmodi caussam ageret, nondum re vera ἄτιμον iudicatum fuisse, multo minorem habet veritatis speciem, quoniam illud ipsum quaeritur, utrum iure sit inscriptus et ἄτιμος, necne.

Similis est controversia de ἀγραφίου actione, de qua Harpocratio haec docet s. v. Ἀγραφίου. εἶδός τι δίκης οὕτω καλουμένης κατὰ τῶν ὀφειλόντων μὲν τῷ δημοσίῳ καὶ διὰ τοῦτο ἐγγραφέντων, εἶτα πρὶν ἐκτῖσαι ἐξαλειφθέντων. διδάσκουσι δὲ τοῦθ' οὕτως ἔχειν — — — καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος. Differt Hesychii explicatio s. v. ab Harpocrationis verbis, de qua re cf. Meierum de re iudic. Athen. p. 353. sq. Videtur autem duplex fuisse huius actionis ratio, id quod testantur Lex. Rhetor. pag. 199. 28. ἐνίοτε δὲ καὶ κατὰ τῶν ἐγγραφόντων τοὺς μὴ ὀφείλοντας et Etymol. M. s. v. Monuit iam Meierus, hoc additamentum ad ψευδεγγραφήν potius pertinere atque fortasse scribendum esse κατὰ τῶν μὴ ἐγγραφόντων τοὺς ὀφείλοντας, ita ut altera forma huius actionis sit ea, quam Harpocratio ex Lycurgo descripsit, altera autem adversus eos obtinuerit, qui fiscales debitores in tabulas non retulissent. Vere Meierum statuisse, ex Photii loco (Append. Porson. p. 573. edit. Lips.) potest perspici, quem non attulit Meierus. Ibi enim ita est scriptum: ἀγραφίου δίκη· κατὰ τοῦ τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ μὴ ἐγγράψαντος· καὶ τὸν τὸ ῥητὸν ἀποδόντα οἷς ὤφειλεν.

quae verba fortasse ita reconcinnanda sunt, ut post ὤφειλεν addatur μὴ ἐξαλείψαντος.

Harpocrat. s. v. *Χιλιωθέντα. Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Ἀριστογείτονος, ἀντὶ τοῦ χιλίας ὄφλοντα.* Apud Suidam s. v. ead. *ἀντὶ τοῦ χίλια σοφὰ ὄντα· ὡς Λυκοῦργος* scribendum esse *χιλίας ὄφλοντα* dudum vidit Paul. Leop. Emend. lib. XVI. c. 20. et Kuesterus. Apud Hesych. s. v. *χιλωθῆναι. χιλίας δραχμὰς ζημιωθῆναι,* scribe *χιλιωθῆναι* cum Schrevelio, quod vitium residet in Phavorino s. v. *χιλωθῆναι.* Lex. Rhetor. p. 315. 30. Pollux habet *χιλίας ὀφλεῖν* VIII, 53.

Harpocrat. s. v. *Ἡλικία. ἀντὶ τοῦ ἐν ἡλικίᾳ οἱ νέοι. Λυκοῦργος κατ' Ἀριστογείτονος καὶ Δημοσθένης Φιλιππικοῖς.* Photius s. v. *ἡλικία τῆς πόλεως. ἀντὶ τοῦ ἐν ἡλικίᾳ οἱ νέοι· οὕτω Λυσίας καὶ Δημοσθένης ἐν Φιλιππικοῖς·* cum quo Suidas s. v. congruit. Cf. apud Lysiam p. 108. *ἡλικίας ἁπάσης ἀπούσης·* et Fr. Goellerum ad Thucyd. II, 36.

Harpocrat. s. v. *τρίγωνον δικαστήριον. Λυκοῦργος κατ' Ἀριστογείτονος. ὄνομά ἐστι δικαστηρίου ἴσως καὶ τῷ σχήματι τριγώνου ὄντος. μνημονεύουσιν αὐτοῦ ἄλλοι τε καὶ Μένανδρος ἐν τῇ...* Cum his convenit Photio duplici lemmate s. v. *τρίγωνον δικαστήριον* et *τρίγωνον* et Suidae s. v. *τρίγωνον*, quamquam non addito Lycurgi nomine. Poll. VIII, 121. *τρίγωνον δικαστήριον, οὗ μέμνηται Λείναρχος.* Huius iudicii meminit hinc Rhodiginus XII. Ant. Lect. 18.; de huius, Heliaeae, Parabysti et Metichii nomine breviter Sigonius lib. I. de Rep. Athen. cap. 3. et III, c. 4. Jungerm. Cf. de hoc dicasterio aliisque Schoemann. de sortitione iudicum apud Athenienses, Gryphisw. 1821. pag. 33. sqq. et Voemelium de Heliaea, Francof. 1822.

Harpocrat. s. v. *ὄρυγμα. ἰδίως οὕτως ἐκαλεῖτο ἐφ' οὗ οἱ κακοῦργοι ἐκολάζοντο Ἀθήνησι. Λυκοῦργος κατ' Ἀριστογείτονος.* Cf. Meursium Lectt. Att. I, 25. Vales. ad

Harpocrat. s. v. *βάραθρον*. Ruhnken. ad Timaeum s. v. *βάραθρον*. Meier. de bon. damnat. p. 19. not. a. Blumium ad Lycurg. Leocrat. XXX, 11. et Wurmium ad Dinarch. pag. 108. Nil proclivius erat oratori, quam huius loci mentionem iniicere, quum Demosthenes et Dinarchus in orationibus adversus Aristogitonem dicant, eum plus temporis in custodia versatum fuisse, quam extra eam.

Harpocrat. s. v. *Μητρῷον*. *Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος. τοὺς νόμους ἔθεντο ἀναγράψαντες ἐν τῷ Μητρῴῳ.* Eadem habet Suidas s. v. Cf. quae congessit Schoemannus in libro de re iudic. Athen. p. 661. n. 7.

II. *Κατ' Αὐτολύκου.*

Autolyci accusationem Lycurgus ipse commemoravit Leocrat. cap. XIII. *Ἀλλὰ μὴν Αὐτολύκου μὲν ὑμεῖς κατεψηφίσασθε, μείναντος μὲν αὐτοῦ ἐν τοῖς κινδύνοις, ἔχοντος δὲ αἰτίαν τοὺς υἱεῖς καὶ τὴν γυναῖκα ὑπεκθέσθαι καὶ ἐτιμωρήσασθε.* Hinc scriptum est in argumento Leocrateae: *ἔοικε δὲ ἡ τοῦ λόγου ὑπόθεσις τῇ τοῦ κατὰ Αὐτολύκου.* et apud Harpocrationem s. v. *Αὐτόλυκος· Λυκούργου λόγος ἐστὶ κατ' Αὐτολύκου τοῦ Ἀρεοπαγίτου. οὗτος δὲ τοὺς οἰκείους ὑπεκτιθέμενος ἐν τοῖς Χαιρωνικοῖς ἑάλω καὶ κατεψηφίσαντο αὐτοῦ οἱ δικασταί, ὡς ὁ αὐτὸς δηλοῖ ῥήτωρ ἐν τῷ κατὰ Λεωκράτους.* Ad quem locum Maussacus ignorare se dicit, an Eupolidis comici drama, quod inscribebatur *Αὐτόλυκος*, contra hunc Autolycum conceptum fuerit, quum Euripidem quoque *Αὐτόλυκον Σατυρικόν* docuisse auctor sit Pollux X, 23. et 46. Sed utrumque drama ad fabulosum Autolycum, de quo Heynius ad Apollodor. pag. 74. et 134. disputavit, pertinuisse certissimum videtur esse. Eundem autem Autolycum Areopagitam ab Aeschine orat. adv. Timarchum §. 34.

laudari, quem Lycurgus oratione perstrinxit, aetas nobis fidem facit. Aeschinis enim adversus Timarchum oratio acta est post legationem anno 345. susceptam et ante orationem περὶ παραπρεσβείας a. 343. habitam, et haec Lycurgi oratio post pugnam Chaeronensem et ante Leocratis accusationem, ita ut Clintonus illam anno 345. a. Ch. n., hanc 337. adscripserit. Neque obstat, quod ab Aeschine appellatur Autolycus Areopagita σεμνῶς καὶ ἀξίως τοῦ συνεδρίου ἐκείνου βεβιωκώς. Nam crimen, quod aggreditur Lycurgus, tum posteriore tempore est commissum, tum excusationem aliquam habet in vitae servandae studio. Ceterum praeter Suidam Plutarchus quoque in vita Lyc. p. 256. et 257. Autolycum Areopagitam a Lycurgo δειλίας reum actum et caussa victum esse narrat. Quibus in locis mirabiliter offendit A. G. Beckerus, cuius errorem a Pinzgero pag. 33. exagitatum nil moror.

Unum tantummodo verbum ex hac oratione superest apud Harpocrat. s.v. ἠρία. Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Αὐτολύκου. ἠρία εἰσὶν οἱ τάφοι, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ ῥήτωρ (fort. ὁ αὐτὸς) δῆλον ποιεῖ. Cf. de hoc vocabulo a Valesio adnotata Tom. II. p. 324. edit. Lips. et Wurmii Commentar. in Dinarchi orationes p. 176. et 182.

III. Κατὰ Λεωκράτους.

Oratio adversus Leocratem sola ex omnibus Lycurgi orationibus integra ad nos pervenit, de qua post Taylorum et Pinzgerum, in prolegomenis ad editiones a se curatas de genere et statu caussae accurate disserentes, non est quod disputemus. A nemine unquam istius orationis γνησιότης in dubium vocata est, imo eam pro praestantissima omnium Lycurgi orationum habitam esse, vel hoc potest testificari, quod sola superest.

Commemoratur autem Leocratis caussa et Lycurgi oratio a plurimis veterum, veluti ab Aeschine ipso orat. adv. Ctesiph. pag. 203. ed. Brem. *ἕτερος δ' ἰδιώτης ἐκπλεύσας εἰς Ῥόδον, ὅτι τὸν φόβον ἀνάνδρως ἤνεγκε, πρώην ποτὲ εἰσηγγέλθη, καὶ ἴσαι αἱ ψῆφοι αὐτῷ ἐγένοντο. εἰ δὲ μία μόνον μετέπεσεν, ὑπερώριστ' ἂν ἢ ἀπέθανεν.* quibuscum conf. Scholiastae verba ap. Reisk. Vol. I. p. 769. *τὸν Λεωκράτην νοεῖ οὗ κατηγόρησε Λυκοῦργος. διαμένει δὲ καὶ ὁ λόγος ἐνταῦθα κείμενος.* Hoc Aeschinis de Leocratea testimonium vetustissimum est, quoniam eodem anno editum est, quo Leocrateam habuit Lycurgus, Ol. CXII., 3. Huic adde, quae Taylorus veterum testimonia collegit Prolegom. pag. 40. Beck. Harpocrationis s. v. *Αὐτόλυκος· Εὐρυμέδων· Ἵππαρχος· Κατάγειν τὰ πλοῖα· Τυραιῶς*; Strabonis l. XIII. p. 601.; Eustathii p. 460. R. (Iliad. δ'. 163.); Athenaei l. XIII. p. 586. F.; Schol. Aristoph. Plut. v. 182.; quibus Suidam adiiciam s. v. *πεπορπημένος*, apud quem vitiose scriptum est *Τιμοκράτους*, quod dudum correxit Maussacus ad Harpocr. s. v. *Αὐτόλυκος*.

Ceterum novissimis temporibus edita est ea oratio ab Arm. Blumio, utilissimo commentario instructa.

IV. *Κατὰ Λυκόφρονος β'.*

Notissimus est Lycophro Thessalus, qui cum fratribus Tisiphono et Pitholao Alexandrum, Pherarum tyrannum, Thebes sororis maritum, interfecit [1]). Qui quamquam cum Atheniensibus et Phocensibus foedere coniunctus erat, tamen non potuit ab oratore Attico εἰσαγγελίᾳ reus agi, quo genere accusationis Lycurgus usus est contra Lycophronem. Cf. Harpocrat. s. v.

1) Cf. Voemelii Prolusion. in Demosth. Philipp. I. p. 85 sqq

Ἡσυχίδες. Eandem ob caussam neque Aristotelis verba Rhetor. III. c. 9.: καὶ ὁ εἰς Πειθόλαόν τις εἶπε καὶ Λυκόφρονα ἐν δικαστηρίῳ, οὗτοι δ' ὑμᾶς οἴκοι μὲν ὄντες ἡσυχίουν, ἐλθόντες δ' ὡς ὑμᾶς ἐώνηνται· ad hanc caussam possunt traduci, quamquam Athenis videntur dicta esse. Statuendum est igitur, vixisse Athenis civem ita nominatum, qui fortasse ad ipsam oratoris familiam pertinuit, in qua hoc nomen frequentaretur. Obtinet autem in his orationibus excitandis quadruplex ratio. Citatur enim Λυκοῦργος ἐν πρώτῳ, ἐν δευτέρῳ, ἐν τῇ κατὰ Λυκόφρονος εἰσαγγελίᾳ et κατὰ Λυκόφρονος nulla addita vel numeri vel caussae significatione. Exoritur igitur difficultas quaedam in singulis fragmentis ad alterutram orationem referendis, quoniam, si Suidam sequimur, duae tantum circumferebantur Lycurgi orationes κατὰ Λυκόφρονος.

Ac primae quidem orationis certa habemus testimonia apud Athenaeum VI. p. 266. F. et Harpocrationem s. v. ἱπνός.

Athen. VI. l. c. habet haec: Ἀθηναῖοι δὲ καὶ τῆς τῶν δούλων προνοοῦντες τύχης ἐνομοθέτησαν καὶ ὑπὲρ δούλων γραφὰς ὕβρεως εἶναι. Ὑπερίδης γοῦν ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ κατὰ Μαντιθέου αἰκίας φησίν· Ἔθεσαν οὐ μόνον ὑπὲρ τῶν ἐλευθέρων, ἀλλὰ καὶ ἐάν τις εἰς δούλου σῶμα ὑβρίσῃ, γραφὰς εἶναι κατὰ τοῦ ὑβρίσαντος. Τὰ ὅμοια εἴρηκε καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος πρώτῳ καὶ Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου (p. 529. R., ubi lex ipsa reperitur, de qua consulas Meieri adnotationem criticam).

Ex his non temere quis coniiciat, hanc orationem in γραφῇ ὕβρεως dictam fuisse, quam Lycophro in servo exercuerat, de qua Meierus egit in libro de lite Attica p. 319. — 326. Circumlatas autem fuisse Lysiae et Lycurgi orationes ὕβρεως auctor est Theo Progymnasm. p. 8. ed. Camerar.: καὶ Δημοσθένης εἰς τὸν κατὰ Μειδίου τά τε Λυσίου καὶ Λυκούργου ἐκ τῶν τῆς ὕβρεως λόγων (μετ-

ενήνοχε); de qua re cf. Meierum in Praef. ad Indic. scholarum in univ. Halensi per aestat. anni MDCCCXXXII. habendarum pag. 6. Iam cum praeter hanc orationem nulla videatur Lycurgi oratio in actione ὕβρεως habita esse, necessario in hanc primam cadit Theonis inscriptio. Ex eo autem, quod Demosthenes in Midiana quaedam mutuatus est ex hac Lycurgi oratione, simul tempus potest aliqua certe ratione definiri. Nimirum necesse est acta sit ante Midianam, quae, si Boeckhium sequare de Oecon. civ. Athen. II. p. 62., habita est Olymp. CVI., 4., si Dionysium Halic., CVII., 4., denique si Clintonum, Ol. CVIII., 4. habita est.

Porro primae orationis mentionem diserte fecit Harpocratio s. v. ἱπνός. *Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος πρώτῳ. μέρος τι τῆς οἰκίας οὕτω καλεῖται, τὸ λεγόμενον παρ' ἡμῖν μαγειρεῖον. ἔστι γοῦν δρᾶμα Φερεκράτει Ἱπνὸς ἢ Παννυχίς, ἐν ᾧ δηλοῦται τοῦτο, ὅτι μέρος τῆς οἰκίας ἐστίν. λέγεται δὲ κυρίως ἱπνὸς ἡ κάμινος. ὅθεν καὶ ἱπνοπλάθους τινὰς ὀνομάζουσιν.*

De significatione huius vocabuli, a poetis comicis frequentius usurpati, cf. Hemsterhus. ad Aristophan. Plut. vs. 816. pag. 278. sqq. ed. Lips. Dawes. Miscell. Crit. p. 200., Grammaticorum et lexicographorum interpretamenta vide in Stephani thesauro s. v. Quum variis modis scribatur, ἵπνος, ἴπνος, ἶπνος et ἰπνός, hoc, quod codicum scriptura probatur, videtur praeferendum esse, Dindorfius in fragmento Cocali Aristophaneae pag. 90. item Ἰπνός praetulit. Eustath. ad Iliad. p. 16. 42. Rom.: *ὁ ἵπνος βαρυτόνως ἡ ἱπνὸς ὀξυτόνως, δι' οὗ δηλοῦται ἡ ἑστία ἢ ὁ κλίβανος.* Depravatae scripturae exempla apud Meinekium Quaest. scen. II. p. 35. 36. congesta sunt. Lobeckius, quum ad Phrynichum pag. 276. de voce μαγειρεῖον erudite ac copiose ageret, huius vocabuli videtur immemor fuisse, quamquam et ab Etym. M. et Photio vocabulum ἰπνός adhi-

bita μαγειρεῖον voce explicetur. Inde, quod μαγειρεῖον Phrynicho improbatur, de aetate Harpocrationis, qua μαγειρεῖον in ore hominum erat, aliquid concludi possit. Cf. Harpocr. s. v. ἀγοράς. Quod vestigiorum genus plane praetermisit Maussacus Dissertat. critica. Ceterum nil miri habet haec culinae commemoratio in oratione facta, qua servorum res orator persequebatur.

Ex eadem oratione videtur vox ἀνδραποδιστής ab Harpocratione petita esse. Harpocratio enim s. h. v. hoc fragmentum servavit: Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος· θαυμάζω δ' ἐγώ, εἰ τοὺς ἀνδραποδιστὰς τῶν οἰκετῶν ἡμᾶς ἀποστεροῦντας μόνον θανάτῳ ζημιοῦν. Quam habet Cod. Vratisl. diversitatem scripturae εἰς pro εἰ et μόνῳ pro μόνον, ea profecta est a librario, qui sententia fragmenti male intellecta correctione locum sanare voluit. Reiicienda autem est illius scriptura, quod neque ζημιοῦν εἴς τινα dicitur graece, neque θαυμάζειν cum infinitivo struitur. Quum aperte abrupta sint Lycurgi verba, addendum esse censeo γέγραπται vel νενομοθέτηται vel aliud quid similis argumenti, quae vocabuli omissio in lexicographo non debet esse mira, quum plura enunciati verba videantur omissa esse. Haec autem est sententia: Miror, quod in andrapodistas, qui servos nobis abripiunt tantummodo, mortis poena legibus est constituta. Sequebatur igitur tale quid: „Contra eos autem, qui servum tam contumeliose tractant, ut pereat, alia quaedam poena constituta est minus gravis". Nam servus abreptus tantum recuperari poterat. Sed nolo haec pro certis venditare. Duplex autem erat andrapodistarum genus: alterum eorum, qui liberos homines raptos venderent; alterum, qui servos dominis suis abriperent. Cf. Meierum de lite Attica p. 229. et 360., nostri loci item memorem, et Hemsterhusium ad Aristoph. Plutum p. 152. 153. 154. ed. Lips.

Ad eandem orationem refero Harpocrat. s. v. *Μελανίππειον. Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος.* Suspicor enim, Melanippi heroum servorum fuisse asylum, ut Thesei patris templum, quamquam certo non constat. Cf. Meursii Theseum cap. 30. Siebelis. ad *Ἀτθιδ.* fragm. p. 33. et Leakii topograph. Athen. p. 182. translat. vernacul.

Ex praegressorum fragmentorum contemplatione apparet porro, quam vere Valesius in notis ad Maussaci notas in Harpocrat. p. 448. ed. Lips. locum Theonis emendarit, qui est Progymn. p. 14. ed. Camer. Ibi enim dicitur *τόπος ὁ καλούμενος* reperiri *ἔτι δὲ καὶ Λυκούργου κατὰ Μόσχου ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος*, in quibus libenter *μοιχοῦ* cum Valesio mutas. Locum ipsum in priore adversus Lycurgum oratione lectum fuisse arbitror.

Alterius orationis certum exstat testimonium apud Harpocrationem s. v. *ὁρκάνη. Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος δευτέρῳ. μήποτε ὁ φραγμός, τουτέστι περίφραγμα καὶ ἡ αἱμασιὰ οὕτω καλεῖται.* Ita etiam Suidas. De vocabuli *ὁρκάνη* significatione eadem fere tradunt lexicon apud Bekker. Anecd. I, 285. 11. Photius et Eustath. ad Iliad. libr. II. p. 233. 41. Rom. Photius altero lemmate et Hesychius interpretantur per *εἱρκτή, σαργάνη, δεσμωτήριον, κρεμάθρα.* Cf. Blomfield. ad Aeschyl. Septem vs. 338. et Schol. Exstabat hoc vocabulum in Pollucis Onomastico V, 37. ante Jungermannum, qui ex Mss. *Τρκαναί* restituit. Aptissima videtur huic loco carceris significatio. Quum praeter hoc certum orationis secundae vestigium nihil servatum sit, unde argumentum eius assequi quis possit, in medio omnis haec quaestio est relinquenda.

Transeamus ad reliqua orationum *κατὰ Λυκόφρονος* inscriptarum fragmenta.

Harpocrat. s. v. Ὑακινθίδες· Λυκοῦργος ἐν τῇ κατὰ Λυκόφρονος εἰσαγγελίᾳ. εἰσὶ δὲ θυγατέρες Ὑακίνθου τοῦ Λακεδαιμονίου.

Utra fuerit orationum εἰσαγγελία certo demonstrari nequit. Si recte contendimus, priorem fuisse in actione ὕβρεως habitam, non fuit ea item εἰσαγγελία, nisi quis censeat fuisse εἰσαγγελίαν ex altero genere, quod propter κακώσεις instituebatur, quae quidem εἰσαγγελία non ita est cognita et in aperto posita, ut certi quid statuere ausim. Cf. Meierum de lite Attica p. 269. 270. Itaque quum duae fuerint tantum κατὰ Λυκόφρονος orationes, in alteram cadit ista inscriptio. Lycophronem autem contra hanc Lycurgi accusationem defensum fuisse ab Hyperide, iam Meierus de lite Attica p. 260. suspicatus est. Hyperidis orationem pro Lycophrone in εἰσαγγελίᾳ habitam fuisse, admodum probabile fit Polluc. Onom. VIII, 52.

Nomen Hyacinthidum autem duplicem habet in fabulis Atticis significationem. Appellantur enim ita non solum filiae Erechthei, de quibus docte disputavit Valesius ad h. l. et quas cum Cecropis filiabus confundi ostendit Pinzgerus ad Leocrat. cap. XXIV. pag. 225., sed etiam Hyacinthi cuiusdam, Lacedaemonii, filiae; in quo ab altero Hyacintho, Apollinis deliciis, distinguendo non satis caute versatus est I. Meursius Lect. Att. IV, 18. Harum meminit praeter Harpocrationem loco supra allato etiam Apollodorus III, 15, 8.: γενομένου δὲ τῇ πόλει λιμοῦ τε καὶ λοιμοῦ, τὸ μὲν πρῶτον κατὰ λόγιον Ἀθηναῖοι παλαιὸν τὰς Ὑακίνθου κόρας Ἀνθηΐδα, Αἰγληΐδα, (Ἡνθηνίδα,) Ἀνταίαν, Ὀρθαίαν, ἐπὶ τὸν Ἡραίστου τοῦ Κύκλωπος τάφον κατέσφαξαν. τούτων δὲ ὁ πατὴρ Ὑάκινθος ἐλθὼν ἐκ Λακεδαίμονος Ἀθήνας κατῴκει. Cf. Heyn. Observatt. ad Apollodor. p. 346. et Hoeck. Cret. Vol. II. p. 92. Valesius igitur, qui Harpocrationem errasse dicit, ipse vehementer errat. De Hyacinthi-

dum autem nominibus non convenit Stephano Byzantino et Hygino cum Apollodoro. Ille enim s. v. *Λουσία· τῶν Ὑακίνθου θυγατέρων ἦν.* ait, et eandem videtur intelligere, quae ab Apollodoro *Ανταία* nuncupatur, quod nomen mutandum esse censeo, quum Lusiae nomen etiam aliunde constet. Cf. Grotefend. de pagis Atticis s. v. Hyginus vero Narrat. CCXXXVIII.: „*Hyacinthus Spariantidem filiam ex responso pro Atheniensibus (occidit)*". Quod nomen quum Apollodoro incognitum sit, fortasse corruptum est, ita ut scriptum fuisse suspicer *Spartiatidem filiam.* Hyginum enim, quum latina ex graecis converteret, certe in patronymicis aliquoties lapsum esse eaque aliquando pro ipsis natorum propriis nominibus accepisse, haud uno exemplo demonstravit Iac. Perizonius Animadv. histor. cap. IX. p. 407. sqq. ed. Harles.

Vix autem potest ex hac Hyacinthidum commemoratione lucis aliquid orationis argumento conciliari. Multus fuit Lycurgus in fabulosa Atheniensium historia orationibus immiscenda, id quod et Hermogenes testatur de formis oration. lib. II. p. 500. edit. Colon. 1614. *χρῆται δὲ πολλαῖς πολλάκις καὶ ταῖς παρεκβάσεσιν ἐπὶ μύθους καὶ ἱστορίας καὶ ποιήματα φερόμενος. ἃ δὴ τῆς φαινομένης ἐστὶ καὶ αὐτὰ δεινότητος.* et oratio adv. Leocratem Iuculentissimo comprobat testimonio, in qua inde a cap. XX. usque ad cap. XXV. plane similia ex antiqua Atticorum historia ab oratore tanquam exempla virtutis exponuntur. Prorsus autem accommodate ad oratorem nostrum Phocion Hyacinthidum exemplo usus est, quum Alexander post Thebarum excidium, ut decem oratores sibi ad vindicandum traderentur, ab Atheniensium populo postulasset. Diod. Sic. XVII. c. 15. *πολλῶν δὲ λόγων γινομένων κατὰ τὴν ἐκκλησίαν, Φωκίων μὲν ὁ χρηστὸς — ἔφη δεῖν τοὺς ἐξαιτουμένους μιμήσασθαι τὰς Λεω κόρας καὶ τὰς Ὑακινθίδας, καὶ τὸν θά-*

νατον ἑκουσίως ὑπομεῖναι, ἕνεκα τοῦ μηδὲν ἀνήκετον παθεῖν τὴν πατρίδα. ad quem locum cf. eruditam Wesselingii adnotationem. Illam oratorum consuetudinem ex Isocratis potissimum disciplina adscitam etiam sophistae coluerunt, de quibus cf. Iacob. Morellium ad Aristid. Leptin. p. 160. ed. Grauert.

In eiusmodi digressione historica ad iudicum pectora patriae amore inflammanda orator etiam Harmodii Aristogitonisque factum celebrare potuit, id quod coniicio ex Harpocrat. s. v. *Ἵππαρχος*. Ibi enim: *ἕτερος δ' ἐστὶν Ἵππαρχος, περὶ οὗ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονός φησιν, Ἵππαρχος ὁ Πεισιστράτου·* memoriae proditum est. Cum quo lemmate coniungendum videtur aliud Harpocrationis lemma, quod non satis emendate vulgo scribi solet: *Κανηφόροι, Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος. Περὶ τῶν κανηφόρων Φιλόχορος ἐν δευτέρᾳ Ἀτθίδος φησὶν· ὡς Ἐριχθονίου βασιλεύοντος πρῶτον κατέστησαν αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι φέρειν τὰ κανᾶ τῇ θεῷ κ. τ. λ.* Interpungendum est enim post *Λυκόφρονος*, non vero post *κανηφόρων*, quod fugit Siebelisium p. 24. Ut autem canephororum commemorationem cum Hipparcho, Pisistrati filio, coniungam, moveor Thucydidis narratione VI, 56.: *ἀδελφὴν γὰρ αὐτοῦ (Ἁρμοδίου) κόρην ἐπαγγείλαντες ἥκειν κανοῦν οἴσουσαν ἐν πομπῇ τινι, ἀπήλασαν λέγοντες οὐδὲ ἐπαγγεῖλαι τὴν ἀρχὴν διὰ τὸ μὴ ἀξίαν εἶναι·* et Aelian. XI, 8. *Ἵππαρχος ἀνῃρέθη ὑπὸ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος, ὅτι ἐν τοῖς Παναθηναϊκοῖς κομίσαι κανοῦν τῇ θεῷ κατὰ τὸν νόμον τὸν ἐπιχώριον οὐκ εἴασε τὴν ἀδελφὴν τὴν Ἁρμοδίου καὶ ἴσως ἀξίαν οὖσαν·* ubi vide Perizonium. De canephoris virginibus cf. praeter Siebelis. l. c. Odofr. Muellerum ad Leak. topograph. Athen. p. 448. ed. Hal. Spanhem. ad Callim. Cerer. vs. 127. et quem citat Muellerus, Panelium de cistophoris, Lugd. 1734. 4. pag. 14. sqq. Quae virgines si ex alia quadam Lycurgi oratione commemoratae essent ab Harpocratione, veluti

ex ἀπολογισμῷ vel ex oratione περὶ διοικήσεως, credideriim oratorem locutum esse de eo, quod in decreto traditum est (pag. 278.): καὶ παρασκευάσας τῇ θεῷ κόσμον, νίκας τε ὁλοχρύσους πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργύρεα καὶ κόσμον χρυσοῦν εἰς ἑκατὸν κανηφόρους.

Harpocrationis verba s. v. πεφασμένης· Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος ἀντὶ τοῦ γεγενημένης ita possunt ad narrationem de Hipparchi caede referri, ut addatur ἑορτῆς vel πομπῆς, scil. Panathenaeorum. Cum Harpocratione congruit Photius, non addito orationis titulo s. v. πεφασμένος. Cf. Hesych. s. v. et interpretes.

Restat fragmentum pluribus verbis comprehensum apud Suidam s. v. μοχθηρία servatum hocce: Μοχθηρία· ἡ κακία· ὡς Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος. Οὐ γὰρ ὅσιον τοὺς γεγραμμένους, δι' ὧν ἡ δημοκρατία σώζεται, παραβαίνειν· ἑτέρων δὲ μοχθηρῶν ἐξηγητὴν ἐθῶν, καὶ νομοθέτην γενόμενον, ἀτιμώρητον ἀφεῖναι. Egregia videtur Codicis Leidensis scriptura post γεγραμμένους inserentis νόμους et pro παραβαίνειν praebentis παραβαίνοντα. De sententia tam plana et late patente nil est, quod uberius disputem. Obtinet enim locum suum in oratione accusatoria. Sed diversitas, quae in lemmate et in fragmento ipso cernitur, commemoratu digna est. Quum enim lemma sit μοχθηρία, mirum est, quod in fragmento ea vox non reperitur, sed μοχθηρός tantum adiectivum. Hoc quomodo factum sit docent Photii verba s. v. Μοχθηρός: ἐπίπονος ἢ πονηρός· ἢ κακός· καὶ μοχθηρία ἐπὶ τῆς κακίας τέταχται· οὕτω Λείναρχος. Sequitur deinde alius significationis exemplum ex Antiphonte depromtum. Simili ratione in Etymol. M. p. 592. utrumque vocabulum et substantivum et adiectivum coniunctim explicatur. Excerptum igitur Suidae locum iudico ex simili cuiusdam lexici loco. Cf. de voce μοχθηρός Ammonium p. 94. ed. Lips. Eustath.

Comm. in Iliad. p. 341. l. 14. ed. Roman. Bekk. Anecd. I. p. 381. Thom. M. p. 240. ed. Ritsch.

Supersunt praeterea duo verba ex oratione adv. Lycophronem citata, quae quo referam nescio.

Apostolius Centur. VIII, 20. p. 93. ed. Heins. 1619. haec habet: *Ἐμποδών ἐστι τὸ πρᾶγμα*] *ἐπὶ τῶν προχείρων καὶ εὐχερῶν· ἐχρήσατο δὲ ταύτῃ τῇ λέξει Θουκυδίδης ἐν ὀγδόῃ· τὰς ἐμποδὼν αἰτίας ἐπισκοπεῖν, ποῤῥωτέρω δὲ μηδὲν ἐπορέγεσθαι ταῖς διανοίαις· ἤτοι προχείρως. Λυκοῦργος δὲ ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος ἀντὶ τοῦ φανερόν κ. τ. λ.* Eadem sunt in Arsenii Violeto ab Walsio edito p. 228. Cf. Goeller. Praefat. ad Thucydid. p. XIX., qui verba supra ab Apostolio ex Thucydide allata apud Thucydidem comparere negat. Bachm. Anecd. I. p. 218. 13. Suid. et Etym. M. s. v. Valcken. ad Thom. Mag. p. 159. Tittm.

Harpocrat. s. v. *ἄοικος· ἀντὶ τοῦ ἀοίκητος. Λυκοῦργος κατὰ Λυκόφρονος.* Cf. Lobeckium Parerg. ad Phrynich. p. 731. Poll. IV, 124. *ἀοίκητος* vox a Lycurgo ipso usurpata est Leocrat. cap. XV.

V. *Κατὰ Λυσικλέους.*

Praeclarissimum exstat Diodori Siculi testimonium de oratione, qua Lycurgus Lysiclem, imperatorem Atheniensem, accusavit, bibl. histor. lib. XVI, 88., ubi insigne fragmentum ex oratione servatum est. Placet autem totum Diodori locum exscribere:

Οἱ δ' Ἀθηναῖοι μετὰ τὴν ἧτταν (Chaeronensem), *Λυσικλέους μὲν τοῦ στρατηγοῦ θάνατον κατέγνωσαν, Λυκούργου μὲν τοῦ ῥήτορος κατηγορήσαντος. οὗτος γὰρ τῶν τότε ῥητόρων μέγιστον ἔχων ἀξίωμα, καὶ δώδεκα μὲν ἔτη τὰς προσόδους τῆς πόλεως διοικήσας ἐπαινουμένως, βίον δ' ἐζηκὼς ἐπ' ἀρετῇ περιβόητον, πικρότατος ἦν ἐν τοῖς λόγοις κατήγορος. γνοίη δ' ἄν τις αὐτοῦ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀξίαν καὶ πικρίαν, ἐν οἷς τοῦ Λυσικλέους κατηγορῶν λέγει·*

„Ἐστρατήγεις, ὦ Λυσίκλες, καὶ χιλίων μὲν πολιτῶν τετελευτηκότων, δισχιλίων δ' αἰχμαλώτων γεγονότων, τροπαίου δὲ κατὰ τῆς πόλεως ἑστηκότος, τῆς δ' Ἑλλάδος ἁπάσης δουλευούσης, καὶ ταύτων ἁπάντων γεγενημένων σοῦ ἡγουμένου καὶ στρατηγοῦντος, τολμᾷς ζῆν καὶ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὁρᾶν καὶ εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλειν, ὑπόμνημα γεγονὼς αἰσχύνης καὶ ὀνείδους τῇ πατρίδι;“

Lysicles enim, quem aggreditur orator, praefuit copiis Atheniensium una cum Charete in pugna Chaeronensi, cuius rei auctor est idem Diodorus cap. 85. Ante vero quam ei imperium in bello funestissimo demandatum est, videtur amicitiae quodam vinculo coniunctus fuisse cum Demosthene et Lycurgo, vel existimatione certe aliqua fuisse atque inter patriae salutis studiosos relatus fuisse. Plutarchus enim vit. Hyperid. (p. 270.) ita loquitur: Φίλος δ' ὢν (Hyperides) τοῖς περὶ Δημοσθένην καὶ Λυσικλέα καὶ Λυκοῦργον, οὐκ ἐνέμεινε μέχρι τέλους. ἀλλ' ἐπεὶ Λυσικλῆς μὲν καὶ Λυκοῦργος ἐτεθνήκεσαν, Δημοσθένης δὲ — ἐκρίνετο, κ. τ. λ. Itaque, quum post bellum Amphissense penes Demosthenem et Hyperidem fere solos omnis rei publicae administratio esset, fortasse horum ipsorum auctoritate Lysicles imperator electus est. Male autem consultum esse civitati et eventus docuit et iudicium Diodori de Charete testatur cap. 85. sub f. τῶν δ' ὑπολελειμμένων Χάρης πρωτεύων, οὐδὲν διέφερε τῶν τυχόντων ἰδιωτῶν κατὰ τὴν ἐν τῷ στρατηγεῖν ἐνέργειαν καὶ βουλήν. quocum cf. Plutarch. An seni sit gerenda resp. p. 788. D. Praeter Charetem Lysicles Stratoclem quoque collegam habuit. Cuius nomen quum Wesselingius apud Polyaen. IV, 2, 2. in Lysiclem mutare conatus sit, nulla usus est ratione. Moris enim erat eo tempore apud Athenienses, ut terni emitterentur imperatores (cf. Wachsmuth. Anti-

quit. Graecor. I, 2. p. 49.), et Stratocles, imperator Atheniensium, etiam apud Aeschin. c. Ctesiph. p. 74. commemoratur. Quod Wesselingius dicit, se Polyaenum erroris haud absolvere, etsi Aeschines pag. 30. eo nomine aequalem sibi civem nominet, et ipsum ex errore quodam fluxit. Hoc enim Aeschinis loco non Stratocles, sed Iatrocles commemoratur. Iure autem apud Suidam s. v. *Λυκοῦργος Πασικλῆς* mutatum est ab I. Meursio in *Λυσικλῆς* Lectt. Att. III, 3. Quoniam autem Lycurgus in fragmento supra allato dicit *σοῦ ἡγουμένου καὶ στρατηγοῦντος*, et Lysicles solus accusatus esse videtur propter imperium male gestum, pugnae die Lysicles videtur solus exercitui praefuisse, quum notum sit, imperium per vices ab alio ad alium singulis diebus transiisse. Cf. Herodotus de Marathonia pugna lib. VI. c. 103. Diversus ab hoc Lysicle videtur is fuisse, cuius Lycurgus Leocrat. cap. VIII. meminit.

Ceterum verba fragmenti ipsa ita sunt perspicua et aperta, ut nulla opus esse videatur accuratiore illustratione. De dictione solum *τὸ ἡλίου φῶς ὁρᾶν* cf. Wakefield. ad Soph. Trachin. 832. Iliad. *ά*, 88. Iphigen. Aulid. 1219. Aeschyl. Eumen. 314. De universa sententia verborum *τολμῆς ζῆν — ἐμβάλλειν* cf. Leocrat. II, 4. Andocid. de myster. p. 49. R.

Praeterea duae supersunt reliquiae illius orationis apud Harpocrationem: altera s. v. *Λεμβάδεια· Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυσικλέους. πόλις ἐστὶ τῆς Βοιωτίας·* altera s. v. *Ἐπὶ Δηλίῳ μάχη· Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυσικλέους. Δήλιον χωρίον ἐστὶ τῆς Βοιωτίας.* In priore lemmate reponenda est Codicis Vratislaviensis scriptura *Λεβάδεια*, de qua cf. Siebelis. ad Pausan. IX, 39. Exstat verbi caussa apud Photium: *Λεβάδεια· πόλις Βοιωτίας, ἐν ᾗ Διὸς μαντεῖον Τροφωνίου κατασκευάσαντος·* et alias saepenumero. De urbis situ cf. Odofr. Mueller. Orchomen. p. 86. et Krusii Hellad. II, 1, p. 643. sqq.

Iam

Iam vero eruendum est, qui factum sit, ut orator huius urbis mentionem iniiceret. Quum Lebadeae is esset situs, ut qui Athenis Chaeroneam proficiscerentur Lebadeam transirent, etiam Graecorum exercituī, qui castra posuit ad fanum Herculis prope fluviolum Haemonem inter Lebadeam et Chaeroneam (Plut. vit. Demosth. cap. XIX.); Lebadea erat attingenda. Facillime igitur potuit fieri, ut orator in pugnae Chaeronensis descriptione urbem istam commemoraret. Sed certiora alterius lemmatis accuratior comparatio nos edocuit. Ex eo enim patet, pugnam Deliacam a Lycurgo in Lysiclis accusatione commemoratam fuisse. Notum est autem ex Thucydide lib. IV. c. 97. sqq., Atheniensis post Deliacam pugnam a Boeotis victoribus postulasse, ut sibi mortuos suos sepeliendos committerent, idque primum Boeotos recusasse, postea autem concessisse, praecone ab Atheniensibus rursus misso. Plane simile quid factum est post pugnam Chaeronensem. Plutarchus enim vita Hyper. p. 270. haec tradit: *Μετὰ μέντοι τοῦτο* (Hyperidis decretum) *νεκρῶν ἔδωκεν ἀναίρεσιν ὁ Φίλιππος φοβηθείς, πρότερον οὐ δοὺς τοῖς ἑλοῦσιν ἐκ Λεβαδείας κήρυξιν.* Videntur Graeci post cladem Chaeronensem se Lebadeam recepisse. Ex quibus Plutarchi verbis simul id apparet, quam arcto inter se vinculo coniunctum sit utrumque Harpocrationis lemma, ut in propatulo sit, ex eodem orationis loco utrumque haustum esse. Dispari modo Lebadeae urbis et Deliensis proelii commemoratio coniunctim facta est a Xenophonte Memorab. III, 5, 4., ubi cf. Herbstii notam. Cf. praeterea Baehrium ad Plut. Alcibiad. p. 98. 268.

Clintonus F. H. orationem Olymp. CX., 4. habitam esse statuit, idque vere.

VI. *Κατὰ Μενεσαίχμου.*

Menesaechmus, acerbus et vehemens aliorum se meliorum accusator, qui non modo Lycurgum, sed etiam eiusdem mortui liberos vexavit (Ruhnken. Histor. Crit. p. LXXVII.), diversas in republica partes ac Lycurgus est secutus. Inde ultro inter utrumque odium et invidia nata. Haec autem actio propter quale crimen instituta fuerit, non liquet. *Εἰσαγγελίαν* eam fuisse Harpocratio s. v. *ἀρχνωρός* testatur. Fragmentorum autem et verborum ex hac oratione a veteribus grammaticis et lexicographis servatorum ratio fidem facit, circa res sacras a Menesaechmo peccatum fuisse. Proclivis igitur est coniectura, *ἀσεβείας εἰσαγγελίαν* a Lycurgo adversus Menesaechmum agitatam esse, de qua cf. Meier. de lite Attica p. 263. Intercedit autem huius orationis fragmentis nonnullis mira quaedam argumenti cognatio ac congruentia cum Deliacae Hyperideae orationis reliquiis, ita ut in eodem sacrorum genere, Apollinea dico, utramque orationem versatam fuisse in aperto sit. Quod etsi de tota Lycurgi oratione nolim affirmare, certe documento est, singula Lycurgeae orationis fragmenta, quae servata exstant, communi quodam argumenti vinculo comprehensa ex una integrae orationis parte a rhetore fortasse quodam excerpta fuisse, unde lexicographi singula verba in suos hortulos derivarunt. Factum est hoc multo saepius, quam plerique eorum, qui in fragmentis concinnandis miserisque pulcherrimorum quondam operum laciniis resarciendis desudant hodie, opinari solent.

Atque in horum fragmentorum numero primo loco ponenda sunt, quae servarunt Nonnus Narratt. myth. ad Gregor. Naz. orat. in Basil. M. a Creuzero editus Meletemm. Vol. I. p. 75. sq. et Eudocia Viol. p. 20. Quoniam Violeto uti non licuit, ex Creuzeri

libro totum locum exscripsimus, ita ut statim de veritate lectionis diiudicaremus, adhibitis scripturae discrepantiis, quas a Creuzero notatas reperimus.

Ἑβδόμη ἐστὶν ἱστορία, ἡ περὶ τοῦ ἀβάριδος ὀἵστοῦ· ταύτης τῆς ἱστορίας μέμνηται ὁ ἡρόδοτος ἐν τῇ τετάρτῃ (IV. c. 36.)· ἔστι δὲ αὕτη. ὁ ἄβαρις ἐξ ὑπερβορέων (sic enim cum Eudocia scribendum) ἦν ἄνθρωπός τις· οἱ δὲ ὑπερβόρεοι ἀρκτικώτεροί εἰσι δὲ καὶ ἐνδότεροι τῶν σκυθῶν· οὗτος οὖν ὁ ἄβαρις λέγεται ἔνθους γενόμενος περιϊέναι τὴν ἑλλάδα κύκλῳ μετὰ τοῦ βέλους· καὶ χρησμούς τινας καὶ μαντείας λέγειν ὡς ἔνθους. Λυκοῦργος δὲ ὁ ῥήτωρ μέμνηται τοῦ ἀβάριδος ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου λόγῳ (sic scribendum esse vidit iamdudum Wyttenbachius Bibl. Crit. VII. p. 12., cuius verba Creuzerus attulit), λέγων ὅτι λιμοῦ γενομένου ἐν τοῖς ὑπερβορέοις, ἦλθεν ὁ ἄβαρις ἐν τῇ ἑλλάδι καὶ ἐμισθώτευσε τῷ ἀπόλλωνι. καὶ ἐδιδάχθη παρ' αὐτοῦ τὸ χρησμολογεῖν. καὶ σῦτω κρατῶν τὸ βέλος ὡς σύμβολον τοῦ ἀπόλλωνος· τοξότης γὰρ οὗτος ὁ θεός· περιῄει χρησμολογῶν πᾶσαν τὴν ἑλλάδα. In his verbis aliquanto accuratius est nobis versandum, quoniam aliorum huius orationis fragmentorum comparatione apparet, plura esse fragmenta coniunctim consideranda. Orator enim pro more suo, cuius exempla quaedam sat idonea exhibuimus ad Lycophroneas orationes, ad Athenarum historiae initia et ad mythicam festorum institutionem digreditur. Ac primum quidem hoc loco depellenda ab oratore Creuzeri V. Ill. quaedam est opinio, tradita illa Symbol. II. pag. 140. sqq. Quae cum ab eo ita ad Abaridis naturam adstricta et cum omni rerum, illo loco a Creuzero tractatarum, cohaerentia et nexu sit consociata, ut seorsim diiudicari nequeat, quae sit mens Creuzeri, uberius exponam necesse est, ne quis temere credat, me aut illum non intellexisse, in quod vitium multi incurrunt, aut ex praeiudicata quadam opinione iniquum de eo iudicium ferre voluisse. Agi-

tur enim eo loco de Apolline Lycio, cuius naturam Creuzerus primus aperuit, iudice Muellero Dor. I. p. 302. In huius cultu certissima ille Asiaticae religionis vestigia et antiquissimae Solem colendi rationis reliquias sibi videtur deprehendere. Cum quo cultu, ex Asia superiore in Lyciam invecto, notiones quaedam huius regionis propriae coaluerunt. Lycia enim erat iaculatorum patria. Lyci igitur, venatorum populus, arcum sagittasque, Lycii dei attributa, a deo, item venatore, repetebant, sacerdotes autem, quibus cultus iste debebatur, altiorem ac reconditiorem eorum vim quum bene haberent perspectam, ad doctrinam de Sole Apolline ea referebant. Quae omnia ita a Creuzero disputantur, ut largissimis eum arbitrere niti scriptorum veterum testimoniis, quae tamen frustra quaesiveris. Unum tantum attulit ex Eustath. Odyss. XX. v. 156. p. 1887. ed. Rom. huius rationis documentum hocce: *νεομηνία γὰρ ἡ ἡμέρα, ὡς ἐῤῥέθη, Ἀπόλλωνος ἱερά, τουτέστιν ἡλίου, ὃς αἴτιος νεομηνίας συνοδεύων τηνικαῦτα τῇ σελήνῃ. διὸ εὐτυχῶς καὶ εὐκαίρως ὁ Θεοφιλὴς Ὀδυσσεὺς τῶν ἔξω πάντων περὶ τὴν ἑορτὴν πονουμένων αὐτὸς μετὰ τόξου τοῖς ἐχθροῖς ἐπιθήσεται περὶ ἑορτὴν τοξότου Ἀπόλλωνος.* His verbis Creuzerus duo ait manifestissime esse declarata, primum Apollinem esse sagittarium, propterea quod Sol esset: tum hanc utramque notionem iam in veterum fuisse animis ritibusque sacris coniunctam. At illud ne verbo quidem significat Eustathius, cum hoc potius inde sit consectarium, Apollinem et Solis numen et sagittarium esse, nulla inter hanc utramque Apollinis quasi naturam intercedente relatione, ex qua altera alteram tanquam caussam sequatur. Altera autem conclusio solius Eustathii, quem constat veterum ritus more suo explicasse, commentis nititur. Uti vero apud Eustathium iste interior sagittae cum Solis notione nexus aperte est indicatus secundum Creuze-

rum: ita idem etiam Lycurgum in fragmento nostro utrumque cogitatione copulasse statuit. Quae non magis quam priora illa ad veritatem apposite sunt dicta. Lycurgus enim de Apolline, Solis numine, in fragmento certe, quantum eius conservatum est, nihil dixit, sed Apollinem modo deum vaticinantem eundemque sagitta atque arcu attributis insignitum significat. Quae dei attributa sanctiorem habeant aliquam potestatem nec ne, id Lycurgus certe nihil curat. Neque porro in verbo σύμβολον tantum, quantum Creuzerus voluit, videtur inesse. Iste ὀϊστός enim nihil erat nisi signum divinae legationis, quae sunt Lobeckii V. Ill. verba Aglaoph. p. 313.

Cum igitur tantum effecisse nobis videamur, ut a Lycurgo symbolicam mythorum explicationem et scientiam alienam fuisse appareat, multo etiam minus oratori nostro talem de Abaride opinionem, qualem Creuzerus l. c. brevissime quidem, sed certissimis lineamentis adumbravit, quispiam tribuerit. Quod enim finxit Creuzerus, in illa Abaridis profectione miraculosa cognosci litterarum per orbem terrarum propagationem, id gravius quiddam videtur esse, quam quod ad eiusmodi personam, qualis est Abaris Hyperboreus, tam sero tempore, — citra Olympiadum computationem — potuerit referri. Neque, quod maximi in hac re esset momenti, oraculorum Abarideorum consignatio tam certo traditur, ut in ea quasi totius fabulae cardinem verti appareat. Abaris, qualis a Lycurgo aliisque veteribus scriptoribus designatur, nihil est, nisi priscus quidam vates, in eodem, quo Epimenides, Thaletas, alii, recensendus numero.

Cum Abaridis peregrinatione Attica gravissimae quaedam res sunt coniunctae, quas Lycurgum oratione persecutum esse monstrabitur. Scholiastes enim Ari-

stophanis Equitt. v. 739. Dind., cum εἰρεσιώνης originem voluit explicare, haec scripsit: ποιοῦσι δὲ τοῦτο κατὰ παλαιόν τι χρηστήριον. οἱ μὲν γάρ φασιν, ὅτι λιμοῦ, οἱ δὲ, ὅτι καὶ λοιμοῦ τὴν πᾶσαν κατασχόντος οἰκουμένην, χρωμένων τίνα ἂν τρόπον παύσαιτο τὸ δεινόν, τὴν λύσιν ταύτην ὁ Πύθιος ἐμαντεύσατο, εἰ προηροσίαν ὑπὲρ ἁπάντων Ἀθηναῖοι θύσειαν. θυσάντων οὖν τῶν Ἀθηναίων τὸ δεινὸν ἐπαύσατο. καὶ οὕτως ὥςπερ χαριστήριον οἱ πανταχόθεν τοῖς Ἀθηναίοις ἐξέπεμπον τῶν καρπῶν ἁπάντων τὰς ἀπαρχάς. ὅτε δὴ καὶ Ἄβαριν φασι τὸν Ὑπερβόρειον ἐλθόντα θεωρὸν εἰς τὴν Ἑλλάδα Ἀπόλλωνι θητεῦσαι, καὶ οὕτως συγγράψαι τοὺς χρησμοὺς τοὺς νῦν καλουμένους Ἀβάριδος.

Quae omnia quin ad eandem fabulae de Abaride formam, quae est antea ex Lycurgo significata, pertineant, vix dubium esse poterit. In Scholiastae verbo θητεῦσαι facile Lycurgi μισθωτεῦσαι agnoscas. Atque apprime huc quadrant, quae apud Suidam et Harpocrationem s. v. Ἄβαρις memoriae produntur. In Scholiastae autem verbis plura quaedam insunt, quam ex Nonniano fragmento erui poterant. Eiresionae enim usum et proërosiorum institutionem Lycurgum attigisse, aliis locis potest demonstrari. De eiresione locutus est Lycurgus secundum Etym. M. s. v. ita: Λυκοῦργος δέ φησιν ἀφορίας γενομένης Ἀθηναίοις τοῦτο ἐπιτελεσθῆναι κατὰ χρησμὸν οἷον ἱκετηρίαν (ita Ilgen. Opusc. I. p. 141. recte pro ἱκετηρίας). Quae verba non possunt non ad hanc orationem traduci. Alteram vero de proërosiis memoriam aperte indicat Suidas s. v. Προηροσίαι ita: αἱ πρὸ τοῦ ἀρότου (ita Meursius recte pro ἀρότρου) γινόμεναι θυσίαι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι καρπῶν, ὥςτε τελεφορεῖσθαι. ἐγένετο δὲ ὑπὸ Ἀθηναίων ὑπὲρ πάντων Ἑλλήνων ἐ Ὀλυμπιάδι. Λυκοῦργός φησιν ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμον· Καὶ γὰρ νῦν πολλὰς καὶ μεγάλας ὑμῖν τιμὰς ὀφείλω καὶ ζητῶ παρὰ πᾶσιν Ἕλλησι μαντευομένοις τὸν Δία προηρο-

σίαν ποιήσασθαι. In quibus mutare quicquam nolui. Namque quae sunt correcta ab aliis, non tam sunt certa atque in aperto posita, ut utique probanda esse videantur. Ita enim pro προηροσίαι rectius fortasse scribitur προηρόσια, quo nomine festum alioquin nuncupabatur. cf. Meurs. Graec. Feriat. Ilgen. Opusc. I. p. 144. sqq. Porro numerale $\bar{\varepsilon}$ non tam certum videtur esse. Codex LB., cuius aliquot scripturas vere palmarias debemus Seidleri liberalitati, pro $\bar{\varepsilon}$ habet signa haecce, ab aliis me felicioribus explicanda, $\overline{\digamma}$ et $\bar{\varsigma}$, quorum alterum sexti numeri signum videtur esse. Ubi autem Olympiadis quintae denotatio componitur cum iis, quae apud Harpocrationem de Abaridis aetate traduntur, necesse est Abaridem non tertiae Olympiadi, sed posteriori cuidam aetati attribuas: quippe post proërosia demum ab Atheniensibus pro ceteris mortalibus instituta in Graeciam θεωρός dicitur venisse. Quamquam vero tria exstant de Abaridis aetate testimonia diversis numeris perscripta, tamen vix crediderim, ullum eorum accurata niti computatione. Multo magis autem animum advertit Lycurgeum fragmentum ipsum obscurissimis verbis conscriptum, ex quibus nihil effeci, quod aliquam haberet veritatis speciem. Correxit Kuesterus verba τὸν Δία in τῇ Δηοῖ, quod probavit Hemsterhusius ad Schol. Arist. Plut. p. 389. ed. Schaef. Cereri enim prosementivae sacra illa instituebantur, ut ex auctorum locis cognosci potest, qui exstant apud Ilgen l. c. Sed ab hac mutatione nunc quidem abhorreo. Nihil enim lucramur inde ad sanam aliquam sententiam conformandam, et verbum μαντευομένοις nihil habet, quo referatur. MS. A. Kuesteri et LB. Seidleri habent ζηλῶ, quod verbum cum ζητῶ fere confundi solet; sed ne hoc quidem obscuritatis tollendae viam aperit. Videant igitur acutiores.

Accedo nunc ad aliud festum Atheniense ab oratore in hac oratione commemoratum, quod sacros quosdam usus cum proërosiorum solemnitate habebat communes cuiusque origo item liberatae quondam a periculis patriae memoriam servabat, ad Pyanepsia. Harpocrat. s. h. v. haec disserit: *Πυανοψίαι, Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου· καὶ ἡμεῖς Πυανοψίαν ταύτην τὴν ἑορτὴν καλοῦμεν, οἱ δ' ἄλλοι Ἕλληνες Πανοψίαν, ὅτι πάντας εἶδον καρποὺς τῇ ὄψει. Ἀπολλώνιος καὶ σχεδὸν πάντες οἱ περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑορτῶν γεγραφότες Πυανεψιῶνος ἑβδόμῃ Πυανεψίαν Ἀπόλλωνι ἄγεσθαί φησι· δεῖν δέ φασι λέγειν Πυανεψίαν καὶ τὸν μῆνα Πυανεψιῶνα· πύανα γὰρ ἕψουσιν ἐν αὐτῇ καὶ ἡ εἰρεσιώνη ἄγεται.* In his nonnulla ex codicibus mutavimus. Adscivimus ex cod. Vratisl. *πάντες* post *σχεδόν*, eiecimus articulum *τά* ex consentiente Mediceo et Vratislaviensis auctoritate et ex iisdem dedimus *Πυανεψίαν*, cum antea scriberetur *Πυανέψια*. *Πυανοψίαι* inscriptionem in *Πυανοψία* mutarem, si plura haberem codicum monumenta. Vratislaviensis praebet *Ποιανοψία*, de qua vocalium *οι* et *υ* confusione copiose disputavit Valesius ad Maussaci notas p. 497. ed. Lips. De hoc festo cf. Meurs. Graec. Fer. s. v. Corsinium Fast. Att. II. p. 369. Ilgen. I. p. 129. sqq. Hoeck. Cret. II. p. 112. sqq. Atque Ilgenius quidem effecit, ut accuratius in huius festi rationem inquireremus. Quae enim Vir Eruditissimus de hoc festo aliter constituit, atque alii veterumque complures, partim nituntur peculiari quadam fragmenti supra scripti explicatione. Etenim in Pyanepsiis, quae in honorem Apollinis agebantur et in memoriam felicis Thesei ex Creta reditus, Ilgenius *εἰρεσιώνης* usum nullum fuisse statuit p. 139., confusa autem esse cum Pyanepsiis Proërosia et Thargelia. Cum Thargeliis autem ut confunderentur Pyanepsia, factum inde voluit, quod Thargelia Apollini Delio sacra erant, Pyanepsia vero

MAIGNAN, Docteur de S
bonne, assiste Biron sur l'échafa
II. 125.
MAILLEZAIS. Pris par Her
IV. I. 107. Repris par la Lig
111.
MAILLOC. (Saint-Denis)
servir l'Archiduc en Flandre.
48

educe instituta fuerunt. Atta- ristoph. Equ. l. c. et Eustath. diserte εἰρεσιώνην gestari solitam ius tam late propagatae confusio- conatus est Vir Praestantissimus d Harpocrationem servato. Pla- is exponere (p. 144.): „Lycurgus πανεψιών· καὶ ἡμεῖς πυανοψίαν ταύ- καλοῦμεν, οἱ δὲ ἄλλοι Ἕλληνες πανοψίαν, ὅτι πάντας εἶδον τοὺς καρποὺς τῇ ὄψει. quem locum iam adduxi. Haud dubie Harpocration, ex quo Suidas hausit, vitioso usus est exemplari. Lycurgus scripsisse videtur πανέψια vel πανεψίαν, et intellexisse Θαργήλια. Nam ἤψουν ἐν αὐτῇ (ἑορτῇ, scil. Θαργηλίοις) ἀπαρχὰς τῷ θεῷ τῶν πεφηνότων καρπῶν, ut Suidas habet in Θαργήλια. Hinc olla, in qua coquebantur istae ἀπαρχαί, vocabatur Θάργηλος. Hesych.: Θάργηλος· χύτρα ἱεροῦ ἐψήματος. — Sic etiam vocabatur ἱκετηρία vel εἰρεσιώνη. Hesych. in Θαργήλια· καὶ τὴν ἱκετηρίαν ἐκάλουν Θάργηλον. Ἀπαρχαί etiam vocabantur Θαργήλια. Hesych. l. c. — Quum igitur varias et omnigenas ἀπαρχὰς τῶν καρπῶν coquere et coctas in pompa circumferre solerent, dici potuit illa Θαργηλίων solemnitas Πανεψία, quam alii Graeci ad pompam magis, quam ad frugum coctionem respicientes dicebant Πανοψίαν, unica tantum mutata litterula. Ex vitioso Lycurgi codice, ubi πυανέψια legebatur, ortus est error, ut quae πανεψίοις vel Θαργηλίοις fiebant in Apollinis honorem, ad Πυανέψια, eidem deo sacra, transferrent.“ Quae omnia verissime essent disputata, si iam constaret, illo loco ab oratore intelligi Θαργήλια, atque demonstrandum modo esset, qui potuerit fieri, ut Θαργήλια dicerentur πανέψια. Posuit autem hoc Ilgenius tanquam verum ac dubitatione vacuum coniectura ductus sua, ex qua Plutarchi verba (Thes. p. 45. a.) τὴν δὲ εἰρεσιώ-

νην usque ad cantiunculae finem aliunde irrepsisse ei videntur. Sed eiusmodi commentum audacius est, quam ut ferri possit, nec potest aliis argumentis tanquam fundamentum substrui. Non enim credendum est, lexicographos, Suidam, Harpocrationem, Etymolog. M., et Scholiastas, Eustathium et Scholiastam Aristophanis, sua ex Plutarcheis hausisse, sed potius ex fontibus Plutarcho antiquioribus, fortasse ex ipsa Lycurgi oratione vel libris περὶ ἑορτῶν, quales erant Apollonii, Cratetis, aliorum, aliquoties ab grammaticis in hac ipsa re excitati testes. (Cf. quoque, quae ad voc. αἰγίς infra disputabuntur.) Sed uti concedi nequit, εἰρεσιώνης usum nullum fuisse in pyanepsiis: ita Harpocrationis locus Ilgenii commentum prorsus respuit. In hoc enim ita omnia inter se sunt colligata et ad unum pyanepsiorum festum apposita, ut de thargeliis nemo facile cogitet. Atque Harpocrationis lemma Πυανοψίαι ita est codicum auctoritate munitum, ut certum sit, eum sub hoc verbo de festo illo voluisse agere. Iam Lycurgus, quem testem excitat, ut assolet, dicit: nos hoc festum Pyanepsia vocamus, ceteri Graeci vero Πανόψια, quoniam in eo similis quidam usus obtinet, quam in proërosiis aliisque, i. e. quod εἰρεσιώνη omnis generis frugibus onusta gestabatur; conspiciebant enim πάντας καρπούς. Fortasse Graeci Atticam vocem minus bene perceperant auribus ideoque aliud nomen ei tribuerant. Rectam autem nominis formam esse Πυαγέψια Harpocratio sequentibus verbis monstrat, derivat enim a πύανα. Quodsi Ilgenium sequare, omnia verba, quae inde ab Ἀπολλώνιος exstant apud Harpocr., sensu cassa sunt, quippe quae de thargeliis non possint dicta esse. Quae vero ultimo loco dicuntur, — καὶ ἡ εἰρεσιώνη ἄγεται, — ea necessario ab Ilgenio ad thargelia referuntur, quamquam praegrediuntur verba: πύανα γὰρ ἔψουσιν ἐν αὐτῇ. Sin vero

tantum Lycurgi verba errori obnoxia sunt, et Harpocratio ita erravit, ut de pyanepsiis aliquid probaturus de thargeliis loquatur, qui factum est, ut scriptores isti veteres de Atticis festis errarent? Porro quod Ilgenius dicit p. 137. n. 7., non cadere in pyanepsia ὅτι πάντας εἶδον καρποὺς τῇ ὄψει, hoc quid valeat non intelligo. Praeterquam enim quod iam supra dixi hoc ad εἰρεσιώνην spectare, etiam in tempus quadrat haec res, quod pyanepsion mensis maemacterione prior est, id quod Ilgenius p. 136. negavit (cf. Boeckh. Oec. civ. II. p. 170.). Porro quum proërosiis concesserit εἰρεσιώνην p. 146., non video, cur pyanepsiis iste ramus denegetur, quippe utrumque festum eodem mense celebrabatur. Cf. Hoeck. l. c. p. 114.

Cum Pyanepsiorum commemoratio ad Deliaca sacra oratorem adduceret, sponte factum est, ut *Δηλιασταί* quoque commemorarentur. Harpocrat. s. v. *Δηλιασταί· οἱ εἰς Δῆλον ἐξελθόντες θεωροί· Λυκοῦργος κατὰ Μενεσαίχμου.* De quibus post Valesium ad hunc locum cf. eruditissimum Spanhemium ad Callim. hymn. Del. vers. 314. et Siebelis. ad Philochorum p. 84. Auctorum veterum de theoria Deliaca locos indicavit Wyttenbachius ad Phaedonem p. 58. a. (p. 125. ed. Lips.). In eadem orationis parte insulam Ἑκάτης attigit. Harpocrat.: *Ἑκάτης νῆσος· Λυκοῦργος κατὰ Μενεσαίχμου· πρὸ τῆς Δήλου κεῖταί τι νησύδριον, ὅπερ ὑπ' ἐνίων καλεῖται Ψαμμητίχη, ὡς Φανόδημος. ἐν δὲ πρώτῃ Δηλιακῶν Ψαμμητίχην κεκλῆσθαί φησιν ὁ Σῆμος διὰ τὸ τοῖς ψαμμήτοις τιμᾶσθαι τὴν θεόν.* Quem locum ex verissima exhibuimus coniectura Siebelisii, qui tamen Casaubono iniuriam fecit, quasi Hecatae insulam commiscuisset cum Hecatonnesis; immo dicit, se antea putasse, esse unam ex istis, sed ex Suida cognovisse, quae sit insula. Cf. Athenaeum XIV, 645. *Βασυνίας. Σῆμος ἐν δευτέρῳ Δη-*

λιάδος· Ἐν τῇ τῆς Ἑκάτης, φησί, νήσῳ τῇ Ἰριδι θυουσι Δήλιοι τοὺς βασυνίας καλουμένους.

Ubi autem Ψαμμητίχη nominis, quo insula Hecatae vocabatur, originem a ψαμμήτοις repetitam consideraveris, in oculos incurrit, eodem loco oratorem de alio quodam placentarum sacrarum genere egisse. Harpocrat. s. v. Προκώνια· Λυκοῦργος κατὰ Μενεσαίχμου· Δίδυμος δὲ προκώνια, φησίν, ἐστὶ πυροὶ μέλιτι κεχρισμένοι. Ἀριστοφάνης δὲ ὁ γραμματικὸς καὶ Κράτης τὰ ἐξ ἀφρύκτων κριθῶν οὕτω φασὶν ὀνομάζεσθαι· ἔοικε δὲ καὶ ἐκ πυρῶν καὶ ἐκ κριθῶν γίνεσθαι, ὡς Ἀντικλείδης ἐν τοῖς ἐξηγητικοῖς ὑποσημαίνει. Δήμων δ' ἐν τῷ περὶ Θυσιῶν φησι· Καὶ προκώνιά ἐστι κάγχρυς κατηριγμέναι μετὰ ἀρωμάτων.

Cf. Vales. ad h. l. Suidas s. h. v. fere eadem habet, ex Harpocrationis verbis correctus a Kuestero. Cf. Polluc. VI, 77. Bekkeri Anecd. p. 294. l. 24. Schneid. in Lexico s. v. Creuzeri Symb. II. p. 138. 139. De omni placentarum sacrarum usu cf. Lobeckii pemmatologiam sacram in Aglaoph. II. p. 1050.—1085.

Ad Deliaca refero item obscurissimam vocis σπογγοκολυμβηταί memoriam a Polluce VII, 137. servatam: καὶ σπογγοκολυμβηταὶ δὲ Λυκοῦργος εἴρηκεν ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου. Quo in loco corruptissimum exstat nomen Menesaechmi; scribebatur enim Μενεσέμνου, quod correxit iam pridem Maussacus ad Harpocrat. s. v. Δηλιασταί. Similem in voce Μέναιχμος corruptelam tractavimus comment. historica de Menaechmo Sicyonio p. 5. aliudque exemplum vide apud Bernhardy. Eratosth. p. 182. Erat autem proverbium Δηλίου κολυμβητοῦ (Suid. s. v.), quod dicebatur de libro Heracliti, qui valde erat obscurus et intellectu difficilis: oportere enim Delium esse natatorem, qui in eo non submergatur. Unde intelligitur, natandi artis Delios fuisse peritissimos. De hoc hominum genere cf. Bekkeri Anecd. p. 301. σπογγοκολυμβηταί: οἱ τὰ σπογγία ἀπὸ τῆς θαλάσ-

σης ἀναφέροντες. Salmas. Exercit. Plin. p. 806. Valcken. ad Herod. VIII, 8. Latine iidem dicti sunt *urinatores*, cf. Liv. XLIV, 10. Coniungenda est cum hoc lemmate vox ἀρκυωρός ab Harpocratione ex hac oratione citata; s. v. ἀρκυωρός haec ille scribit: *Λυκοῦργος ἐν τῇ κατὰ Μενεσαίχμου εἰσαγγελίᾳ. ὃ τὰς ἄρκυς, τουτέστι τὰ λίνα, φυλάττων. ἄρκυς λέγονται πάντα τὰ κυνηγετικὰ λίνα· Ξενοφῶν Κυνηγετικῷ, Κρατῖνος Θρᾴτταις.* Utrumque enim genus hominum venationibus adhibebatur, et apud Platonem de legg. VII, 23., ubi plura exercitationum genera enumerantur, coniunctim memoratur. Duplex autem in hoc nomine scribendo diversitas cernitur. Apud Bekkerum enim Anecd. p. 445. lin. 22. et Pollucem lib. V. c. 3. scriptum est ἀρκύωρος, quod pugnat contra Eustathii regulam (p. 1749. lin. 37.), ex qua verba in ωρος exeuntia et ab ὠρεῖν, i. e. φυλάσσειν, derivata oxytona sunt, veluti πυλωρός, θυρωρός, alia. Porro in Etym. Gud. scribitur ἄρκυς, quod item comparet apud Eustath. l. c., ubi ἀρκυωρός scriptum est contra consentientem reliquorum scriptorum consuetudinem, veluti Xenoph. Cyneg. VI, 5. Hesych. s. v. ἄρκυες et Suid. s. v. ἄρκυς.

Restat unus Harpocrationis locus, quem quo referam non habeo. Hic s. v. *Κηφισόδωρος· Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου. κεκωμῴδηται δὲ οὗτος ὡς ὀνώδης* (cod. Vratisl. *νωθής*, quod vocabulum eiusdem fere est significationis). Hic Cephisodorus fortasse idem est atque ille, quem Athenaeus notat a comicis irrisum ut πλάγον lib. XIV. p. 615. F. Perstrinxerunt eum propter iners vitae genus mediae aetatis comici Dionysius Sinopensis et Nicostratus, ex quibus Dionysius certe Macedonica tempora attigit. cf. Meinek. Quaest. scen. specim. III. p. 55. Fuit vero etiam Cephisodorus eiusdem aetatis orator, Isocratis discipulus huiusque adversus Aristotelis criminationes defensor,

de quo cf. amicissimi Stahrii Aristotelia vol. II. p. 42. sqq. et p. 287.; a quo tamen comicorum cavillationes abstinuisse equidem crediderim.

VII. *Κατὰ Δημάδου.*

VIII. *Ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτόν.*

Quum Graecorum libertas ad interitum sensim inclinaret, haud defuerunt homines perditissimi, qui nefaria ac detestanda lucri cupidine abrepti cum patriae hostibus facerent. Inter quos eminet Demades Atheniensis, in quo frustra generosum ac nobile quiddam studium quaesiveris; ita mores erant luxuria emolliti ac pravo habendi studio omnis patriae amor fere absumptus: *αὐτὸς γὰρ εἰς τὴν γαστέρα ἐδημαγώγει καὶ τὰς Ἀθήνας μικρὸν ἡγούμενος τῆς ἀσωτίας ἐφόδιον, ἐκ τῆς Μακεδονίας ἐπεσιτίζετο* (Plutarch. de cupid. divitiar. Moral. Vol. IV. p. 153. Hutt.). Sed finxerat eum natura felicissimo ingenio, facetiis affluentem, ad demulcendos et conciliandos hominum animos prae ceteris exornatum, nullo studio, nulla exercitatione oratorem validissimum, quem cum Demosthene ipso aequipararent. Atque talis quum esset Demades, nemo poterat reperiri, qui eo felicior esset in republica Atheniensium prorsus pessumdanda. Quo in studio adversati sunt ei oratores celeberrimi Hyperides, Demosthenes, Polyeuctus et Lycurgus, neque Aristogito, animal istud forense, ab eo abstinuit (Demosth. Aristog. I. p. 784.). Quoniam autem de huius viri rebus nondum ita est disputatum, ut quae dispersa exstant scriptorum veterum de eo testimonia longe plurima accurate sint collecta ac disposita, haud abs re videtur esse, nonnulla de orationibus istis contra Demadem habitis monere.

Demostheni, ut ab hoc exordiar, inde ab Olynthiaco bello contentiones cum Demade intercesserunt. Cf. Suid. s. v. *Δημάδης*. Aristot. Rhetor. II, 24, 8. Plut. praecept. polit. p. 150. Moral. Vol. II. Hutt. Athen. II, 44. F. Huius videtur exstitisse oratio *κατὰ Δημάδου*, quam inter servatas non reperis. Excerpta inde verba leguntur ap. Bekker. Anecd. p. 335. l. 30. haec: *ἦγε δὲ πέντε μνᾶς*, ex quibus Westermannus (nam praeter hunc neque Clintonus nec alius quis in hunc titulum incidit) Histor. eloqu. p. 306. n. 67. iusto celerius coniecit, eam orationem eandem esse, atque quae inscribatur alioquin: *περὶ τοῦ μὴ ἐκδοῦναι Ἅρπαλον*. Sed fugit eum loeus apud Apsinem Rhet. Ald. I. p. 683.: *οἷον ὡς καὶ ἐπ' ἐκείνου ἔγραψεν ὁ Δημάδης τριςκαιδέκατον θεὸν νομίζων τὸν Φίλιππον. ἀντειπὼν ὁ Δημοσθένης ἠτιάθη. καὶ γράφει καὶ νεὼν ἱδρύσασθαι Φιλίππου* (scribe *Φιλίππῳ*) *καὶ ἕτερα τοιαῦτα*. Eundem honorem Diodoro auctore XVI. Philippus sibi ipse arrogavit; nihil igitur mirum, quod Demades iubente Philippo ad populum Atheniensem de ea re retulit. Simile quid Demadem et Alexandro praestitisse narrant Aelianus Var. H. V. c. 10. et Athen. VI. p. 251. B., quae duo exempla regum *παρεδρίας* honorem affectantium tertio auxit Arnaudius de diis *παρέδροις* p. 30., Adriani imperatoris, quem Cyziceni decimum tertium deum vocarunt teste Socrate Hist. Eccl. III. c. 23. Alterius decreti a Demade lati, quo Euthycratem Olynthium ab Atheniensibus infamia notatum in integrum restituit et publicum hospitem fecit, impugnator exstitit Hyperides; fallitur enim Ruhnkenius, qui Hist. cr. p. 73. hanc actionem a Polyeucto institutam fuisse arbitratur. In errorem inductus est vir summus, quod ab Apsine Rhet. Ald. I. p. 708. duarum orationum adversus Demadem, et Hyperidis et Polyeucti, fragmenta servata sunt. Hyperidis oratio ab Apsine citatur l. c. sub fin. l. 13. ita: *ὡς· ὁ ὑπερί-*

δης κατηγορῶν ψηφίσματος ὑπὸ δημάδου γραφέντος ᾧ πρόξενον εὐθηκράτῃ εἶναι γράψαντος αὐτοῦ. κ. τ. λ., quae verba nescio an ita emendatius scribantur: ὡς πρόξενον Εὐθυκράτην εἶναι γράψαντος αὐτοῦ. Reliqua huius orationis fragmenta diligenter indicata reperies a Westermanno amicissimo l. c. p. 308. Diversa porro ab hac oratione Polyeucti fuit accusatio, ab eodem Apsine p. 707. 708. memoriae prodita: — ὡς πολύευκτος ἐν τῷ κατὰ Δημάδου. ἐγράφη μὲν γὰρ ψήφισμα χαλκῆς εἰκόνος τῷ δημάδῃ. ὁ δὲ κατηγορεῖ τοῦ ψηφίσματος — — —. τί γάρ φησι σχῆμα ἔξει; τὴν ἀσπίδα προβέβληται· ἀλλὰ ταύτην γε ἀπέβαλεν ἐν τῇ μάχῃ τῇ περὶ χαιρώνειαν. ἀλλὰ ἀκροστόλιον νεὼς ἔξει· ἔπειτα πυνθάνεται (scil. orator) ποίας; ἢ τῆς τοῦ πατρός; κ. τ. λ., in quibus emendandis Ruhnkenius non admodum feliciter versatus est Hist. crit. p. 81.; neque enim προβέβληται mutare licet in προβεβληκότος, tanquam essent verba τὴν ἀσπίδα προβεβληκότος continuatio prioris interrogationis, cum haec verba ab oratore tribuantur homini alicui in quaestiones rhetoricas respondenti de Demadis sententia, nec ἔπειτα πυνθάνεται verba possunt eiici; sunt enim certa vestigia rhetoris Polyeucti locum ex integra oratione excerpentis. Uti autem in hac oratione Polyeuctus Demadi exprobrat sordidos natales, erat enim patre nauta natus, unde ἀπὸ κώπης ἐπὶ βῆμα escenderat: sic Hyperides matris tibicinae negotium cavillatur apud Athen. XIII, 541. F. in Demadis filio Demea.

Accedo nunc ad Lycurgi actionem, quam minus habeo cognitam. Quum certum sit, Lycurgum neminem unquam accusasse, quin vicerit (Plut. vit. Lyc. p. 10[illegible] ed. nostr.), Demades autem bis, si credis Suidae s. v., ter, si Diodoro XVIII, 18., esset ἡλωκὼς παρανόμων, probabilis est coniectura, agitasse Lycurgum litem παρανόμων. Quamquam ex fragmentis nihil potest in hanc rem evinci. Praeter certam huius orationis me-

memoriam a Plutarcho, Suida et Eudocia II. cc. servatam, apud Athenaeum XI. p. 476. D. haec leguntur:

Λυκοῦργος δ' ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ κατὰ Δημάδου, Φίλιππόν φησι τὸν βασιλέα προπίνειν κέρατι τούτοις οἷς ἐφιλοφρονεῖτο. Ex quibus de tempore, quo oratio habita sit, vix certi quid elicias. De Philippi ebrietate nota res est. Cf. Vogelium de vita Philippi p. 69. sq. et Voemelium V. Clar. Commentar. ad Demosth. Philipp. p. 90. 91.

Schol. Aristoph. Plut. vs. 690. (p. 229. sq. Hemsterh. ed. Lips.) *ὡς παρείας ὢν ὄφις.*] *Εἶδος δὲ ὄφεως ὁ παρείας, παρὰ τὸ ἐπῆρθαι τὰς παρειάς· φασὶ δὲ αὐτὸν μὴ δάκνειν, ἢ καὶ δάκνοντα μὴ λυπεῖν. μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ Δημοσθένης, τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας φάσκων· καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Δημάδου λόγῳ. ἔστι δὲ τὸ τοιοῦτον εἶδος καὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ. τὸ δὲ τοιοῦτον εἶδος εὑρίσκεται ἐν τοῖς ἱεροῖς τοῦ Διονύσου.*

„*Δημοσθένης*] Pro Corona p. 313. l. 25. R. *τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν.* (Cf. Taylor. ad h. l. de usu serpentum in sacrificiis et God. Schoenium meum Comment. de habitu scenico person. in Eurip. Bacch. p. 108. — 112. Kiessl.) Eundem Oratoris locum adnotavit Harpocrat. in *Παρεῖαι ὄφεις*, sed pro Lycurgo, quem Scholiastes ponit, Hyperidem praefert; idque, ni fallor, melius: quamvis enim Lycurgi *πρὸς Δημάδην ἀπολογία* commemoretur ab antiquis, Hyperidis tamen vel ex solo Harpocratione notissimus est *ὁ κατὰ Δημάδου λόγος* virulentia singulari ac maledictis in adversarium insignis. Fateor equidem, easdem orationes saepe diversis auctoribus adscribi, neque abhorrere prorsus, si quis idem hic etiam factum fuisse suspicetur: sed nullum adhuc indicium, quod suspicionem illam adfirmet, mihi fuit oblatum: Hyperidem vero cum Harpocratione retinent Suidas et

Photius in Lexico. In initio scholii particula δέ posita facit, ut nonnihil excidisse credam.“ Hemsterh. Assentior nunc viro summo in Hyperidis nomine substituendo, praesertim iccirco, quia et apud Scholiastam et apud Harpocrationem ille ex oratione κατὰ Δημάδου decerptus locus excipit unius eiusdemque Demosthenici loci commemorationem. Aliquando in ea fui sententia, ut utrumque oratorem diversa ratione illud serpentum genus in comparationem adduxisse crederem, et Lycurgum quidem ita, ut Demadem cum παρείαις contenderet non mordentibus, aut, si mordeant, nullum dolorem infligentibus; Hyperidem vero Demadem ei serpentum generi adnumerasse, quod vel alios serpentes devoret. Quorum alterum factum esse videbatur obtrectandi, alterum detestandi Demadis caussa. Ceterum cf. de παρ. Aelianum de nat. animal. VIII., 12. et Iacobsium V. Illustr. ad h. l. Grammaticorum interpretamenta vide ap. interpret. ad Hesych. s. v., ex quibus unum etiamnunc vitiose legitur in Etym. M.: *Παρείας, παρὰ τὸ πεφυσιωμένους ἔχειν τὰς γνάθους, ἤγουν τὰς παρειάς, αἳ καὶ φουγναι λέγονται. Φούγναι*, quod accentu caret, aperte est corruptum. Cogitaram antea de φυσίγναθοι, quo vocabulo et rana et chamaeleon appellantur, cf. Schneider. s. v. et Tzetz. Chil. VIII. hist. 201., sed tum αἳ quoque mutandum erat. Φουγναι suspicor ortum esse ex που γέναι. Audierat Lexicographus latinum vocabulum, fortasse in graecum quoque sermonem adhibitum.

Iam vero cum ad orationem πρὸς Δημάδην accedam, initium faciam a castigando Hemsterhusio, quod non satis dilucide hanc orationem ab ea, quae κατὰ Δημάδου inscribitur, distinxit. Prorsus autem miscuit utrumque orationum genus A. G. Beckerus l. c. p. 212. Finxit orationis titulum κατὰ Δημάδου περὶ ἱερῶν ex loco Plutarcheo perperam intellecto, et huic orationi conciliat item

ea, quae additis verbis ἐν τῇ πρὸς Δημάδην ἀπολογίᾳ citantur. Iure poenas dedit hoc nomine Pinzgero l. c. p. 33., qui simul Plutarchi verba, Beckero tam fatalia, tentavit (p. 256. Hutt.). Sed neque punctum est ponendum post πολλάκις, cum comma sufficiat, neque καί ante πάντας tollendum, nec denique δέ post γραψάμενος inserendum videtur esse.

Quum exquirere non potuerim, de quo crimine Demades Lycurgo diem dixerit, utrum de pecuniarum publicarum administratione, an de lege quadam ab Lycurgo publice proposita, orationis reliquias, pusillas sane ac nullius fere pretii, statim adscribam.

Harpocrat. s.v. *Τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται· Λυκοῦργος πρὸς Δημάδην. Δίδυμός φησιν, ὅτι παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν ἁρμοζομένων καὶ σεμνοποιούντων ἑαυτοὺς πρὸς τὰ ἐναντία.*

Exhibuimus Codicis Medicei scripturam prolatam a Gronovio pag. 293. Vol. I. ed. Lips. Congruit cum ea Cod. Vratisl., nisi quod Lycurgi commemoratio exstincta est in eo. Praeclare autem de hoc proverbio sicuti de Harpocrationis verbis meruit T. Hemsterhusius doctissima adnotatione ad Lucian. Timon. p. 167. Vol. I. ed. Amstelod., quam integram exscribere necessarium duximus. Postquam enim Hemsterhusius rationem certam reddidit formulae τραγῳδοῖς καινοῖς, ita pergit: „Ex his, ut mihi quidem est persuasum, expediri debet proverbium aliquod ab Harpocratione et Suida commemoratum, quod postquam Erasmus perperam accepit, haud scio, an quisquam alius feliciore cura fuerit aggressus. Primum Harpocrationem ita restitue: *Τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται. Λυκοῦργος ἐν τῷ πρὸς Δημάδην. Δίδυμός φησιν* (ita Mediceus Codex: hoc autem probes an Suidae, *ὡς Δίδυμός φησι*, nihil interest), *ὅτι παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν ἁρμοζομένων πρὸς τὰ ἐπιόντα, καὶ σεμνοποιούντων ἑαυτούς.* Talem, si

cui forte difficilior videatur, habent sensum: *Aliis* (pone, in sequentem annum) *tragoedis vel ludis tragicis decertabit. Lycurgus orat. contra Demadem. Proverbium ad eos spectat, qui sese comparant ad res venturas suscipiendas, et largis promissis magnificos se faciunt.* Sic nimirum existima Demadem, ut iudicium effugeret, operam suam in posterum luculentissimam Atheniensibus venditasse; perfecturum se multis et egregiis meritis, ne eos sui accusatorum e manibus erepti unquam poeniteat: immo vero, Lycurgum respondere, hunc hominem tot criminum convictum, quem nunc tenetis, dimittite, et vanis pollicitationibus ductari vos sinite; scilicet τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται. Coniecturae fidem facit usus τοῦ ἁρμόζεσθαι πρός τι certissimus hac structura: contra σεμνοποιεῖν ἑαυτὸν πρὸς τὰ ἐναντία, aut simili modo qui dixerit, nemo, ut opinor, dabitur. Iam Erasmum lege in, *Alios tragoedos provocat*: nam de Schotto, homine litterarum studiosissimo, ad Suidae Prov. C. XIII. n. 86. non magnopere miror, si nihil extricet." In quibus, satis ingeniose ac subtiliter disputatis, illud miror, quod ne hoc quidem loco Hemsterhusius animum accurate advertit ad orationem defensoriam, non accusatoriam. De qua re nunc post Hemsterhusii doctam explicationem proclive erat iudicium. Servatum est proverbium etiam a Photio lex. Scribitur autem pro ἑτέρους apud Suidam ἑταίρους, quo permutationis genere nullum est frequentius. Cf. Heindf. ad Phaedr. p. 288. Ast. ad Plat. Legg. V, 2. p. 239.

Harpocrat. s. v. Ἀποβάτης, καὶ ἀποβαίνειν, καὶ ἀποβατικοὶ τροχοί. Δείναρχος — Λυκοῦργός (τε ἐν τῇ) πρὸς Δημάδην ἀπολογίᾳ. ὁ ἀποβάτης ἱππικόν τι ἀγώνισμα. καὶ ἀποβῆναι, τὸ ἀγωνίσασθαι τὸν ἀποβάτην. καὶ ἀποβατικοὶ τροχοί, οἱ ἀπὸ τούτου τοῦ ἀγωνίσματος. τὰ δ' ἐν αὐτῷ γινόμενα δηλοῖ Θεόφραστος ἐν τῷ εἰκοστῷ τῶν νόμων.

χρῶνται δέ, φησι, τούτῳ μόνοι τῶν Ἑλλήνων Ἀθηναῖοι καὶ Βοιωτοί. Cod. Vratisl. omittit verba a nobis inclusa et finem omnis lemmatis inde a χρῶνται. Cf. Vales. ad h. l. coll. Boeckh. C. Inscr. n. 1591. Maussac. ad Harpocrat. s. v. αὐτολήκυθος. Etymol. M. s. v. ἀποβατικῶς. Pausan. V, 9, 2. Plutarch. Phocion. c. XX. Meursium Panathenaico et Fabr. Agonist. I, 26. II, 18., atque, cuius commentationem frustra anquisivi, A. Boeckhium, de ἀποβάτης, ἀναβάτης et κάλπης disserentem in annalibus instituti archaeologici, quod Romae floret, a. 1829. pag. 157. Explicat ibi Boeckhius inscriptionem aliquam, in qua victores panathenaici enumerantur, ex bibliotheca Regia Paris. editam. Sperare licet fore, ut inscriptio ea repetatur additamentis ad Corp. Inscr.

IX. Ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται.

X. Περὶ διοικήσεως.

Ex omnibus orationibus, quae habitae sunt a Lycurgo, nullarum iactura magis est deploranda, quam earum, quarum inscriptiones suprà commemoratae sunt. Prior enim omnem vitae in republica a Lycurgo transactae rationem complexa esse, altera autem tota in pecuniarum publicarum administratione versata videtur fuisse. Atque ἀπολογισμός quidem, hoc nomine citatus ab Harpocratione s. v. Δερματικόν· ἐδωλιάσαι· ἑκατόμπεδον· νεώρια, non satis accurate indicatus est a Suida s. v. Λυκοῦργος. Quum vero Suidas quindecim orationum titulos enumeraturus fuisse videatur, nihil felicius excogitatum est, quam quod Pinzgerus voluit in ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν latere partem inscriptionis, quam oratio ἀπολογισμός prae se tulerat. Beckerus autem, quum p. 217. coniecerit, hanc orationem habitam fuisse

contra Dinarchi accusationem, a Dionysio Iud. de Dinarch. Vol. V. p. 651. R. et Harpocr. s. v. *Διαγράψαντος* et *τρίτον ἡμίδραχμον* citatam, fortasse verum vidit; *ἐν εὐθύναις* certe Dinarchi instituta erat quaestio. Perperam autem Pinzgerus Beckeri mentem accepit, qui in eo tantum errorem commisit, quod negligentissime hocce genus tituli finxit: *ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν*, quum antea orationem *κατὰ Μενεσαίχμου* tractasset; verba autem *πρὸς τὸν αὐτόν* non alio poterant referri, nisi ad Demadis nomen praegressum. Quod *ἀπολογία* praecedit in isto Suidae loco, hoc in caussa videtur fuisse, ut *ἀπολογισμός* verbum omitteretur a compilatore.

Ex fragmentis, quae supersunt, ne tantillum quidem potui elicere ad amissae orationis formam redintegrandam. Quare satis habui singula enumerare, quippe nullo vinculo inter se ligata.

Harpocrat. *Δερματικόν· Λυκοῦργος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται. δερματικὸν ἂν εἴη λέγων ὁ ῥήτωρ τὸ ἐκ τῶν δερματίων τῶν πιπρασκομένων περιγιγνόμενον ἀργύριον.* Cf. Suidam s. v., apud quem orationis inscriptio non comparet. De re ipsa cf. Boeckh. Oecon. civ. Athen. II. inscript. VIII. p. 243. sqq. et Corp. Inscr. I. n. 157. p. 250. sqq. Boeckhius l. c. p. 251. ita disserit: „*Δερματικόν* est pecunia ex hostiarum pellibus, cornibus, vesicis, chordis et talibus contracta; id competebat, ut videtur, sacerdotibus in minoribus sacrificiis; sed in quibus id non antiquo iure sacerdotibus cederet, ut in *ταῖς ἐπιθέτοις ἑορταῖς*, civitati reddebatur.“

Harpocrat. *Ἐδωλιάσαι· Λυκοῦργος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται, ἐπὶ τοῦ καθέζεσθαι· καὶ ἐδώλια αἱ ἐν ταῖς ναυσὶ καθέδραι. Ἡρόδοτος πρώτῳ.*

In his praeter accentum in ἐδωλιᾶσαι, verbum ἐδωλίαι, ut nullum, mutavimus in ἐδώλια, quod in Etymol. M. scribitur. Porro in Codice Goesiano pro ἐπὶ τοῦ καθέζεσθαι scriptum est ἀντὶ τοῦ κ. referente Gronovio (edit. Lips. Vol. I. p. 244.), quod etiam Valesius (Vol. II. p. 297.) probavit. De activa significatione cf. Polluc. IV, 121. ἐδωλιάζειν τὸ συγκαθίζειν, ubi MS. Iungerm. habet ἐδωλιάζειν, etiam a Valesio l. c. receptum, quod tum origini vocis, tum reliquorum codicum auctoritati contrarium est. Etym. M. s. v. ἐδώλια· — καὶ ἐδωλιάσαι ἀντὶ τοῦ συγκαθίσαι — ἢ ἐδώλιον. Id. s. v. ἐδωλιάσαι. Suid. s. v. Lex. Rhetor. p. 259. 32. Comparatur cum verbo ἰκριᾶσαι. Locus Herodoti est I, 24., ubi vide Wesselingium.

Harpocrat. s. v. Ἑκατόμπεδον· Λυκοῦργος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται. ὃ παρθενὼν ὑπό τινων ἑκατόμπεδος ἐκαλεῖτο διὰ κάλλος καὶ εὐρυθμίαν, οὐ διὰ μέγεθος, ὡς Μενεκλῆς ἢ Καλλίστρατος ἐν τῷ περὶ Ἀθηνῶν.

Ἑκατόμπεδος omissum in Vratisl. De templo cf. post Meurs. Cecrop. cap. XIV. Leakium Topogr. Athen. p. 304. 305. 317. c. adnotatt. p. 448. et 449. (edit. Hal. vernacul.) et Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 177.

Harpocrat. Νεώρια καὶ νεώσοικοι. μήποτε νεώρια λέγεται ὁ τόπος ἅπας εἰς ὃν ἀνέλκονται αἱ τριήρεις καὶ πάλιν ἐξ αὐτοῦ καθέλκονται, ὡς ὑποσημαίνουσι Λυκοῦργός τε ἐν ἀπολογισμῷ ὧν πεπολίτευται καὶ Ἀνδοκίδης ἐν τῷ περὶ εἰρήνης, εἰ γνήσιος ὁ λόγος (Andoc. p. 93. 4. ed. Reisk.).

Νεωσοίκους et νεώρια Lycurgus perfecit, cum inchoata demum esset eorum aedificatio Lycurgo ταμίου munus capessente. Cf. Plutarch. p. 251. et p. 278. (decret.) Pausan. Att. c. 29. Fragm. Hyperid. apud Apsinem Rhetor. Ald. I. p. 708. Attigerunt haec vocabula veterum grammaticorum plurimi. Photius s. v. Lycurgi

memor fuit, non item, ut saepe, orationis ipsius. Suid. s. v. *νεώρια* et s. v. *νεώσοικοι*. Etym. M. p. 601. 17. Lex. Rhet. p. 282. 1. Poll. IX, 28. Eustath. Odyss. ζ. p. 263. 1. Cf. praeterea Valcken. ad Thom. M. p. 170. (Tittm.). Siebelis. ad Pausan. I, 1, 2. Lobeck. ad Phryn. p. 414. et Franc. Goellerum ad Thucyd. VII, 22., qui de significatione ac de differentia, quae inter utrumque vocabulum intercedit, plura disputavit.

Oratio *περὶ διοικήσεως* tota in eis versata est, quae Lycurgus fecerat, quum pecunias publicas Atheniensium administraret. Qui enim appellari solebat magistratus *ταμίας τῆς κοινῆς προσόδου*, idem *ταμίας τῆς διοικήσεως* vel *ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως* audiebat (Boeckh. Oec. civ. I. p. 181.). Etsi vero *διοίκησις* pars tantum erat munium, quae ad quaestorem publicum pertinebant, tamen universae administrationis rationes exposuisse colligo Lycurgum, tum ex fragmentis, quae infra tractabo, tum ex iis, quae Boeckhius l. c. et A. Baumstarkius de curatoribus emporii c. II. p. 15. sqq. de significatu verborum *διοικεῖν*, *ἄρχειν* et *ἐπιμελεῖσθαι* disseruerunt. Consentaneum autem videtur esse, eam orationem a Lycurgo *ἐν εὐθύναις* habitam esse, nam *ἐδίδου εὐθύνας πολλάκις τῶν πεπολιτευμένων ἐν ἐλευθέρᾳ καὶ δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει* (Plut. l. c. p. 279.), quibus verbis simul *ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται*, cuius altera inscriptio fuit *ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν*, videtur esse indicatus. Narratio autem, quam Plutarcho debemus (p. 8. ed. n.), de gloriosissimo Lycurgi fine deque praeclarissima ista integerrimae in patriae salute transactae vitae testificatione effecit, ut quae ibi verba fecisse dicatur Lycurgus ad Menesaechmi calumnias diluendas, ad hanc *περὶ διοικήσεως* vel ad illum *ἀπολογισμὸν ὧν πεπολίτευται* referrentur. Beckerus enim p. 218. hanc *περὶ διοικ.* orationem ultimam omnium fuisse et Olymp. CXII., 2. vel 3. brevi ante senis mortem tempore habitam affirmat.

Quod quum non explicatius demonstraverit, nunc potest prorsus intactum relinqui. Sed Boeckhio quoque ea fuit mens, ut extrema illa Lycurgi verba in senaculo dicta de ἀπολογισμῷ intelligeret Oec. civ. I. p. 469.: „Der Verlust seiner Vertheidigungsrede gegen Menesächmus (ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται, ἀπολογία ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν), in welcher er seine aufgestellte Rechenschaft rechtfertigte gegen die Angriffe seines Feindes (Plut. p. 255.) und worin er bis auf kleine Einzelheiten, wie das Hautgeld, einging; dieser Verlust ist für die Geschichte des Attischen Finanzwesens unersetzlich.“ In quibus me sibi non habet assentientem Vir Illustr. Namque quum Boeckhius alteram Lycurgi orationem diserte κατὰ Μενεσαίχμου inscriptam not. 560. l. c. ab hac distinguat, necessario eam intelligit, quam ante obitum habuit Lycurgus. Sed quum recte iam a Pinzgero p. 23. monitum sit, Lycurgum fuisse οὐκ εὖ πρὸς τὰ αὐτοσχέδια πεφυκότα (Plut. p. 254.), narratio autem, quemadmodum apud Plutarchum videre licet, ex tempore Lycurgum Menesaechmi διαβολὰς ἀπολύσασθαι fidem faciat, non est verisimile, ea verba in iustae orationis formam elaborata fuisse, ita ut possent aetatem ferre cum reliquis Lycurgi orationibus. Nec non aperte indicant verba Plutarchi, Lycurgum domum ex concione reducem diem obiisse supremum. Etsi vero hoc argumento expedita videri possit omnis hac de re quaestio, tamen altioris eget indaginis. Lycurgum enim constat per duodecim annos aerarium populi Attici administrasse. Id enim et Diodorus perhibet l. supra laudato, quum de oratione adv. Lysiclem ageremus, et ex Plut. p. 250. et p. 270. et Phot. cod. 268. p. 1483. manifestum est. Locutio ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας duodecim annos complectitur, ita ut fallantur Wesseling. ad Diod. XVI, 88. Petit. Legg. Att. III, 2, 33. et Pinzgerus p. 8. not. 10. Ac Pinzgerus quidem multo magis, quam

illi duumviri, est vituperandus, quod post Boeckhium aliam quandam falsissimam rationem iniit Diodori verba cum Plutarcho conciliandi. Quum enim a Boeckhio l. c. p. 118. et Ideler. Chronolog. I. p. 269. sq. et p. 372. demonstratum sit, πενταετηρίδα ex Atticorum ac fere omnium Graecorum more nihil aliud esse, nisi annorum quatuor spatium, nihilosecius Pinzgerus sibi persuasit, quinque annorum spatium pro vocabuli originatione intelligendum esse, ita ut ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας sit circiter tres penterides. Qua in sententia cum illud falsissimum sit, quod eiusmodi loquendi ratio magis conveniret tredecim quatuordecimve annis, quam undecim duodecimve, uti Pinzgerus voluit p. 23., tum vero etiam praepositionis ἐπί usus reiiciendus est, quicquid obloquuntur Passov. Lex. s. v. et Matth. Grammat. gr. p. 1169. abutentes exemplo Herod. IV, 198. Ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας verbis Diodorus tempus, quo Lycurgus pecuniis publicis praefuit, ita definivit, ut dicatur numerus penteridum accedere vel quasi explere tertium numerum. Praeterea aliud quid a Pinzgero minus recte videtur dictum esse. Colligit enim ex Plutarcho, Lycurgum in medio tertiae penteridis cursu mortuum esse, et, quum moribundus fuisset, sua sponte eas rationes reddidisse, quae ab eo post perfectam demum penterida iure potuissent exigi. His duae res potissimum opponendae sunt. Notum est enim ex Plut. p. 258., Lycurgum omnes pecunias, quas administraverat tribus istis cyclis, in columna consignandas curasse, quam ante palaestram a se conditam erexit. Quomodo tandem hoc potuit publice facere, nisi iusto administrationis tempore peracto ac rationibus redditis a populo in concione comprobatis? Aut potuit eiusmodi quid instituere, cum sentiret, se mox moriturum esse? Videtur hoc extra omnem dubitationem esse positum, talem columnam perfecta demum administratione a Ly-

curgo collocatam esse, praesertim quum omnium redituum ratio, quorum administratio penes *ταμίαν τῆς κοινῆς προσόδου* esset, quadriennalis esset. Boeckhius autem, a cuius verbis sumus exorsi, quamquam duodecim plenos annos isto munere Lycurgum functum esse vere iudicavit, illud nescio an iure dicat, rationum in columna ista redditarum veritatem ante mortem demum renitente Menesaechmo comprobasse. Porro autem vel alterum argumentum, quo nostram sententiam munituri sumus, ex decreto isto depromptum est. Huius decreti enim verba quaedam etiamnunc minus recte intelliguntur. Pinzgerus p. 22. ita disserit: „Wiederholt gab ihm das athenische Volk Beweise seiner Achtung. Mehrmals wurde er öffentlich bekränzt und ihm Bildsäulen zuerkannt. Unter dem Archon Anaxikrates faſste das Volk einen Beschluſs, nach welchem dem Lykurg eine eherne Bildsäule im Kerameikos, welche noch Pausanias sah, gesetzt, und ihm und nach seinem Tode stets dem Aeltesten seiner Nachkommen Speisung im Prytaneum bestimmt wurde.“ Haec sumpta sunt ex Plut. vit. Lyc. p. 256. *ἀνάκειται δ' αὐτοῦ χαλκῆ εἰκὼν ἐν Κεραμεικῷ κατὰ ψήφισμα ἐπ' Ἀναξικράτους ἄρχοντος, ἐφ' οὗ ἔλαβε καὶ σίτησιν ἐν Πρυτανείῳ αὐτός τε* (delevimus *καὶ ὁ*) *Λυκοῦργος καὶ ὁ πρεσβύτατος αὐτοῦ τῶν ἐκγόνων κατὰ τὸ αὐτὸ ψήφισμα.* Quae cum per se addubitari nequeant, tamen temporis notationem prae se ferunt falsissimam, id quod Pinzgerum fugit. Anaxicrates enim archon fuit Olymp. CXVIII., 2. Notum est autem, Demosthenem diutius vixisse Lycurgo (Plutarch. p. 270.) et mortuum esse Olymp. CXIV., 2. Non potuit igitur Anaxicrate archonte Lycurgus etiamtum vivere, ita ut vel nomen archontis corruptum videri possit, vel scriptor negligentissime in componenda Lycurgi vita versatus. Quodsi cum his Plutarcheis contendimus decreti verba, apparet, hinc Plutarchum

sua adscivisse. Initium autem decreti hoc est: *Λυκόφρων Λυκούργου Βουτάδης ἀπεγράψατο αὐτῷ εἶναι σίτησιν ἐν πρυτανείῳ κατὰ τὴν δοθεῖσαν δωρεὰν ὑπὸ τοῦ δήμου Λυκούργῳ Βουτάδῃ ἐπὶ Ἀναξικράτους ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος ἕκτης πρυτανείας. Στρατοκλῆς κ. τ. λ. εἶπεν.* Quae verba, ut nunc solent scribi, ad Lycurgi tempora viventis non possunt non referri, ita ut Pinzgerus singularem in modum erraverit p. 25. haec scribens: „Später, unter dem Archon Anaxikrates, Olymp. 118, 2., fafste das Volk auf Antrag des Stratocles einen Beschlufs, in welchem nicht nur Lycurgs Verdienste anerkannt, sondern auch ihm und seinen Söhnen grofse Ehrenbezeugungen zuerkannt wurden.“ Cf. modo cum iis, quae paullo superius ex Pinzgeri libro attulimus. Scripsit haec Pinzg., quasi diversis temporibus fuisset archon Anaxicrates. Sensit hanc difficultatem Clintonus p. 185. Krueg., quum scriberet: „Hi honores mortuo septendecim annis postquam obierat habiti sunt, quamquam vitae scriptoris verba significare videntur, eum etiamtum vixisse.“ Confusio autem orta est ex decreti initio male intellecto. Coniunxit enim ille verba *ἐπὶ Ἀναξικράτους* cum *δοθεῖσαν*, non autem, quod debebat, cum *ἀπεγράψατο*, vel cum *εἶπεν Στρατοκλῆς*. Quum nullam rationem haberet anni, quo archon fuit Anaxicrates, narravit rem, tanquam hoc archonte Lycurgus vixisset. Aut igitur Lycophron illo archonte honores Lycurgi posteris decretos sibi postulavit, Stratocle oratore verba faciente pro ea re, aut postero tempore id ius sibi vindicavit, quum iam Stratocles archonte Anaxicrate decretum in gratiam Lycurgi filiorum tulisset. Necessario autem Lycurgo quoque tum demum honores sunt decreti, postquam munere *ταμίου* per duodecim annos erat perfunctus. Hoc enim Stratoclis verba aperte monstrant: *δόξας δὲ ἅπαντα ταῦτα δικαίως διῳκηκέναι πολλάκις ἐστεφανώθη.*

Quodsi temporis spatium quiddam interfuit inter administrationis finem et Lycurgi obitum, falsissimum est, Lycurgum statuere in medio administrationis cursu morte interpellatum fuisse. Iam possit autem quispiam quaerere, qui factum sit, ut Lycurgus ante mortem iterum rationes reddiderit, quum iam prius, quo tempore magistratu se abdicavit, rationes ab eo redditas fuisse statuendum sit. Non potuerant enim honores publice tribui nisi hoc facto. Illae in ipso limine leti redditae rationes non ad singulare quiddam munus pertinebant, sed ad omnem vitam in republica peractam, ad pecuniarum curam cum publicarum tum privatarum, ad omnes denique res pro republica susceptas. Necesse est autem, fuerit caussa quaedam peculiaris, quae Lycurgum ad eiusmodi rem non sane frequentatam impelleret. Fortasse non desierant adversariorum criminationes de pecuniis publicis male collocatis.

Ceterum de Lycurgi administratione pecuniarum publicarum nolo post Boeckhium (Oec. civ. I. p. 468. sqq.) disputare. Unum tantum admodum dubitanter addo. Suspicor enim ex decreto et ex vita Lycurgi Plut. Lycurgum praeterea aliis quibusdam muneribus functum fuisse, quae denotata sunt verbis: *καὶ ἐπὶ τὴν τοῦ πολέμου παρασκευὴν χειροτονηθεὶς — ἐτελεύτησε* (p. 251.) atque eadem fere in decreto (p. 278.). Partem igitur operum publicorum *ταμίας* exstruxit, partem *χειροτονηθείς* etc., quod munus ad communem *τῶν ἐπιστατῶν ἔργων δημοσίων* curam pertinuisse videtur. Quum vero lege fuerit Athenis et sacramento heliastarum sanctum, ne cui duo magistratus eodem tempore capere liceret (cf. C. Fr. Hermann. V. Clar. de iure magistrat. p. 21.), Lycurgum suspicor hoc munere atque altero illo, quod significatur paullo inferius verbis *ἔτι δὲ αἱρεθείς*, tum functum esse, quum amicorum nomine uteretur in administrandis reditibus publicis; nisi forte

credas, scriptorem vitae ac latorem decreti tam diligentes in temporibus notandis fuisse, ut, perfectis demum duodecim annis in διοικήσει consumptis, istis duobus muneribus functus esse videatur Lycurgus.

Tabularum publicarum, in quibus consignata erat omnis administrationis ratio, partem Fourmontus Athenis descripsit, quam Boeckhius sagacissima argumentatione ad Lycurgeas rationes retulit (Oec. civ. II. p. 243. sqq. Corp. Inscr. I. n. 157.). In qua quum nonnulla addubitari posse videantur, quae minus certa esse ducimus exposituri sumus. Boeckhius enim ita est ratiocinatus. Quum inscriptio illa Fourmontiana archontum Ctesiclis et Nicocratis nomina praebeat, necesse est pertineant rationes, quae redduntur, ad annos Olymp. CXI., 3. et 4. Porro ex eo, quod rationes per duos consequentes annos continuo perducuntur, rationes eius magistratus reddi perspicitur, qui per plures annos munere fungeretur. Itaque, quum notum sit ex Lycurgeae orationis, quae dicitur ἀπολογισμός, fragmentis, — quode supra egimus — δερματικόν in censum ταμίου τῆς κοινῆς προσόδου venisse, haec inscriptio ad rationes quaestoris publici pertinere videtur. Iam si quaeratur, qui eis annis quaestor publicus fuisse videatur, neminis memoria animo prius obversatur, quam Lycurgi, qui illa aetate vixit ac summa istius muneris laude inter populares floruerat. Quod eo certius redditur, quod δερματικόν ab oratore commemoratum et rationes Lycurgi columnae incisas et publice collocatas fuisse scimus. Quod autem maximi est momenti, Philochorus fragmento quodam (Siebelis. p. 76.) tradidit haec: *Λυσιμαχίδης Ἀχαρνεύς· ἐπὶ τούτου τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τοὺς νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον πρὸς Φίλιππον.* Quae verba statim admonent eorum, quae exstant in vita Lycurgi: *πολλὰ δὲ ἡμίεργα παραλαβὼν ἐξετέλεσε καὶ νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην.*

Lysimachides quum archon fuerit Olymp. CX., 2., Lycurgus post hunc annum quaestoris munere functus sit necesse est. Itaque quum necessarium sit, Lycurgi administrationem complecti annorum duodecim seriem aliquam, quae contineat annos Olymp. CX., 3. et Olymp. CXI., 3. 4., atque quum quaestores publici tertio quoque Olympiadum anno munus suum capesserent, potuit Lycurgus aut Olymp. CIX., 3. aut CX., 3. administrationem inchoare. Quae si omnia vere sunt disputata, illa inscriptio ad Lycurgi quaestoris publici tempora pertinet. Sed primum, quod de δερματικῷ dictum est, persuasionis vi caret. Inde enim, quod δερματικόν ab oratore commemoratur in ἀπολογισμῷ, nihil fere fit consectarium, nisi quod videmus istam pecuniam inter reditus aerarii populi Attici fuisse numeratam, id quod inscriptione vel magis probatur. Quum vero δερματικόν ad reditus omnino pertineret, — nam non credendum est, eam pecuniam a solo Lycurgo, quum quaestor publicus esset, collectam fuisse, — non est quod necessario inscriptionem eam in Lycurgi rationibus versari existimemus. Porro nec illud probo, quod Boeckhius, ubi initium administrationis definivit, optionem dedit inter Olymp. CIX., 3. et CX., 3., ut Lycurgeae aetatis initia, eligendi. Quum enim dicat, Lycurgum — „zuverlässig doch als Schatzmeister der Verwaltung“ (p. 245.) — navale et armamentarium perfecisse, non potuit ante Olymp. CX., 3. ad quaestoris publici munus accedere, quoniam ista opera semifacta παρέλαβε, ut ait Plutarchus l. c. Quodsi nobiscum statuis, illa aedificia cum multis aliis a Lycurgo, non quaestore, sed epistata publicorum operum, quum esset χειροτονηθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς, esse perfecta, in quam sententiam Plutarchi verba dicta esse videntur, nihil cogit nos, Lycurgeam administrationem istis duobus terminis includere; potuit enim pri-

ore aliquo tempore munere isto celeberrimo fungi, ac postea ad opera publica a populo adhiberi. Sed est res quaedam, quae longius in vita Lycurgi vetet recedere. Fuit enim Lycurgus Olymp. CIX., 2. legatus in Peloponnesum missus, quode supra p. 4. dictum. Hoc tempore vix crediderim, eum in magistratu fuisse, certe non quaestorem publicum, qui si quis alius urbem nunquam relinquere debebat. Accessit igitur, si hoc recte monuimus, Lycurgus Olymp. CIX., 3. ad munus quaesturae, idque tenuit usque ad Olymp. CX., 2. suo nomine, ab Olymp. CX., 3. autem usque ad Olymp. CXII., 2. aliorum nomina praefatus. Quum vero sentiam, neque ex his argumentis ullum esse tam firmum, ut certissima possit videri Boeckhii de inscriptione illa coniectura, non habeo, quibus ea refellam, quae de Demade quaestore publico post Lycurgum dici possunt. Clintonus enim ad Olymp. CXIII., 3. haec disputat: „(Demadis *ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας.* Haec oratio, qua reipublicae per duodecim annos a se administratae rationem defendit caussa *περὶ τῶν Ἁρπαλίων* prior fuit, quoniam Demades in hac caussa damnatus est. Hi duodecim anni inceperunt a pugna Chaeronensi. Post pugnam *ἐνταῦθα ἐπιστὰς τοῖς πράγμασιν ἔγραψα τὴν εἰρήνην, ὁμολογῶ. ἔγραψα καὶ Φιλίππῳ τιμάς, οὐκ ἀρνοῦμαι. δισχιλίους γὰρ αἰχμαλώτους ἄνευ λύτρων καὶ χίλια πολιτῶν σώματα χωρὶς κήρυκος καὶ τὸν Ὠρωπὸν ἄνευ πρεσβείας λαβὼν ὑμῖν ταῦτ' ἔγραψα.* Demad. fragm. p. 179. 32. Terminus illorum duodecim annorum fuerit a. 326.) Demadis potentiam post pugnam Chaeronensem profitetur Demosth. de cor. p. 320. Ad hoc tempus, quo Demades per duodecim annos rempublicam administravit, referendum videtur, quod de eo narrat Plut. Pol. Praec. p. 818. e. *ὅτε τὰς προσόδους εἶχεν ὑφ' ἑαυτῷ τῆς πόλεως.* Qui post Lycurgum reditus administravit, — *ὁ μετὰ Λυκοῦργον τὴν διοίκησιν τῶν δη-*

μο-

μοσίων χρημάτων παραλαβών — quamquam non nominatus, descriptus a Dionysio de Din. p. 660. Hic Lycurgi successor videtur proxime antecessisse Demadem.“ His quamquam responsum est iam a Boeckhio, cuius argumentationem Clintonus ignoravit, tamen res non videtur confecta esse. Quum enim dicit Plutarchus, τὰς προσόδους τῆς πόλεως administrasse Demadem, etsi late patet haec loquendi ratio, non videtur aliud munus quaestorium significare voluisse, quam supremam redituum curam. Quantum equidem memini, istis verbis semper una eademque res significatur; nec Plutarchus credendus est tam negligenter in hac re designanda versatus esse, quam bene notam habebat. Nec est porro, cur statuamus, Demadem ea aetate (Olymp. CXII., 2.) non potuisse ab Atheniensibus ad munus tam grave eligi; Demadi enim Atheniensium populus ex proelio inde Chaeronensi plura debebat beneficia, atque omni isto tempore eorum hominum summa erat Athenis auctoritas, qui cum Macedonibus faciebant. Quodsi Demades isto anno erat ταμίας τῆς διοικήσεως, necessario munus inchoaverat Olymp. CXI., 3., i.e. eodem anno, quem inscriptio Fourmontiana refert. Iam vero quum Lycurgum aliusquis quaestor publicus exceperit, quem Menesaechmum fuisse sagacissime vidit Boeckhius Oec. c. I. p. 472., ita ut fallatur Clintonus, qui eius nomen reticeri credit a Dionysio, Lycurgus a redituum publicorum administratione se abdicavit Ol. CX., 2., si proximus ante Menesaechmum antecessit. Hunc Menesaechmum enim Lycurgi fuisse successorem, verba Dionysii Halic. V. p. 660. obscure quidem, sed satis certo indicant, quae vitio quodam etiamnunc sunt infecta. Scribitur enim l. 7. ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς λόγοις περὶ ἁπάντων μηνύει. Sylburgius in voce ἁπάντων offendens αὐτοῦ corrigit. Sed

quo hanc emendationem? Videtur commode scribi posse Ἁρπαλίων. Nil mirum, si Menesaechmus quoque Harpalicam caussam attigit. His in transcursu monitis ad propositum redeo. Lycurgi igitur administratio ad multo prius tempus reiicienda erit. Potest autem hoc fieri, ubi fidem fecerimus, Lycurgum, quum navale et armamentarium, Olymp. CX., 2. interrupta, perficeret, non fuisse quaestorem publicum. Quum vero statuendum esset, Lycurgum iam Olymp. CX., 2. ab omni administratione recessisse, ne tum quidem ista opera refecit, quum aliorum nomine uteretur. Haec omnia autem eo consilio a me disputata esse existimet Vir Illustrissimus, ut posse impugnari coniecturam illam ostenderem pro virium modulo. Quoniam autem eo rem perduxi, ut cuipiam prorsus in dubio a nobis suspensa videatur, satius existimo, Lycurgi administrationem his terminis amplecti: Olymp. CIX., 3. et Olymp. CXII., 2., quod quidem, nisi Plutarchus l. c. erravit, statui nequit. Facile autem hi numeri cum reliquis, quae praeterea de Lycurgi vita scimus, possunt conciliari. Etenim Lycurgus, qui natu maior erat quam Demosthenes, natus est fortasse Olymp. XCVII., siquidem Demosthenes natus est Olymp. XCVIII., 4. Mortuus est autem ante Olymp. CXIV., 3. Nam hoc anno Demosthenes et Hyperides mortui, quorum alter pro Lycurgo mortuo dixit. Cf. Apsin. Rhet. Ald. I. p. 708. Nec videtur Antipatri tempora vidisse. Eandem enim, quam illi duumviri, expertus esset sortem. Porro nec Harpali fugam vidit corruptosque ab eo oratores, id quod videre licet ex Plut. vit. Hyperid. p. 373. ἀλλ' ἐπεὶ Αὐσιχλῆς μὲν καὶ Λυκοῦργος ἐτεθνήκεσαν, Δημοσθένης δὲ ὡς παρὰ Ἁρπάλου δωροδοκήσας ἐκρίνετο. Mortuus est igitur ante Olymp. CXIV., 1. vel hoc demum anno ineunte.

His chronologicis computationibus, quae vereor ne tenuitate sua taedium faciant, absolutis ad singula fragmenta illustranda accedo.

Harpocrat. s. v. *Ἀγαθῆς τύχης νεώς· τούτου μνημονεύει Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ διοικήσεως καὶ ἕτεροι.*

Suid. *Ἀγαθῆς τύχης νεώς· οὐκ ἄδηλον τὸ σημαινόμενον.* In Harpocrat. verbis Gronovius de scripturae veritate dubitavit, auctoritatem codicis sui secutus, qui scriptum exhibet: *Ἀγαθοτύχους νεώς·* quod item in Vratislav. omnium diligentissime collato comparet. Gronovius haec adnotavit: „*ἀγαθὴν τύχην* satis notam fecerunt viri docti ex cultu et superstitione Atheniensium ut et statuae prope Prytaneum. Sed tu vide, an non is sit heros incognitus etiamnum". Agathotychus est quidem nomen medici cuiusdam, cuius inter Mulomedicos exstant fragmenta, auctore Meursio Bibl. Gr. Thesaur. Gronov. X. p. 1202. B., sed de heroe Attico ita appellato nemo veterum tradidit, ac vehementer dubito, num vocabuli istius compositio ad bonae graecitatis tempora referri possit. Equidem *ἀγαθὴν τύχην* servandam esse existimo, de cuius statua prope Prytaneum collocata videas Aelian. V. H. IX, 39. ibique Perizon. Templum vero nusquam commemoratum repperi. Lebadeae atque Olympiae sacraria et arae huius deae constituta fuisse Pausanias perhibet. — Cum Suida convenit Codici Paris. Reg. 2552. olim Colbert. 4898., cuius collationem debeo singulari Sinneri, V. Clar., humanitati ac liberalitati.

Harpocrat. s. v. *Αἰγίς· αἰγίδας ἐκάλουν τὰ ἐκ τῶν στεμμάτων πλέγματα καὶ τὰ διὰ στεμμάτων πεπλεγμένα δίκτυα. Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς διοικήσεως καὶ Νυμφόδωρος. Ἡρόδοτος δ' ἐν τετάρτῃ ταύτας φησὶν ὑπὸ Λιβύων αἰγέας καλεῖσθαι.*

Totum hunc locum abiectis Maussaci commentis ita scribendum existimo ex sola codicum auctoritate:

Αἰγίδας ἐκάλουν τὰ τῶν στεμμάτων δίκτυα. Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ διοικήσεως καὶ Ἡρόδοτος ἐν τετάρτῃ. Νυμφόδωρος δὲ ταύτας φησὶν ὑπὸ Λιβύων αἰγέας καλεῖσθαι.

In constituendis Harpocrationis verbis prae ceteris sequendus est Codex Mediceus, de cuius scriptura Gronovius (ed. Lips. I. p. 214.) haec retulit: „Negari nequit, quin excellentissime hunc locum illustret MS., in quo pro omnibus istis ineptis vocibus tantum legitur *ἐκάλουν τὰ τῶν στεμμάτων δίκτυα* et nihil aliud.“ Item in Vratisl. omissa sunt verba *πλέγματα — πεπλεγμένα*, quae Maussacus invexit. Si Passovius recte expressit Schneideri manum, etiam *δίκτυα* omissum est in Cod. Vratisl., sed dubito, an recte fecerit. *δίκτυα* enim necessarium esse videtur, nisi si scriptum exstat solum *τὰ ἐκ τῶν στεμμάτων*. Atque *δίκτυα* item additur in Cod. Darmstad., cuius scripturae discrepantes divulgatae sunt ex Werferi schedis in Actt. Mon. III, 2. Porro Cod. Parisin. noster habet: *Αἰγίδες τὰ τῶν στεμμάτων δίκτυα ὡς Λυκοῦργος καὶ Ἡρόδοτος. Νυμφόδωρος δὲ ταῦτα ὑπὸ Λιβ. κ. τ. λ.* De articulo autem ante *διοικήσεως* ponendo vel omittendo fluctuo. Si quid video, haec est in scribendo orationis huius titulo varietas, aut *ὁ περὶ διοικήσεως* aut *περὶ τῆς διοικήσεως*. Cf. Harpocr. s. v. *Ἀγαθῆς τύχης νεώς· Ἐπικράτης· σείρινα· ὀχεῖον· δοκιμασθείς· στεφανῶν τοὺς νενικηκότας*, collatis tum Cod. Vratisl. tum Medic. Longe autem audacissime Maussacus extrema lemmatis verba infelici quodam invento turbavit. Quod quum hoc loco nihil certe ad nos pertineat, satis habeo monuisse, eo modo, quo nos scripta exhibuimus, reperiri in Cod. Vratisl. et Mediceo. In hoc, quod *Νυμφόδωρος* nomen omissum est, casu hoc factum esse iudico, non consulto. Etenim si recte Gronovium intelligo, ita scripta haec verba sunt in Medic.: *καὶ Ἡρόδοτος ἐν τετάρτῃ δὲ*, cf. p. 214. l. 10. et p. 215. l. 21.; potuit igitur *Νυμφόδωρος* facile ante *δὲ*

omitti. Ceterum Cod. Paris. et exemplar Aldinum, quod penes me est, Cod. Vratisl. sequuntur. Iam denique de Ἡρόδος scriptura in Ἡρόδοτος mutanda omnia in aperto sunt posita. Ἡρόδος enim libri Maussaci, Morellianus et Vaticanus, praeterea liber Goesianus a Gronovio collatus (cf. Gronov. ad Harpocrat. s. v. ἐδωλάσαι) et Aldina; Ἡρόδοτος autem Vratislav. Medic. Darmstad. et Paris. Cum omni hoc lemmate accurate comparanda sunt Eustathii verba Il. έ. v. 738. p. 602. 603. R. Postquam enim Eustathius in varias vocabuli αἰγίς significationes inquisivit, ita pergit p. 603. l. 14.: σημείωσαι δὲ ὅτι οὐ μόνον αἰγίδες τὰ ῥηθέντα λέγονται, ἀλλὰ καὶ ἄλλο τι ἡ λέξις δηλοῖ. Αἴλιος μὲν γὰρ Διονύσιός φησιν· αἰγὶς τὸ ἐκ τῶν στεμμάτων δίκτυον. Παυσανίας δὲ τὸ ἐκ τῶν στεμμάτων πλέγμα καὶ τὸ διὰ τῶν στεμμάτων πεπλεγμένον δίκτυον. καὶ αὐτοὶ μὲν οὕτω. οἷον δὲ ἔργον ἡ τοιαύτη αἰγίς, οὐκ ἐδήλωσαν σαφῶς κ. τ. λ. Ex his apparet, Maussacum expressisse Pausaniae verba, codicum autem scripturam, quae brevioribus verbis effertur, ex Aelio Dionysio esse petitam. Est sane hic locus, si quis alius, luculento testimonio eius sententiae, quam Frid. Ritschelius meus eruditissimis ad Thomam M. prolegomenis p. XLIX. primus proposuit de horum lexicorum usu ad aestimandum Harpocrationis lexicon. Ex Eustathio autem corrigo Bekk. Anecd. p. 354. l. 4. καὶ τὸ διάστεμμα τῶν πεπλεγμένων δικτύων· ita: διὰ στεμμάτων πεπλεγμένον δίκτυον. De usu αἰγίδων in sacris cf. Gronovii notam ad Harp. s. v. et interpretes Herodot. IV, 189. Mirandum est, quod Ebertum, alioquin hominem diligentissimum, Nymphodori nomen h. l. commemoratum fugit, cum ageret de Nymphodoro Dissertat. Sicul. I. p. 250. sqq. Ceterum Nymphodorus quae de αἰγίδες tradidit, hausit ex Herodoti loc. cit., quem Eustathius quoque attigit.

Harpocrat. s. v. *Ἐπικράτης·* — *ἕτερος δ' ἐστὶν Ἐπικράτης οὗ μνημονεύει Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ διοικήσεως, λέγων· ὡς χαλκοῦς ἑστάθη διὰ τὸν νόμον τὸν περὶ τῶν ἐφήβων, ὃν φασι κεκτῆσθαι ταλάντων ἑξακοσίων οὐσίαν.* Eadem Suidas. Quamnam orator intelligat de epheborum conditione legem, diiudicare nequeo. Fortasse idem hic est Epicrates atque ille, cuius psephisma de Panathenaeis servatum est a Demosthene Timocrat. p. 708. l. 23. Rei domesticae autem summam recordatus est Boeckhius Oec. civ. II. p. 19.

Bekk. Anecd. p. 145. 30. *Ἐπιτροπεύω* — *τέτριπται δὲ καὶ μετὰ γενικῆς ὡς παρὰ Λυκούργῳ ἐν τῷ περὶ διοικήσεως „ἐκ τῶν ἱερῶν, ὧν ἡμεῖς ἐπετροπεύσαμεν“.* Cf. Matth. Gramm. gr. §. 359.

Harpocrat. s. v. *Δοκιμασθείς·* — *Λυκοῦργος δ' ἐν τῷ περὶ διοικήσεως· τρεῖς δοκιμασίαι κατὰ τὸν νόμον, φησὶ, γίνονται· μία μὲν, ἣν οἱ ἐννέα ἄρχοντες δοκιμάζονται· ἑτέρα δὲ, ἣν οἱ ῥήτορες· τρίτη δὲ, ἣν οἱ στρατηγοί. λέγει μέντοι ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ καὶ ἱππέων δοκιμασίαν.* Huc pertinent, quae habet Schol. Aeschin. p. 748. R. *οὐδὲ γὰρ ὁ νόμος] οὕτω καὶ Λυκοῦργος. φησὶ γὰρ δοκιμάζεσθαι δεῖν, οὐ πάντας ἐπὶ τῷ ἑταιρῆσαι, ἀλλά τινας πολιτευομένους καὶ ῥήτορας καὶ τὰ ψηφίσματα γράφοντας.* Cf. Suid. et Lex. rhetor. p. 235. 11. Utrumque locum tractavit Meierus, illum de tribus *δοκιμασίας* generibus Att. Proc. p. 201., alterum vero p. 211., ad quem lectores ablegamus. Quum plures essent magistratuum *δοκιμασίαι*, quam a Lycurgo enumerantur, Meierus Lycurgum cum reliquis scriptoribus ita conciliavit, ut eum diceret intellexisse *δοκιμασίαν* tum sorte creatorum, tum electorum magistratuum, tamen solos archontes et praetores commemorasse, utpote in utroque genere principes. De Strategorum *δοκιμ.* cf. Vales. ad h. l., de *ῥητόρων δοκιμ.* Schoemann. de Comit. Athen. p. 110., de

ἱππέων denique δοκιμ. Petit. Legg. Att. p. 550. — 553. et Boeckhium Oec. civ. I. p. 269.

Harpocrat. s. v. *Λυσίμαχος*· — *ἕτερος δ' ἐστὶ Λυσίμαχος, οὗ μνημονεύει Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς διοικήσεως ὡς εὐτελοῦς μελοποιοῦ.* Phot. s. v.: — *οὗ δὲ Λυκοῦργος* (scil. *μνημονεύει*)· *μελοποιὸς ἦν εὐτελής.* Cum Photio consentit Suidas s. v. Lysimachus cetera incognitus.

Harpocrat. s. v. *Στεφανῶν τοὺς νενικηκότας*· *Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Αἰσχίνου ἀντὶ τοῦ τιμῶν. καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ διοικήσεώς φησιν· ἀλλὰ μὴν καὶ Καλλισθένην ἑκατὸν μναῖς ἐστεφανώσατε.* Eadem verba habent Photius et Suidas s. v. non addito orationis titulo. Apud Photium restitue *μναῖς* pro *μνάς*. De hac verbi *στεφανοῦν* significatione cf. Wesseling. ad Diodor. XIV, 53. et Koehler. in Morgenstern. Symbolis Dorpat. I. p. 91. citatum a Westermanno de publicis Atheniens. honoribus ac praemiis, Lips. 1830. p. 19. Callisthenes post Phocense bellum a Philippo confectum Athenienses ad apparatus belli faciendos instigavit, de quo cf. Westermann. Histor. eloqu. p. 95. n. 14. Porro Dinarchi exstabat oratio adversus Callisthenem, cuius fragmenta indicata reperies a Westerm. l. c. p. 313. Sed diiudicari nequit, pertineant haec omnia ad Callisthenem a Lycurgo notatum nec ne.

Harpocrat. s. v. *Ὀχεῖον*· — — *Λυκοῦργος δ' ἐν τῷ περὶ διοικήσεως γείτονας τοῦ ὀχείου φησί· μήποτε δὲ ἐπὶ τόπου τινός, ἐν ᾧ ὀχεῖαι γίνονται κτηνῶν ἢ ὀχήματα μισθοῦται.* Ita etiam Suidas et Photius. In Photio *οἰκήσεως* male scribitur pro *διοικήσεως* et *γείτονος* pro *γείτονας*. Cf. Lex. Rhetor. 287. 32. Etym. M. s. v. *Ὀχεῖον*. Hesych. s. v. *Ὀχεῖον* et *ὀχεία*.

Harpocrat. *Σείρινα*· *Λυκοῦργος περὶ τῆς διοικήσεως. Σείρινα, σείριον ἐκάλουν λεπτὸν ἱμάτιον ἀσπάθητον, οἷον*

θέριστρον, καθά φασιν οἱ γλωσσογράφοι. καὶ σειρὴν δὲ ὁ λεπτὸς καὶ διαφανὴς χιτών, εὔθετος τότε ὅτε ἐστὶν ὁ Σείριος. ἔστι δὲ καὶ Σεῖρις πόλις Ἰταλική, καὶ τάχα τὰ ἔνθεν ὑφάσματα ἢ τινα ἄλλα σείρινα εἶπεν ὁ ῥήτωρ. ἐν ἐνίοις μέντοι χωρὶς τοῦ ῑ γράφεται σέρινα.

Ita Harpocrationis verba in edit. Lips. vulgata sunt. Est autem hic locus si quis alius difficillimus, ubi ad scripturae veritatem animum advertis. Perquam commode nunc ipsum, quum haec typothetae essent tradenda, Harpocrationis lexicon una cum Moeride ab Imman. Bekkero perpurgatum nobis affertur, in quo innumeri fere loci emendatius quam antea leguntur. Possumus autem Bekkeri codicum ope etiam hunc locum aliquanto emendatiorem reddere, etsi Bekkerus ipse non omni ex parte nobis satisfecit. Etenim quum recte iudicaverit ille, duas quasi esse familias Harpocrationis codicum, alteram eorum, qui Photium et Suidam sectentur, alteram eorum, qui Harpocrationis textum vulgarem praebeant, in hoc ipso loco prorsus alio declinat iudicium, si Photium ac Suidam fundamentum feceris, alio, si in vulgata lectione consistas. Photii verba sunt haec: *Σειρῆνα· σείριον ἐκάλουν λεπτὸν ἱμάτιον ἀσπάθητον, οἷον θέριστρον· καθά φασιν οἱ γλωσσογράφοι· καὶ σειρὴν δὲ, ὁ λεπτὸς καὶ διαφανὴς χιτών, εὔθετός τε ὅτε ἐστὶν ὁ Σείριος· ἔστι δὲ καὶ Σεῖρις πόλις Ἰταλική, καὶ τάχα τὰ ἔνθεν ὑφάσματα, εἴ τινα ἄλλα, Λυκοῦργος εἶπεν ἐν τῷ περὶ τῆς διοικήσεως· ἐν ἐνίοις μὲν χωρὶς τοῦ ῑ γράφεται σερῆνα.* Apparet, a Photio omissa esse verba *σείρινα — διοικήσεως*, a quibus Harpocratio incipit. Idem factum est in Vratisl., quem nescio utrum Lycurgi mentionem prorsus omittat, an verbo *ὁ ῥήτωρ* eam iniiciat. Porro Photii *σειρῆνα* exstat non tantum in Vratisl., sed etiam in Medic. et in codd. Bekk. A. et B., atque in Medic. referente Gronovio *σειρῆνα* vel *σειρῆνας* nulla interpunctione seiunctum est

ab διοικήσεως verbo, quam posuit primus Aldus, sequentibus Maussaco et Blancardo. Lemma igitur σείρινα apud Harpocrat. nititur solo Mediceo, quem tamen vidimus post διοικήσεως praebere σειρῆνας, ita ut de eius fide non certo constet. Quum Bekkerus modo tres, A. B. et C. (Vratisl.), totos comparaverit, quibus in littera σ accedit Medic. (G.) a Gronovio iam antea collatus, in nostro loco omnes consentiunt in σειρῆνας vel σειρῆνα voce ex Lycurgi oratione repetenda. Sed in altero loco, quo σείρινα repetitur, nulla videtur esse scripturae discrepantia; certe nulla est a Bekkero notata, quamquam a Photio ea vox repetita abest in verbis εἴ τινα ἄλλα σείρινα εἶπεν ὁ ῥήτωρ. Atque in fine totius glossae Vratisl. habet σείρινα, Medic. autem recte σίρινα, antecedente ε̄ littera, Photius vero ῑ et σερῆνα, quod nullius videtur esse pretii. Porro pro τἀκεῖθεν, quod Bekkerus ex solo Vratisl. reposuit, τὰ ἔνθεν scriptura est codd. A. B. G. (Medic.) et Phot., quam tenendam esse censeo. Denique pro ᾗ in B. C. G. Phot. scriptum est εἰ, quod item probo. Omnem igitur locum ita reficio: Σείρινα· Λυκοῦργος περὶ τῆς διοικήσεως σείρινα. σείριον ἐκάλουν λεπτὸν ἱμάτιον ἀσπάθητον, οἷον θέριστρον, καθά φασιν οἱ γλωσσογράφοι. καὶ σειρὴν δὲ ὁ λεπτὸς καὶ διαφανὴς χιτών, εὔθετος νότε ὅτε ἐστὶν ὁ Σείριος. ἔστι δὲ καὶ Σεῖρις πόλις Ἰταλική, καὶ τάχα τὰ ἔνθεν ὑφάσματα εἴ τινα ἄλλα σείρινα εἶπεν ὁ ῥήτωρ. ἐν ἐνίοις μέντοι χωρὶς τοῦ ε̄ γράφεται σίρινα. Est autem totius glossae haec ratio: Vocabulum σείρινα, quo usus erat Lycurgus, aliorum quorundam verborum commonebat, quae et forma et significatu non admodum ab eo videbantur recedere. Ab his, quum non prorsus in aperto esset, unde vocabuli origo repetenda esset, Harpocratio sibi quasi transitum parat ad suam de verbi origine opinionem. Ista sunt σείριον et σειρήν, a quorum nullo σείρινα derivatum esse videtur, quamquam scripturae

diversitas σειρῆνας, quam modo attigimus, ex verbi σειρῆν commemoratione explicatum habet. Porro aptissimum ei videtur ad urbem Σεῖριν id vocabulum referre. Quod non potuit fieri, nisi σείριος vocabulum quasi pro ethnico haberi potuisset. Si scriptum fuisset σίριος, quod cum Bekkero ex Medic. protraximus, unusquisque hoc vocabulum ad Σῖριν urbem transduxisset [1]), neque ulla fuisset dubitatio. Scite igitur Harpocratio recordatur Σεῖρις formae. Quum vero ab hac ethnicum duceretur σειρηνός, uti a Σῖρις σιρηνός, dubitantius illam de origine opinionem protulit.

Ceterum, quid voluerit sibi vestium illarum in oratione commemoratio, nemo facile expiscabitur.

XI. Πρὸς Ἰσχυρίαν s. Κατ' Ἰσχυρίου.

Hunc titulum a Suida solo consignatum comparari oportet cum Harpocrationis verbis s. v. στρωτήρ· Λυκοῦργος κατ' Αἰσχυρίου. τὰ μικρὰ δοκίδια τὰ ἐπάνω τῶν δουροδόκων τιθέμενα στρωτῆρας ἔλεγον, ὥς φησι Δίδυμος. ἔστι τοὔνομα καὶ ἐν Βαβυλωνίοις Ἀριστοφάνους. (Dindorf. Aristoph. fragm. n. 54. excitat Boeckh. C. I. vol. I. p. 281.).

Nominis diversitatem ita dirimo, ut statuam, apud Harpocrationem Αἰσχυρίου nomen ortum esse ex scribendi negligentia, cum pro κατὰ Ἰσχυρίου scriberetur κατ' Αἰσχυρίου. Quod quum certissimum esse videatur, reiicienda est Valesii coniectura, qui in Αἰσχυρίου verbo latere suspicatus est Aeschyliden Lysiae κατ' Ἐρα-

---

1) Σῖρις forma est frequentior, quam recte ex Steph. Byz. intulit Dindorfius Athen. XII, 523. Reponenda est Strabon. p. 405. Almel.

τοσθ. p. 121. Alteram diversitatem, quae cernitur in praepositionum fluctuatione, dirimi posse nego, quamquam Meursio Bibl. Att. πρός praeferente maiorem duco Harpocrationis auctoritatem.

XII. Πρὸς τὰς μαντείας.

Suidas s. v. Καυχᾷ. οἱ λοιποὶ ῥήτορες ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἐννοίας αὐχεῖν λέγουσι· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ μαντειῶν ἐχρήσατο τῇ λέξει. Δεῖ δὲ τἄλλα ἐν δημοκρατίᾳ σοι εἰπεῖν. ἑνὸς δ' οὐκ ἔστι σοι. κακῶς γὰρ αὐτοῦ προέστης. ἐφ' οἷς καυχᾷ, οἱ ἄλλοι αἰσχύνονται.

De huius orationis argumento omnia obscura. Nec de fragmenti constat sententia.

XIII. Περὶ τῆς ἱερείας.

XIV. Περὶ τῆς ἱερωσύνης.

Haec oratio si superesset, tum certissima nos edoceret de omni Minervae Poliadis cultu deque Eteobutadarum aliarumque sacerdotalium quarundam gentium sacris, tum Lycurgi summam erga deos pietatem apertissimis confirmaret testimoniis. Nunc quidem de hoc argumento nemo doctius disputavit, quam Car. Odofr. Muellerus libro de Minervae Poliadis sacris et aede in arce Athenarum, quem consulant, qui huius cultus originem atque naturam ex optimis fontibus ingeniosissime deductam cognoscere cupiunt. Nos inde modo ea delibabimus, quae cum hac causa coniuncta esse videntur. Praecipue autem in rem nostram faciunt, quae de sacerdotis ipsius, cuius

caussam in se susceperat Lycurgus, conditione ac
sona Muellerus disputat p. 13. sq. hunc in mo
„Duplex autem erat sacerdotium Eteobutadis pu
iniunctum, Erechthei Neptuni, quo vir fungeb
et Minervae Poliadis, cui femina praeerat. Haec
matrona vel innupta vel viro viduata. Sedem hal
in ipso templo, quippe κλειδοῦχος et custos aedis sa
Summus ipsi honor habitus est, quippe cuius n
tempore Romanorum ipsius reipublicae decretis l
rifice adiectum est; neque eius unquam a scriptor
tico mentio iniicitur, nisi reverentia quadam adh
Stipendium ei erat publicum: cum ad eam de m
quoque capite, libero ut puto, choenix hordei e
tici obolusque offerretur, item de nato quovis. Q
civium numerus cum coniugibus et liberis centum
millium erat, et quotannis quinquies mille nasceba
totidemque moriebantur: sacerdos illa e reditibus
centorum fere medimnorum hordei totidemque t
et sedecim minarum argenti complures homines
tissime nutrire poterat. Verum et alia munera,
appellata, ad eam aedem assignata sunt, inter
erat proventus agrorum sacrorum (βουκολιῶν), inte
cerdotes diribitus, et fortasse pisces a piscatoribus
dono oblati, ut apud Methonaeos, et similia. Denique
et victimarum caro ex parte ad victum suppetebat, e
quibus Pallas maxime vaccas et oves maturiores proba-
bat. Etenim agnam, antequam tonderetur et pareret,
mactare lege vetusta Butadica vetitum erat. Etiam ca-
seo viridi vesci ipsi interdictum erat, nisi trans mare
advecto: qua de caussa, nescimus. Ac ne vestitus
quidem huius sacerdotis nobis ignoratur. Nam inter
opera caelata anterioris in Hecatompedo zophori ma-
trona perbella, mitra redimita et pallio amplo amicta,
cuius limbus pictus videtur atque fimbriatus, adstat
puellis duabus summae venustatis, et his pallio mo-

READER'S NUMBER
SEAT No.
DATE DUE
FILL IN THIS PORTION AND RETURN BELOW

amictis: quas vannos quasdam capiti impositas et sancte portare docet. Puellae sunt ersephomatrona sacerdos Poliadis.“ Quibus lectis nemo, r, ea desiderabit, quae Adrianus Gissensis libro icerdotibus Graecis p. 92. non tam commentatus commentus est (Francof. ad M. 1822.). Hic enim, viora omittam, Spanhemii verbis Observatt. in . Callim. in Pallad. v. 34. p. 644. Vol. II. edit. it.: „Haud aliter nempe ac Minervae apud Pallesacerdos virgo, festo illius Deae eiusdem *πανο*indui erat solita iuxta id tradentem Polyaenum 59.“, in eum errorem est inductus, ut traderet, iensem istam Minervae sacerdotem armatura instructam. Fortasse recordatus est Adrianus ae *Παλληνίδος*, de qua nunc cf. Aemil. Ruecker- Minervae cultu p. 57. Polyaenus certe intelellenen, Achaiçam urbem, quae insignis erat Mi- Neptunique eodem sacrario cultorum cultu. templi sacerdotes erant virgines, quod ipsum iemius monere voluit.

Haec vero caussa cummaxime ad Lycurgum oratoret ipsum e gente Eteobutadica oriundum, pertinebat. Quapropter non probo coniecturam Meieri, qui Att. Proc. p. 369. hanc Lycurgi orationem habitam fuisse coniecit contra Dinarchi orationem: *Διαδικασία Φαληρέων πρὸς Φοίνικας ὑπὲρ τῆς ἱερωσύνης τοῦ Ποσειδῶνος*, quam citant Harpocrat. s. v. *Ἁλόπη* et Dionys. Halic. Vol. V. p. 653. Reisk. Nam cum Dinarchi oratio dicta fuerit in gratiam Phalerensium, necessario Lycurgus pro Phoenicum familia verba fecisset; neque Neptuni sacerdotio femina Eteobutadica, sed vir praeerat. Iam vero cum multae orationes, de rebus sacris habitae, in *διαδικασίαις* dictae fuerint, quispiam cum Meiero l. c. etiam hanc *διαδικασίαν* fuisse arbitretur: cui opinioni neque illud adversatur, quod *διαδικασίαι* non

ex δημοσίων λόγων numero erant, sed quoniam privatae res plerumque disceptabantur, in ἰδίων potius numero recensebantur; nam Dinarchi certe διαδικασίαι omnes a Dionysio inter δημοσίους λόγους enumerantur. Quod si verum est, necesse est, statuas διαδικασίας de rebus sacris habitas ad publicas caussas proprie pertinuisse, ita ut Meierus aliquanto confidentius eas publicas appellare potuisset Att. Proc. p. 471. Haec enim Lycurgi oratio, si modo fuit διαδικασία, δημόσιος ἀγών dicitur Harpocrat. s. v. παράκλησις.

Potest autem variis de criminibus sacerdoti dies esse dictus. Veluti similem caussam inter orationes Dinarchi suspectas relatum legimus a Dionys. V. p. 657. διαδικασία τῆς ἱερείας τῆς Δήμητρος πρὸς τὸν ἱεροφάντην, quam Pollux VII, 69. δοκιμασίαν τῆς ἱερᾶς nominat et Harpocrat. s. v. Δυσαύλης διαδικασίαν περὶ τῆς ἱερείας, admodum ad nostrae orationis titulum accommodate. Quae litigatio fortasse inde orta est, quod hierophantes iura quaedam sacerdoti competere negaverat, cuius obiectionis argumentum inde petitum fuisse videtur, quod sacerdos non posset sacerdotio fungi, quia ei deessent, quae in sacerdote Cereris requirebantur. Aliam similis argumenti litem enarrat Demosthen. c. Neaer. p. 1372. R. Pari ratione potuit Lycurgi oratio haberi de lite inter sacerdotem et thesauri sacri curatores exorta. Certe ex Suida s. v. συσσημαίνεσθαι videre licet, in oratione mentionem iniectam fuisse decreti cuiusdam, ex quo sacerdos τὰ γραμματεῖα simul (sc. cum thesauri curatoribus) consignabat. Hac γραμματείων commemoratione aperte videtur indicatum esse, oratione ista Lycurgum, rei pecuniariae peritissimum, pecunias sacras attigisse. Sacerdotes enim, uti quilibet alius magistratus, erant et explorationi (δοκιμασίᾳ) obnoxiae et ὑπεύθυνοι. Cf. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 5. Quae rationes de pecuniis potissimum reddeban-

tur. Quamquam vero omnis thesauri ipsius administratio erat penes quaestores aerarii sacri, de quibus cf. Boeckh. Oec. civ. I. p. 172., tamen credendum est, neque sacerdotem prorsus immunem fuisse huius curae, si qua ornamenta Deae erant comparanda, vel novus apparatus instituendus in sacrorum usum. Tum enim erat sacerdotis, pecunias a quaestoribus postulare, atque cum pecunia redemptoribus atque operis solvenda esset, simul tabulas consignare, quibus pecuniae summa erat perscripta, videlicet testificandi caussa. Hinc videntur explicanda esse, quae de diversis sacris Minervalibus ex hac oratione citantur et pictorum celeberrimorum Miconis et Polygnoti commemoratio, quippe quorum artificiis templum condecoratum esse videatur.

Quum vero multa, quae ad cultum Minervae pertineant, ex hac oratione a veteribus lexicographis conservata sint, qua ratione quoque cognationis vinculo inter sese consociari possent, diu elaboravi, nec tamen, quae certa possent videri, repperi. Sunt enim partim ita comparata, ut facili negotio ea unicuique orationi de rebus Atheniensium sacris habitae possis tribuere, partim tam clare ac manifesto ex Minervae sacris deprompta, ut qui interior nexus cum caussa ipsa singulis locis fuerit, difficillimum sit expeditu, multis una sese offerentibus coniecturis. Quapropter singula recensere malui, quam inutilia moliri.

Ac primum quidem locum obtinet fragmentum ex orationis exordio petitum hocce: Harpocrat. s. v. *Παράκλησις, ἀντὶ τοῦ προτροπή. — τίθεται μέντοι σπανίως καὶ ἀντὶ τῆς δεήσεως. Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας προεστώων· Εἰ μὲν ὑπὲρ ἰδίου τινὸς ἦν ὁ ἀγών, ἐδεόμην ἂν ὑμῶν μετ᾽ εὐνοίας ἀκοῦσαί μου· μετ᾽ ὀλίγον φησίν· Νυνὶ δὲ αὐτοὺς ὑμᾶς οἶμαι τοῦτο ποιήσειν καὶ χωρὶς παρακλήσεως τῆς ἐμῆς.*

Tum naturae rei consentaneum videtur, Lycurgum non ita multo post de familia sua locutum esse, quippe, quae ex remotissima usque antiquitate augustissimo illo sacerdotio fungeretur. Hinc repono Harpocrat. s. v. *Ἐτεοβουτάδαι· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. γένος Ἀθηναίοις, οἷον οἱ ἀληθῶς ἀπὸ Βούτου· ἐτεὸν γὰρ τὸ ἀληθές. ἐκ δὲ τούτων καθίστατο ἡ ἱέρεια τῆς Πολιάδος Ἀθηνᾶς, καθά φησι Δράκων περὶ γενῶν.* De hac familia egerunt Muellerus libro cit. et Bosslerus l. c. p. 1. — 8. tam plene ac copiose, ut mea non opus sit diligentia.

Nunc sequuntur ea fragmenta, quae in Minervae Poliadis cultu ipso consistunt.

Harpocrat. s. v. *Τραπεζοφόρος· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας ὅτι ἱερωσύνης ὄνομά ἐστιν ἡ τραπεζοφόρος. ὅτι αὕτη τε καὶ ἡ κοσμὼ συνδιέπουσι πάντα τῇ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερείᾳ, αὐτός τε ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ δεδήλωκε καὶ Ἴστρος ἐν ἕκτῃ καὶ δεκάτῃ τῶν Ἀττικῶν συναγωγῶν.*

Ita hunc locum scribendum esse, tum rei ipsius, quae traditur, ratio nos edocuit, tum Photius. A Photio enim petivimus *τῇ — ἱερείᾳ*, quum ante scriberetur *τὰ ἱερεῖα*, quod Gronovius quoque ex Mediceo contestatur p. 293. ed. Lips. Quam mutationem codex Parisinus a Bekkero collatus confirmat. Porro *αὕτη* scripsimus cum eodem Photio, quem si Bekkerus consuluisset, non e coniectura proposuisset *ὅτι δ' αὕτη*. De re ipsa cf. post Meursium Lectt. Att. IV, 11. et Siebelis. Istri fragm. p. 59. Muellerum lib. cit. p. 15. Pausan. I, 27. puellarum negotia enarrat.

Quum vero istis puellis etiam in scirophoriis partes essent agendae, transeo ad Harpocrat. s. v. *Σκίρον· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. Σκίρα ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἀφ' ἧς καὶ ὁ μὴν Σκιροφοριών. φασὶ δὲ οἱ γράψαντες περὶ τε ἑορτῶν καὶ μηνῶν Ἀθήνησιν, ὧν ἐστι καὶ Λυσι-*

Ἀνσιμαχίδης, ὡς τὸ Σκίρον σκιάδιόν ἐστι, μεθ' οὗ φερομένου ἐξ ἀκροπόλεως εἰς τινα τόπον καλούμενον Σκίρον πορεύονται ἥ τε τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια καὶ ὁ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερεὺς καὶ ὁ τοῦ Ἡλίου· κομίζουσι δὲ τοῦτο Ἐτεοβουτάδαι. σύμβολον δὲ τοῦτο γίνεται τοῦ δεῖν οἰκοδομεῖν καὶ σκέπας ποιεῖν, ὡς τούτου τοῦ χρόνου ἀρίστου ὄντος πρὸς οἰκοδομίαν. καὶ Ἀθηνᾶν δὲ Σκιράδα τιμῶσιν Ἀθηναῖοι, ἣν Φιλόχορος μὲν ἐν δευτέρῳ Ἀτθίδος ἀπὸ Σκίρου τινὸς Ἐλευσινίου μάντεως κεκλῆσθαι, Πραξίων δὲ ἐν δευτέρῳ Μεγαρικῶν ἀπὸ Σκίρωνος. In quibus σκιάδιον dedimus cum Vratisl. et Photio m. pr. et φερομένου cum eodem Photio, contra Bekkerus μέγα, ὑφ' ᾧ φερομένῳ, quod fere totum coniectura nititur. Quae intercedat necessitudo scirophoriis cum Poliadis sacris, ostendit Muellerus l. c. p. 15. Utraque erant sementiva et agraria. Quod ipsum fortasse latet apud Hesychium s. v. σκειρά· ἑορτὴ Ἀθήνῃσιν ἀρείονος. vocabulum enim ἀρείονος vitiosum videtur esse. Cf. interprett. De scirophoriorum festo vix est quod excitem Meursium Graec. feriata et Creuzerum Symbol. Vol. IV. p. 454. II. p. 648. Meletem. I. p. 24.

Ad agrarium cultum Minervalem applicanda sunt Harpocrat. s. v. Πλυντήρια. Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας· ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις. Plynteria enim in honorem Minervae Agrauli celebrabantur, de qua cf. Mueller. l. c. p. 3. et 27. Meurs. Graec. fer. et de regg. Atticis cap. XI. De templo ac festo cf. Herodot. VIII, 53. et Wessel. ad h. l. Propriam quandam de hoc festo sententiam Baehrius exposuit commentar. in Plutarch. Alcib. p. 239. — 244. Lobeckius contra Aglaoph. Vol. I. p. 89. nihil in plynteriis agnoscit vere mystici. Nec alio pertinet Harpocrat. s. v. Ἐπίβοιον· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. Φιλόχορος ἐν δευτέρῳ φησὶν οὕτως· Ἐὰν δέ τις τῇ Ἀθηνᾷ θύῃ βοῦν, ἀναγκαῖόν ἐστι καὶ τῇ Πανδρόσῳ θύειν ὄϊν. καὶ ἐκαλεῖτο τὸ θῦμα ἐπίβοιον. Cod. Vratisl. Πανδρόσῳ pro

Πανδώρᾳ, quod in Gronov. edit. exstat; idem omittit *μετὰ βοὸς* post *ὄϊν*. Hinc corrigendum est, quod Muellerus l. c. p. 3. *ἐπίβοιον* Pandorae redditum dicit. Cf. Suid. et Phot. s. v. *προτόνιον*. *πάρθενοι*. Etymol. M. s. v. Phavorin. s. v. Siebel. ad Philoch. p. 32. et in indice s. v. De Pandrosio, quod contiguum erat Poliadis aedi, cf. Mueller. p. 29. Haec intima coniunctio Cecropis filiarum [1]) cum Minerva potuit uberius describi eo fragmento, unde vocabulum *πάρεδρος* ductum est ap. Harpocrat. s. v. *Πάρεδρος· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. πολύ ἐστι τοὔνομα παρά τε τοῖς ῥήτορσι καὶ ἐν τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ. Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ κτλ.* Nam dii, quorum templa vel arae sunt vicinae, *πάρεδροι* nominantur, de quibus multus est Arnaudius. *Πάρεδρος* Minervae Vulcanus quoque erat, quod contubernium illustraverunt Arnaud. l. c. p. 55. 160. et Mueller. l. c. p. 5. Sin vero, quod Aristotelis fragmentum postea allatum videtur indicare, magistratuum *πάρεδροι* intelliguntur, plura petas ex Hermann. de iure magistrat. p. 27. Et quia huius, quae agitur, caussae diiudicatio coram Archonte Rege fiebat, huius *πάρεδροι* haud dubie commemorati erant in oratione, quamquam reluctante Aristotele ipso l. c. Cf. modo Demosth. c. Neaer. p. 1369. 1373.

Harpocrat. *Ἐσχάρα· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ ἱερείας. Ἀμμώνιος ἐν τοῖς περὶ βωμῶν ἐσχάραν φησὶ καλεῖσθαι τὴν μὴ ἔχουσαν ὕψος ὡς ἑστίαν, ἀλλ' ἐπὶ γῆς ἱδρυμένην κοίλην παρ' ὃ καὶ τοὺς ἰατροὺς τὰ ἐν τοῖς σώμασι κοίλα ἕλκη ἐσχάρας καλεῖν.*

---

1) Androtionis fragmentum de Cecropis filiabus, a Porsone Appendic. Phot. p. 582. Lips. erutum, fugit Lenzium ac nuperrime Bossierum quoque, cum de Cerycibus ageret loc. cit. p. 27.

Cf. Phot. s. v. Suid. Etymolog. M. Hesych. s. v. ἐσχάρα et ἐσχάριον interpr. Erenn. Phil. s. v. βωμός. Berkel. ad Stephan. Byz. s. v. Βωμοί. Vales. ad not. Maussaci p. 468. Vol. II. Harpocr. Lips. Gisb. Cuper. Observatt. lib. I. c. 12. Valcken. Animadvers. ad Ammon. Lib. I. c. XI. Nitzsch. ad Odyss. Vol. II. p. 15. Notandum est, quod Cuperus titulum orationis apud Harpocrat. corrupte legi arbitratur, cuius in locum ἱερατείας reponi vult: nam ap. Suid. s. v. Λυκοῦργος scribendum esse censet περὶ ἱερατείας ἢ περὶ ἱερωσύνης, quae duae sunt diversae orationes. Sed Cuperum errasse, facile potest intelligi. Quamnam dixerit Lycurgus ἐσχάραν in templo Minervae vel alio quolibet loco positam, non potest perspici. Si vera tradidit Porphyrius libro de antro Nympharum, quem citavit Cuperus l. c., heroum arae ἐσχάραι erant. Quare Butae aram fortasse commemoravit orator, de qua Paus. I, 26., quo loco inter βωμούς iccirco videtur referri, quoniam una cum Neptuni et Vulcani aris describitur.

Potuit in heroum rebus orator facillime ad Hippothoontem quoque deduci, id quod coniicio ex Harpocrat. s. v. Ἀλόπη· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. Κερκύονος θυγάτηρ, ἐξ ἧς καὶ Ποσειδῶνος Ἱππόθοων ὁ τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς ἐπώνυμος, ὡς Ἑλλάνικός τε ἐν δευτέρᾳ Ἀτθίδος καὶ Εὐριπίδης ἐν τῷ ὁμωνύμῳ, Δείναρχος ἐν τῇ διαδικασίᾳ Φαληρέων. Ad quae Valesius scite admonuit Epitaphii Demosthenici p. 1398. (cf. Westermann. Quaest. Demosth. II. p. 66. sqq.). Alopae fabula a poetis quoque non semel tractata est; exstabant enim fabulae sic inscriptae praeter Euripideam, de qua videndus Matthiaeus p. 41., etiam Choerili (Pausan. I, 14, 3.) et Carcini, de qua multus est Maussacus ad Harpocr. l. c. et Matth. p. 43. Cf. in hanc fabulam Hygin.

narrat. 38. 238. 158. 187. Gell. XV., 21. et Pausan. I, 5, 2. 39, 3.

Iam redeo ad Minervales res. Cum Minervae Poliadis notione nihil erat coniunctius, quam Ἀθηνᾶ Νίκη, de qua Harpocrat. s. v. Νίκη ita disserit: Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. ὅτι δὲ Νίκης Ἀθηνᾶς ξόανον ἄπτερον, ἔχον ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ ῥόαν, ἐν δὲ τῇ εὐωνύμῳ κράνος, ἐτιμᾶτο παρ' Ἀθηναίοις, δεδήλωκεν Ἡλιόδωρος ὁ περιηγητὴς ἐν τῇ πρώτῃ περὶ ἀκροπόλεως: in quibus δέ post ὅτι eum Bekkero ex Vratisl. addidimus et ῥόαν exhibuimus. Cf. Vales. ad h. l., a quo multi veterum scriptorum loci coacervati sunt, quibus adde Photium s. v. eadem habentem quae Harpocr., sed male pro κράνος κράτος (sic Vratisl.) et ῥοάν, quod accentu mutato recte reposuit Bekkerus (cf. Bast. ad Gregor. Corinth. p. 221. Schaef.), et Etym. M. s. v. Ex recentioribus cf. Meurs. lectt. Att. I, 20. Arnaud. de diis παρέδροις p. 115. Siebelis. ad Paus. I, 22. qui lectores ablegat ad Boettigeri commentat. de Victoria in Ephemerid. Ienens. 1803. Vol. II. Creuzer. Symbol. IV. p. 205. sq. Nec lectu inutilia sunt, quae de Minervae cognominibus Πρόμαχος, Πολιοῦχος, Κλειδοῦχος et Νίκη ex una quasi primaria Minervalium sacrorum notione profectis disputavit Aemil. Rueckertus l. c. p. 48. sq. De ῥόας usu, qui fit in mythorum historia, cf. Dierbachii Floram mythologic. Francof. ad M. 1833. p. 107. — 110.

Huc pertinet etiam Harpocrat. s. v. Ὑγεία Ἀθηνᾶ· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. ἔστι δὲ ἐπώνυμον τῆς Ἀθηνᾶς· καὶ γὰρ Ὑγεία καλεῖται καὶ Νίκη καὶ Ἱππεία καὶ Ἐργάνη (Ἱππεία ex Cod. Vratisl).

Ὑγεία Ἀθηνᾶ in Athenarum arce culta simulacro aheneo, quod erexit Pericles. cf. Plut. Pericl. c. 13. et praeterea Siebelis. ad Pausan. I, 2. I, 23. I, 31. Spanhem. ad Callimach. Pallad. vs. 98., qui nomen

Ὑγεία ex nummorum inscriptionibus illustrat, et Creuzer. Symbol. II. p. 741. sq., qui Plutarchi locum supra laud. non recte intellexit.

Restat tertium Minervae cognomen. Harpocr. s. v. *Τριτομηνίς· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. τὴν τρίτην τοῦ μηνὸς τριτομηνίδα ἐκάλουν. δοκεῖ δὲ γενέσθαι τότε ἡ Ἀθηνᾶ. Ἴστρος δὲ καὶ Τριτογένειαν αὐτήν φησι δι᾽ τοῦτο λέγεσθαι, τὴν αὐτὴν τῇ Σελήνῃ νομιζομένην.* Pro *γενέσθαι τότε ἡ Ἀθηνᾶ* Cod. Vratisl. *ὁ τῆς Ἀθηνᾶς*, ac pro *τῇ Σελήνῃ* omisso articulo *Σελήνην*. Quod utrumque ita adscivit Bekkerus, ut ex *γενέσθαι ὁ τῆς Ἀθηνᾶς* coniectura, nisi fallor, eliceret *γενέθλιος*. Sed non potest perspici, sitne ita in codice quoquam scriptum necne. Mihi secus videtur; *γενέσθαι* enim in iis codic. extat, quos Bekkerus totos comparavit (A. B. C.), tum vero etiam in iis, qui cum Photio, Suida, reliquis conspirant; *ὁ τῆς Ἀθηνᾶς*, quantum equidem video, solius Vratisl. scriptura est alioquin cum Photio consentientis. Porro *τὴν αὐτὴν Σελήνην*, quod Cod. Vratisl. rursus refragante Photio exhibet, nihil videtur esse quam *Σελήνηι*, uti in Photii Galeano Cod. semper exaratum est. De Minerva Luna cf. Siebelis. Istri fragm. p. 58. Mueller. l. c. p. 5.

Iam vero ad quatuor accedo fragmenta, quorum tractatio separatim institui nequit.

Harpocrat. *Ἐπιμήνια· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. ἔοικεν εἶναι ἐπιμήνια ἤτοι τὰ καθ᾽ ἕκαστον μῆνα θυόμενα, ἢ τὰ ὑπὲρ ὅλου τοῦ μηνὸς ἅπαξ ποτὲ γιγνόμενα θύματα.* τοῦ μηνός dedit Bekkerus ex cod. Paris. D, adstipulantibus Suida et Etym. M. s. v. cf. etiam Bekker. Anecdot. p. 254. 12. Horum sacrorum qualis nexus sit cum Minervae Poliadis sacerdote Herodotus indicat VIII, 41.: *λέγουσι οἱ Ἀθηναῖοι ὄφιν μέγαν φύλακα τῆς ἀκροπόλεως ἐνδιαιτέεσθαι ἐν τῷ ἱρῷ. λέγουσι δὲ ταῦτα,*

καὶ δὴ καὶ ὡς ἐόντι ἐπιμήνια ἐπιτελέουσι προτιθέντες· τὰ δ' ἐπιμήνια μελιτόεσσά ἐστι. αὕτη δ' ἡ μελιτόεσσα, ἐν τῷ πρόσθεν αἰεὶ χρόνῳ ἀναισιμουμένη, τότε ἦν ἄψαυστος. σημηνάσης δὲ ταῦτα τῆς ἱρείης κτλ. ad quae cf. Valcken. et Mueller. l. c. p. 28. Meurs. Graec. feriat. s. v. *Νουμηνία* et Interpr. ad Hesych. s. v. Ἀγρεμόνες et Ἐπιμήνιοι.

Ista μελιτόεσσα alius glossae nos commonefacit. Harpocr. s. v. *Πέλανος· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. πολλάκις ἐστὶ τοὔνομα παρὰ πολλοῖς τῶν ἀρχαίων κτλ.* Πέλανοι enim erant μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι, ut ait Plato Legg. VI, 22., vel πέμματα ἐκ παιπάλης καὶ ἐλαίου καὶ μέλιτος πεποιημένα πρὸς θυσίαν, ut interpretatur Timaeus Lex. Plat. s. v. ubi cf. Ruhnkenium. Ruhnkenianis adde Etym. M. Phot. Hesych. s. v. c. interpret. Imprimis autem illud animum advertit, quod πέλανοι Lunae quoque offerebantur, cf. Eustath. p. 1165., 9. R. Rhodig. Lect. Antiq. IX, 16. Ex eodem genere rerum sacrificalium vox σεμίδαλις est Polluc. VI, 74. commemorata: εἴρηται δὲ καὶ σεμίδαλις παρά τε Λυκούργῳ τῷ ῥήτορι καὶ πολλοῖς τῶν κωμῳδοδιδασκάλων· quae ex eadem hac oratione citata videtur esse. De comicorum testimoniis cf. Athen. I, 28. III, 109. C. 115. C. IV, 134. D. 172. B. VI, 242. D. c. interpr.

Harpocrat. s. v. *Ἐπιτελεῖν καὶ ἐπιτελέωμα. ἀμφότερα πολλάκις ἐστὶ τὰ ὀνόματα ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας Λυκούργου, ἔοικε δὲ ἐπιτελέωματα λέγεσθαι τὸ ἐπὶ πᾶσι θυόμενον ὑπὲρ τοῦ ἐπιτελεῖς γενέσθαι τὰς πρότερον θυσίας. αὐτὸς γοῦν ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ λόγῳ φησίν· ἔτι τοίνυν ἔφη πάντων ὕστατα ταῦτα θύεσθαι καὶ ἐπιτελεώματα εἶναι τῶν ἄλλων θυμάτων.* Cf. Suid. s. v. Etym. M. s. v. ἐπιτελὲς καὶ ἐπιτελέωμα et Hesych. s. v. ἐπιτελεῶσαι. Cum hoc fragmento statim coniungo Harpocrat. s. v. *προτέλεια· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. τὰ πρὸ τοῦ τελεσθῆναί τι τῶν εἰς τὸ θεῖον ἀναφερομένων γινόμενα ἢ διδόμενα καλεῖ-*

ται προτέλεια. Cf. Bekk. Anecd. p. 293., 5. Photius cum Harpocr. congruit, nisi quod pro τὸ θεῖον vitiose ῥόθιον habet. Apte autem Valesius ad Harp. l. c. admonuit hostiarum succidanearum et praecidanearum, de quibus cf. Gellius lib. IV, 6. c. interpr. Secernenda autem haec προτέλεια ab alio festo eiusdem nominis, quod agebatur pridie nuptias. De hoc cf. Suid. s. v. Polluc. III, 38., in quo perperam scriptum erat "Ηρα τελεία ἢ Ζυγία, quod ita corrigo: ἢ καὶ Ζυγία. Meurs. Graec. fer. s. v. Ruhnken. ad Timae. s. v. Ast. ad Platon. Legg. Vol. II. p. 319.

Eodem vero orationis loco commemorati fuerunt pictores celeberrimi, Micon et Polygnotus, quorum saepe nomina coniuncta reperiuntur. Harpocr. s. v. *Μίκων*· Καὶ Μίκωνα τὸν γράψαντα ἕως τὰς τριάκοντα μνᾶς ἐζημίωσαν. Bekker. *Μήκων*, nescio an ex Cod. mscr. Editiones, quae dicuntur, vulgatae *Μίκων* habent, quae forma nominis, quamquam saepe cum *Μήκων* in codd. confusa [1]), in longe maiore codicum numero praevalet, veluti ap. Pausan. I, 18. VI, 6. *Μήκων* ap. Polluc. II, 69. Latini omnes *Micon*, velut Plin. N. H. XXXIII, 15, 56. XXXIV, 8, 19. XXXV, 6, 25. 9, 35. Varron. de L. L. IX. §. 12. p. 200. ed. Muell. Praeterea hanc formam tuetur confusio nominis cum *Νίκων* apud Aelian. H. Anim. IV, 50. (cf. Frid. Iacobs.) VII, 38. et Tzetz. Chiliad. XII, 558. 559., ubi a patre meo *Μίκωνος* et *Μίκων* restitutum est; porro confusio cum *Κίμων* nomine, quam detexit Mueller. Archaeolog. p. 119. in Arrhian. Anabas. VII, 13. Denique in Harpocratione etiam

1) η et ι innumeris fere locis permutari, nemo est qui nesciat; ex Pausan. huius corruptelae exempla in similibus nominibus propriis factae haec commemoro: I, 5, 2. V, 20, 4. 28, 1. VI, 2, 4. 14, 2. 3. IX, 38, 6.

litterarum ordo *Μίκων* tuetur. Potuit autem duplici de caussa Micon pictor in Lycurgea oratione locum habere praeter eam, quam supra attigimus. Aut enim propter Butae picturam orator ipse Eteobutades in caussa Eteobutadica eum notavit, aut allusit ad aliam eiusdem pictoris imaginem in Poecile cum Panaeni picturis collocatam. Utrumque retulit I. Sillig. Catal. Artif. p. 276. 277. quocum cf. Boettiger. de Archaeol. Pictur. I. p. 254. — 260., ubi res Miconis copiosissime sunt expositae. Prius crimen perspicitur ex proverbio quodam: *Βούτην Μίκων ἔγραψεν* vel *Θᾶττον ἢ Βούτης* (Zenob. Proverb. Centur. I, 11. p. 87. Append. Vatic. I, 12. p. 260. Schott. Erasm. Adag. Hanov. 1617. p. 237.), quo „adagio significabant aliquid quam primum absolvi, compendioque explicari. Quemadmodum solent ii, qui paucis verbis et iis truncе pronunciatis longam sententiam significant. Aiunt hinc fuisse natum. Athenis inter picturas Stoae porticus depictus erat Butes quidam, atque ita pictus, ut summa capitis pars cum oculis duntaxat videretur: videlicet ut spectator imaginaretur, reliquum corpus tegi montis obiectu, in quo ingrediebatur.“ Erasm. Hoc proverbium Salmasius, cuius sententiam Bekkerus retulit, Harpocrationis menti obversatum fuisse statuit, atque scribi voluit: *Μήκωνα τὸν Βούτην γράψαντα οἱ τριάκοντα ἡ μνᾶς ἐζημίωσαν*, quod nimium ab vulgatis recedit. Nam etsi pro *μνᾶς* in quatuor codicibus *μῆνας* exaratum est, tamen ex *μῆνας* non potest *ἡ μνᾶς* effici, quod numeri in Harpocrat. non litteris, sed vel verbis ipsis numeralibus sunt expressi, certe in Cod. Paris. cuius collationem habeo, et Vratisl. et Medic., quantum quidem ex Lips. edit. videre licet, vel ita: $\overset{\omega}{\alpha}$ vel $\overset{\eta}{\alpha}$ i. e. *πρώτῳ* vel *πρώτῃ*. Neque ante verbum *γράψαντα* tanta potest lacuna admitti, ut collocatum ibi

esse potuerit verbum *Βούτην*. Valesius autem ex *ἕως τοὺς* finxit *αὐτούς*, quo carere possumus; malim *εἰς* vel *ἐς τὰς*. Alterum crimen, cuius poenas dedit Micon Atheniensibus, in rem suam vertit Sopater rhetor in *διαιρέσεσι ζητημάτων* p. 340. — 348. Rhetor. Ald. Ab hoc enim exercitationis rhetoricae gratia pro argumento proponitur: *Μετὰ Μαραθῶνα Μίκων ὁ ζωγράφος τοὺς βαρβάρους γράψας μείζους τῶν Ἑλλήνων κρίνεται.* Atque huc Lycurgi verba referenda sunt, quum rhetori condonanda sit oratoria illius argumenti exaggeratio et amplificatio, caussa autem, quae agitur, non item.

Miconem et Polygnotum a Plinio aliquoties coniungi monuit Siebelis. ad Pausan. Vol. I. p. 55. Id etiam hic videre licet. Harpocrat. s. v. *Πολύγνωτος· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. περὶ Πολυγνώτου τοῦ ζωγράφου, Θασίου μὲν τὸ γένος, υἱοῦ δὲ καὶ μαθητοῦ Ἀγλαοφῶντος, τυχόντος δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας ἤτοι ἐπεὶ τὴν Ποικίλην στοὰν ἔγραψε προῖκα, ἢ ὡς ἕτεροι, τὰς ἐν τῷ Θησαυρῷ καὶ τῷ ἀνακείῳ γραφάς, ἱστορήκασιν ἄλλοι τε καὶ Ἀρτέμων ἐν τῷ περὶ ζωγράφων καὶ Ἰόβας ἐν τοῖς περὶ γραφικῆς.* Sic cum Bekkero. Huius pictoris exemplum cum Miconis crimine contendit sine dubio orator, quum ille ob operam in eodem genere praestitam mulctam sibi contraxerit, hic vero civitatis praemium. Cf. de utroque pictore Langium ad Lud. Lanzium de sculptura veter. p. 84. Thiersch. Epoch. art. p. 197. Mueller. Archaeol. p. 117. sq. Hirt. Art. histor. veter. p. 166. — 172. In Silligii Cat. Artif. s. v. Polygnotus interpunctio loci Harpocrat. ex Bekk. corrigenda est.

Harpocrat. s. v. *Κύρβεις· Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. κύρβεις φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς περὶ θεῶν ἔχειν ἐγγεγραμμένους τοὺς νόμους, εἶναι δ' αὐτοὺς λίθους ὀρθοὺς ἑστῶτας, οὓς ἀπὸ μὲν τῆς στάσεως στήλας, ἀπὸ δὲ τῆς εἰς ὕψος ἀνατάσεως διὰ τὸ κεκορυφῶσθαι κύρβεις ἐκάλουν,*

ὥςπερ καὶ κυρβασίαν τὴν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τιθεμένην. Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶν ἀναγράψαντες δὲ τοὺς νόμους εἰς τοὺς κύρβεις ἔστησαν ἐν τῇ στοᾷ τῇ βασιλείᾳ. In quibus οὓς et ἀνατάσεως Heynio debentur Apollod. p. 397., quum antea cum codic. scriberetur ὡς et ἀναστάσεως, quod Schol. Arist. Nub. 447. scribitur ἀναβάσεως et ex Schol. Arist. Av. 1354. verbi ἀνατεταμένον ope correctum est. Quomodo in κύρβεις inciderit orator, inde intelligitur, quod in eadem regia porticu erant collocati, in qua ἄρχων βασιλεύς de rebus sacris ius dicebat. Cf. Meier. Att. Proc. p. 47. Leak. Topogr. Athen. p. 95. ed. Hal. Quamquam non repugno, si quis secus statuat, quum κύρβεις ad omne ius Atticum pertineant. Veterum lexicographorum et scholiastarum interpretamenta, quatenus ex Apollodoro petita videntur, Heynius collegit Apollod. p. 396. — 98.; quatenus vero cum Eratosthene conveniunt, Bernhardy Eratosthenic. p. 211. sq. Cf. praeterea de Aristotele Neumann. fragm. πολιτ. p. 84. Ruhnken. ad Timaeum s. v. Interpret. ad Etym. M. s. v. et Meinek. ad Euphor. p. 61.

Duo fragmenta quo disponam loco, non habeo. Harpocrat. s. v. διήλλαξεν, ἀντὶ τοῦ μετήλλαξεν, ἐτελεύτησεν, Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. Cf. Bast. epist. crit. p. 116. append. p. 38. Priscian. XVIII. p. 1198. Putsch. T. II. p. 242. Kr.: *Lycurgus* ἐν τῷ περὶ ἱερείας· ὧν περὶ εἴκοσιν ἀνθρώπους. Cf. Lobeck. Phryn. p. 410. Krehl. ex cod. Monac. scripsit ὡς περὶ etc.

Quum qualis usus sit fragmenti cuiusdam a Suida s. v. συσσημαίνεσθαι servati, iam supra declaratum sit, hic verba ipsa reponam:

Συσσημαίνεσθαι· ὃ καλοῦσι κατασφραγίσασθαι, τοῦτο οἱ ῥήτορες συσσημαίνεσθαι λέγουσι. Λυκοῦργος δὲ ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας· Ὥςτε προστεταγμένον ἐπὶ ψηφίσματος καὶ τὴν ἱέρειαν συσσημαίνεσθαι τὰ γραμματεῖα. Cf. Harpocrat.

s. v. σεσημασμένῳ. Polluc. VIII, 27. Schoemann. ad Isaeum p. 357. Corp. Inscr. p. 117.

Accedo ad orationem περὶ τῆς ἱερωσύνης, quam ab orat. περὶ τῆς ἱερείας distinguit Suidas s. v. Λυκοῦργος, cuiusque fragmentum servavit s. v. Προχαριστήρια. Haec in consimili argumento versata est quam illa, nec tamen in tanta testimoniorum penuria certa eius ratio potest declarari. Suidas igitur s. v. Προχαριστήρια· ἡμέρα ἐν ᾗ οἱ ἐν τῇ ἀρχῇ πάντες, ἀρχομένων καρπῶν φύεσθαι, λήγοντος ἤδη τοῦ χειμῶνος, ἔθυον τῇ Ἀθηνᾷ. τῇ δὲ θυσίᾳ ὄνομα προχαριστήρια. Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερωσύνης· Τὴν τοίνυν ἀρχαιοτάτην θυσίαν διὰ τὴν ἄνοδον τῆς Θεοῦ, ὀνομασθεῖσαν δὲ προχαριστήρια διὰ τὴν βλάστησιν τῶν καρπῶν τῶν φυομένων. Quae ex integra quadam verborum complexione decerpta verbo carent finito, quod grammatici dicunt. Fuit ni fallor θύομεν vel ἄγομεν. Nec tamen praeterea omnia in iis sunt sana. Non videntur enim ad unum festum posse referri. Initium fragmenti ad Thesmophoria spectat, in quibus ἄνοδος τῆς θεοῦ celebrabatur primo solemnium die, ipso ἄνοδος dicto, atque potuit id ipsum Thesmophoriorum festum dici vetustissimum. Sequentia verba προχαριστηρίων caussam ac consilium designant, nec opus est ad hanc sententiam fulciendam nisi articulo τὴν ante ὀνομασθεῖσαν. De ἀνόδῳ in Thesmophoriis cf. Wellauer. de Thesmoph. p. 7. Tamen quid sit ἄνοδος τῆς θεοῦ, ex Thesmophoriorum ritibus non satis dilucide perspicitur, ita ut de Eleusiniis quoque cogitare possit quispiam, quae maiore iure dicuntur θυσία ἀρχαιοτάτη atque cum Cereris in Attica adventu coniunctissima sunt. Quae si cui audacius excogitata quam verius videntur, consistat in Suidae verbis, ex quibus haud facile se expediat. Aut enim statuendum est ei, Suidam confudisse Minervam cum Cerere, cui sententiae non pror-

sus convenit illud, quod omnes magistratus dicuntur sacrificium peregisse: aut cogitet necesse est de re aliqua ex Minervalibus fabulis, cui nomen ἄνοδος τῆς θεοῦ apte possit tribui. Haec igitur verba referebam ipse ad narrationem, quae est apud Apollod. III, 14, 1. de certamine Neptuni et Minervae: ἦκεν οὖν πρῶτος Ποσειδῶν ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν — —. μετὰ δὲ τοῦτον ἦκεν Ἀθηνᾶ. καὶ — ἐφύτευσεν ἐλαίαν. Possit ἄνοδος τῆς θεοῦ esse ascensus Minervae ad arcem Athenarum, atque in oleae a deo ipsa satae gratam memoriam προχαριστήρια celebrata, tanquam festum agrarium. At huic opinioni repugnat tempus, quo olea a Minerva sata esse credebatur, nimirum secundus mensis Boedromionis dies, id quod testatur Plutarch. Quaest. Sympos. IX, 11. Boedromion autem mensis aestivus est, quod tempus cum Suidae verbis conciliari nequit. Aliam quandam horum verborum explicationem Ebertus in libro, qui inscribitur Σικελιών, p. 37. periclitatus est. Is enim verbum ἄνοδος τῆς θεοῦ ad rem nuptialem spectare censet, ex comparatione aliorum vocabulorum cum praepositione ἀνά compositorum. Quamquam nihil est frequentius rerum nuptialium et sementis comparatione, tamen quid eae ad Minervam virginitatis incorruptae laude celebratissimam? Restat hoc, ut statuas aut pluribus deabus una sacrificatum esse, Cereri et Minervae, quod factum est in aliis festis agrariis, veluti Thalysiis et Horaeis, aut mutes verba τῇ Ἀθηνᾷ in Ἀθήνῃσιν, qua mutatione Meursius Graec. fer. s. v. Ἁλῶα Cereri restituit Haloa festum Etymol. M. s. v. Sed neutrum videtur certum. Quae cum ita sint, in medio hanc quaestionem relinquo. Obiter moneo a Meursio Graec. fer. hoc festum omissum esse, quam negligentiam viri alioquin diligentissimi compensarunt Ioann. Fasoldus in Gronov. Thes. Ant. gr. Vol. VII, p. 567. et Corsin. Fast. Att. Vol. II. p. 368. Cf. prae-

terea de vocabulo προχαριστ. cum aliis eiusdem stirpis comparando Hemsterh. ad Arist. Plut. p. 475. ed. Lips.

Incertae fidei orationum fragmenta.

Harpocrat. s. v. Σύνδικοι. Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους φησὶν, οἱ μετὰ τὰ ἐκ Πειραιῶς, ὡς ἐγὼ ἀκούω, σύνδικοι ἦσαν, πρὸς οὓς τὰ δημευόμενα ἀπεφέρετο. καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λεξίππου, εἰ γνήσιος, καί που ἐτέρωθι· „ἀνδρεῖός ἐστιν οὗτος πρὸς τοῖς θεσμοθέταις γραφὰς γραφόμενος, πρὸς τοῖς συνδίκοις ἀπογραφὰς ἀπογράφων". μήποτ' οὖν ἀρχή τις ἦν καθεσταμένη μετὰ τὴν ἐκ Πειραιῶς κάθοδον.

Bekkerus verba καί που ἐτέρωθι ad Lycurgeum fragmentum traxit ita: καὶ ποῦ ἐτέρωθι ἀνδρεῖός ἐστιν οὗτος; quod A. G. Beckerus Lyc. fragm. p. 213. idem fecerat. Utrum codicum auctoritate nitantur, an sententiae ratione permoti interpunctionem mutarint, intelligi nequit, quoniam ne verbo quidem mutationis ratio redditur. Nos sequendum esse duximus textum, qui dicitur, vulgarem, quo simul id significatur, Lycurgum etiam alio quo loco syndicorum mentionem iniecisse. Sic apud Hermog. de form. orat. II, 10. p. 488. Casp. Laur. διότι δὲ ἢ τούτου ἐδέησεν αὐτῷ ἐνταῦθα, ἢ ἐτέρωθί που. Huc accedit, quod apud Photium s. v. hoc ipsum fragmentum ab iisdem verbis ἀνδρεῖός ἐστιν οὗτος incipit, quamquam Photius, ut saepe, et orationis titulum, et de fide orationis dubitationem cohibuit. Eiusdem fragmenti memoriam innuit Etym. M. s. v. verbis καὶ Λυκοῦργός φησι περὶ τούτων, quo loco etiam ἀπεφέρετο reponas. Cf. de Syndicis Meier. de bonis damnat. p. 115. Att. Proc. p. 110. sq. et de ἀπογραφαῖς eundem librum p. 255.

Harpocrat. s. v. Χιλιωθέντα. Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος, ἀντὶ τοῦ χιλίας ὀφλοντα. ὁ δὲ αὐτὸς

ῥήτωρ καὶ ἐν τῷ κατὰ Κηφισοδότου φησὶ κεχιλίωσαι. Priorem huius glossae partem supra p. 34. tractavimus. Codd. κεχιλιῶσαι, excepto Vratisl., in quo recte κεχιλίωσαι, quod fugit Bekkerum. Gronovius καὶ χιλιῶσαι scribi vult, quod non congruit cum lemmate χιλιωθέντα; videtur enim Harpocratio passivas huius verbi formas notare voluisse. Apud Suidam s. v. corrige καὶ χιλιῶσαι ex Harpocratione.

Posui autem hanc orationem in incertarum numero de Pinzgeri sententia p. 34. Quamquam non tam in aperto est haec res posita, quam videtur Pinzgero. Abest eius titulus a Suida s. v. Λυκοῦργος, ubi genuinarum tituli recensentur, neque ab eodem Suida s. v. Χιλιωθέντα huius titulus commemoratur. Quod autem Pinzgerus l. c. suspicatur, ante verba ὁ αὐτὸς ῥήτωρ alius cuiusdam oratoris nomen excidisse, hoc non magnam habet veritatis commendationem, etiamsi ea esset Harpocrationei lexici conditio, quam statuit Pinzgerus.

Non videretur autem is ratione esse destitutus, qui in hac caussa Demosthenem et Lycurgum accusatoris partes una suscepisse coniiceret ex Aeschin. adv. Ctesiphont. §. 13. (Vol. II. p. 92. Brem.): ἢ τὰ περὶ τὴν Κηφισοδότου στρατηγίαν καὶ τὸν τῶν νεῶν ἔκπλουν τὸν εἰς Ἑλλήσποντον, ὅτε εἷς ὢν τῶν τριηράρχων Δημοσθένης καὶ περιάγων τὸν στρατηγὸν ἐπὶ τῆς νεὼς καὶ σὐσσιτῶν καὶ συνθύων καὶ συσπένδων καὶ τούτων ἀξιωθεὶς διὰ τὸ πατρικὸς αὐτῷ φίλος εἶναι, οὐκ ὤκνησεν ἀπ' εἰσαγγελίας αὐτοῦ κρινομένου περὶ θανάτου, κατήγορος γενέσθαι; ad quae scholiasta: Κηφισόδοτος, πολιορκήσας Ἁλωπεκόννησον εἰσαγγελθεὶς διὰ τὴν συνθήκην τὴν πρὸς Χαρίδημον γενομένην καὶ καταψηφισθεὶς πέντε ταλάντοις ἐζημιώθη. Atque huius facti item meminit Harpocratio s. v. Κηφισόδοτος· Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος. Ἀνδροτίων ἐν πέμπτῃ

Ἀτθίδος ἱστορεῖ ὡς Ἀλωπεκόννησον πολιορκῶν ἀπεχειροτονήθη καὶ κριθεὶς ἑάλω καὶ ἀπέτισε πέντε τάλαντα. Hunc Cephisodotum autem eundem esse cum Lycurgeo, fragmenti ratio etsi non evincit, tamen admodum probabile reddit. Lycurgus igitur ab Aeschine significatur εἰσαγγελίαν adversus Cephisodotum intendisse, quae accusandi ratio frequentata est a Lycurgo; Demosthenes autem κατήγορος ad caussam accessit. Iam vero in hac caussa sunt, quae scrupulum iniiciant. Ex Aeschinis enim verbis consectarium fit, ut Cephisodoti expeditio in eundem annum inciderit, quo Demosthenes trierarchico munere fungeretur. Demosthenem scimus bis trierarchum opes suas in civitatis fructum contulisse: primum cum modo ex pueris excessisset, cf. Mid. cap. 42.: κἀγὼ μὲν κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐτριηράρχουν, εὐθὺς ἐκ παίδων ἐξελθών, ὅτι σύνδυο ἦμεν οἱ τριήραρχοι καὶ τὰ ἀναλώματα πάντα ἐκ τῶν ἰδίων ἐδαπανῶμεν καὶ τὰς ναῦς ἐπληροῦμεθ' αὐτοί. Secundum vero, cum primum spontaneae trierarchorum largitiones fierent ad Euboense bellum, v. Midian. c. 44. Harum a Demosthene susceptarum trierarchiarum tempora a Boeckhio Oec. Civ. II. p. 88. et 91. definiuntur Olymp. CIV., 1. et Ol. CV., 3. Necessario igitur Cephisodoti illa expeditio, cui Demosthenes interfuit trierarchus, suscepta est Ol. CIV., 1., atque ad eundem annum Alopeconnesi urbis obsidio referenda est, si vera tradidit Scholiasta. Plures autem ante Euboense bellum a Demosthene susceptas esse trierarchias, inde fit minus probabile, quod Demosthenes illo Midianae orationis loco hoc non silentio transegisset, quippe iactabundus ea enumerans, quae pro republica de fortunis suis expenderat. Quodsi haec tempora cum Demosthenis Aristocratea componuntur, quae tota in Thracicorum bellorum historia ac Charidemi Oritae rebus versatur, novis rursus implicamur difficultatibus. In hac enim haud semel Ce-

phisodoti mentio iniicitur, neque Alopeconnesi urbis obsidio praetermittitur. Ut autem rerum ibi traditarum chronologica constet ratio, distinguendum est inter ea quae ante Cotyis regis mortem et ea quae hoc interfecto gesta sunt. Cotys mortuus est Ol. CV., 2, id quod Winiewskius Commentar. histor. et chronolog. ad orat. de corona p. 194. docuit, Rumpfio contra Commentat. de Charidemo Orita p. 7. hanc necem Ol. CV., 1. perpatratam esse statuente. Cotye autem etiamtum vivente Atheniensium dux Timotheus Ol. CIV., 1. contra Amphipolim missus est (Rumpf. de orat. adv. Timotheum p. 19.), cum quo perfidissime transegit Charidemus (Demosth. Aristocr. p. 670.). Postea quum iam flagraret Atheniensium cum Cotye bellum, ad Cephisodotum misit Charidemus, in quibus pollicitus est, se Atheniensibus, si ipsum cum exercitu conductitio in Europam ex Asia minore transportarent, Chersonesum restituturum esse (Aristocrat. p. 671. 16 — 672. 4.). Hoc quum fieret, Cephisodotus nondum in ipso Hellesponto copiis Atheniensium praefuit, certe hoc non ad illud tempus pertinet, quo Cephisodotus male et infeliciter in obsidenda Alopeconneso est versatus. Multa enim sunt a Charidemo ad Hellespontum facta, ex quo litteras ad Cephisodotum dederat, quae enarrantur Aristocrat. p. 672. — 674., 20. Insequitur Cotyis regis mors (ibid. l. 21.) et nunc demum Cephisodotus dux in Chersonesum proficiscitur. Quae igitur nunc tanquam a Cephisodoto in Thracia gesta in Aristocratea narrantur, omnia facta sunt post Olymp. CV., 2. vel hoc ipso anno. Atque in hac Cephisodoti expeditione Alopeconnesus ab Atheniensibus oppugnatur (Aristocrat. p. 676. 20 — 677. 12.). Quae oppugnatio quum infeliciter succederet Cephisodoto Charidemi artificiis eluso, Athenienses ita indignati sunt — *ὥστε ἀπεχειροτονήσατε μὲν τὸν στρατηγὸν πέντε ταλάντοις ζημιώσαν-*

σαντες, τρεῖς δὲ μόναι ψῆφοι διήνεγκαν τὸ μὴ θανάτου τιμῆσαι. Huic igitur expeditioni interfuit Demosthenes trierarchus, quod ipsum oratione contestatum fortasse habemus. Trierarchorum enim testimonia de rebus ad Alopeconnesum gestis recitantur Aristocrat. p. 676. 22. et Demosthenes de profectione ipsa ait: πλευσάντων ἡμῶν l. c. p. 675. 21. Accedit autem alius Demosthenis locus ad turbas vel augendas. Philipp. I. p. 53. Demosthenes, qui inter Cephisodoti accusatores fuisse dicitur, ita de Atheniensium erga copiarum suarum duces animo malevolo loquitur: ὅταν γὰρ ἡγῆται μὲν ὁ στρατηγὸς ἀθλίων ἀπομίσθων ξένων, οἱ δ' ὑπὲρ ὧν ἂν ἐκεῖνος ἐκεῖ πράξῃ πρὸς ὑμᾶς ψευδόμενοι ῥᾳδίως ἐνθάδ' ὦσιν, ὑμεῖς δ' ἐξ ὧν ἂν ἀκούσητε ὅ,τι ἂν τύχητε ψηφίζησθε· τί καὶ χρὴ προσδοκᾶν; Ad quae Schol. August.: Οἱ δὲ συκοφάνται ὑπὲρ ὧν ὁ στρατηγὸς ἐκεῖ πράττει, ἐντεῦθεν κατηγοροῦσιν εὐχερῶς. διὰ γὰρ τὸ μὴ παρεῖναι ὑμᾶς συκοφαντῶν ἀνέχεσθε. Ταῦτα πρὸς Κηφισόδοτον αἰνίττεται. Quomodo autem haec Demosthenis verba conciliaveris cum iis, quae modo a nobis disputata sunt? Demosthenes enim illi expeditioni ipse interfuit atque inter accusatores Cephisodoti fuerat, hic vero illum condemnatum esse innuit ex malevolorum quorundam hominum velitationibus, qui procul fuerant ab rerum gestarum loco. Sed hanc non sane docti scholiastae sententiolam facile quispiam nihili aestimet, quum Demosthenis verba eodem iure ad Timotheum possint referri, qui Olymp. CI., 4. et CVI., 1. ob rem male gestam in iudicium vocatus est: qua autem ratione trierarchiae prioris Demosthenicae tempora, si quidem Boeckhianum sequeris numerum, cum Cephisodoti expeditione Chersonesia scitc componantur non video. Unam, sed audacem, medelam habeo hanc: Aeschinem censeto priorem aliquam a Cephisodoto Olymp. CIV., 1. in Chersonesum eductam expeditionem, cui interfuit De-

mosthenes, malitiose cum ea confudisse, cui Cephisodotus Olymp. CV., 2. nullam navim ducente Demosthene praefuit, quaeque ipsi tam infelicem habuit exitum. De his explicatius dixi, quoniam neque Rumpfius l. c. neque Winiewskius l. c. p. 195. Demosthenicorum locorum ex Midiana et Aristocratea Aeschinisque dictorum fuerunt memores, atque ut uno certe exemplo ostenderem, quam parum historia Thracicorum bellorum hucusque esset pertractata et explorata. Nolim vero fluctus in simpulo me movisse quemquam iudicare. Ad eundem Cephisodotum refero Xenoph. Hellen. VII., 1, 12., tempore haud refragante. Cf. contra Westermann. histor. eloqu. p. 72. Uti autem Cephisodotum propter eloquentiam satis celebrem eundem esse coniicio, qui etiam copias duxit, ita Autocles quoque, a Xenophonte Hellen. VI., 3, 2. orator sollertissimus dictus, non diversus mihi videtur ab eo, qui Atheniensium exercitui in Thracia praefuit (Aristocrat. p. 655.).

Incertissima autem est alia quaedam oratio, quae inter Lycurgeas refertur: *διαδικασία Κροκωνιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας.* Harpocrat. s. v. *θεοίνιον*, *προχαιρητήρια*, *Σκαμβωνίδαι* et *Κυνίδαι* eam Lycurgo soli tribuit, s. v. *Κοιρωνίδαι* vero ab nonnullis Philino adscribi refert. Itaque quum Athen. X. p. 425. B. Philinus solus huius *διαδικασίας* auctor perhibeatur, admodum incertum redditur de ea iudicium. Argumentum orationis privata illarum gentium sacra fuerunt, de quo forensium certaminum genere cf. Att. Proc. p. 568. 369. 471. Meierus iam suspicatus est, inter hanc orationem et aliam quandam Dinarchi, eodem titulo inscriptam, intercessisse aliquod necessitudinis vinculum, quamquam ne hoc quidem certis niti rationibus perspexit. Dinarcheae orationis fragmenta videas ap. Harpocrat. s. vv. *ἐξούλης* et *ἱεροφάντης* Iuvabit autem de harum

gentium rebus consulere Bosslerum l. c. p. 44. 55. Fragmenta orationis habeto haecce:

Harpocrat. s. v. *Κοιρωνίδαι.* ἔστι Λυκούργῳ λόγος οὕτως ἐπιγραφόμενος Κροκωνιδῶν διαδικασία πρὸς Κοιρωνίδας, ὃν ἔνιοι Φιλίνου νομίζουσιν· ἔστι δὲ γένος οἱ Κοιρωνίδαι, περὶ ὧν Ἴστρος ἐν τῇ συναγωγῇ τῆς Ἀτθίδος φησίν. ὠνομασμένον δ' ἂν εἴη ἀπὸ Κοίρωνος, ὃν νόθον ἀδελφὸν εἶναί φασι τοῦ Κρόκωνος, παρ' ὃ καὶ ἐντιμοτέρους εἶναι τοὺς Κροκωνίδας. ὁ δὲ τὸν λόγον γεγραφὼς ὅστις ποτ' ἐστίν, τρισὶν ὀνόμασί φησιν αὐτοὺς προσηγορεῖσθαι· καὶ γὰρ Κοιρωνίδας καὶ Φιλιεῖς καὶ Περιθοίδας. De Coironidis cf. praeter Welcker. Proleg. ad Theogn. p. XLIV. iam a Bosslero citatum etiam Muellerum Orchomeniacis p. 203. sqq. et Grotefend. de demis Att. s. v. *Περιθοῖδαι.* De Philino autem cf. Westermann. Hist. eloqu. p. 99. n. 29.

Harpocrat. s. v. *Θεοίνιον·* Λυκοῦργος ἐν τῇ διαδικασίᾳ Κροκωνιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας. τὰ κατὰ δήμους Διονύσια Θεοίνια ἐλέγετο ἐν οἷς οἱ γεννῆται ἐπέθυον· τὸν γὰρ Διόνυσον θέοινον ἔλεγον, ὡς δηλοῖ Αἴσχυλος καὶ Ἴστρος ἐν πρώτῃ συναγωγῶν. Cf. Siebelis. Istr. p. 61. Demosth. c. Neaer. §. 78. Bekk. De accentu verbi *γεννῆται* cf. Schoemann. ad Isaeum p. 355. sq.

Cum hoc fragmento coniungas Athen. X. p. 425. B. *οἱ δὲ οἰνόπται οὗτοι ἐφεώρων τὰ ἐν τοῖς δείπνοις, εἰ κατ' ἴσον πίνουσιν οἱ συνόντες. καὶ ἦν ἡ ἀρχὴ εὐτελής, ὡς ὁ ῥήτωρ φησὶ Φιλῖνος ἐν τῇ Κροκωνιδῶν διαδικασίᾳ. καὶ ὅτι τρεῖς ἦσαν οἱ οἰνόπται, οἵτινες καὶ παρεῖχον τοῖς δειπνοῦσι λύχνους καὶ θρυαλλίδας.* Cf. interprett.

Harpocrat. s. v. *Κυνίδαι·* Λυκοῦργος ἐν τῇ διαδικασίᾳ Κροκωνιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας. γένος ἐστὶ παρ' Ἀθηναίοις οἱ Κυνίδαι. Cf. Bossler. l. c. p. 48. 49.

Harpocrat. s. v. *Σκαμβωνίδαι·* Λυκοῦργος ἐν διαδικασίᾳ Κροκωνιδῶν. ἔστι δὲ δῆμος τῆς Λεοντίδος. De

Scambonidarum cum Crocone nexu cf. Pausan. I, 38, 1., porro Boeckh. ad Corp. Inscr. n. 70. et quos citat Grotefend. de demis Att. s. v. Krusiumque Hellad. Vol. II. p. 180.

Harpocrat. s. v. *Προχαιρητήρια· Λυκοῦργος ἐν τῇ Κροκωνιδῶν διαδικασίᾳ. ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις γραφομένη ὅτε δοκεῖ ἀπιέναι ἡ Κόρη.* Bekkerus coniecit *ἀγομένη*, quum in Cod. N scriptum sit *γινομένη*. Suid. s. v. item *ἀγομένη*, Photius autem *γραφομένη*. Hoc festum, quod non neglexit Meursius Graec. Fer., cum *προχαιριστηρίοις*, de quibus supra iam dictum est, confuderunt Tib. Hemsterhusius ad Plutum. p. 475. et Ebertus *Σικελιῶνι* p. 32. Atque ille quidem ex litterarum ordine iudicavit hoc nomen apud Harpocrationem perperam legi, quod nollem fecisset, quum nihil frequentius sit, quam litterarum initialium perturbatus in lexicis ordo, quae res sane exemplorum testimoniis non eget. In errorem est autem uterque inductus, quod crediderunt *προχαιρητήρια* nomen festi esse, quod videlicet non admodum a *προχαριστήρια* recederet. Agitatum est festum in Proserpinae honorem eo tempore, quo abiit Cora, sive quo abiisse creditur, originemque videtur duxisse a valedicendo. Nihili igitur est, quod Ebertus *ἀνιέναι* scribi vult ex comparatione *τῆς ἀνόδου*, quam Suid. dicit s. v. *προχαριστήρια*.

Fragmenta *ἀπαράσημα*.

Stob. Florileg. II, 31. Vol. I. p. 69. ed. Gaisf. Lips. *Λυκούργου· Ὅσοι τοῖς ἀπὸ τῆς φύσεως ἀγαθοῖς ἐπὶ τὰ χείρω χρῶνται, τούτοις πολέμια τὰ εὐτυχήματά ἐστιν. Ὡς εἴ τις ἀνδρεῖος ὢν ληΐζεσθαι μᾶλλον, ἢ στρατεύεσθαι προαιρεῖται· ἰσχυρὸς ὢν λωποδυτεῖν μᾶλ-*

λον, ἢ συμβουλεύειν· ἢ καλὸς ὢν μοιχεύειν μᾶλλον, ἢ γαμεῖν· οὗτος τῶν ἀπὸ τῆς φύσεως ἀγαθῶν ὑπαρξάντων προδότης ἐστίν. Haec in hominem, qualis fuit Demades, videntur dicta esse. Gaisf. προαιροῖτοι coniecit, quod non est necessarium.

Ibid. IX, 106. Vol. I. p. 212. Λυκούργου· Ζηλωτὸν ἴσως ὁ πλοῦτος· τίμιον μέντοι καὶ θαυμαστὸν ἡ δικαιοσύνη.

Ibid. p. 381. Λυκούργου· Δεῖ φίλοις καὶ τοῖς οἰκείοις βοηθεῖν, ἄχρι τοῦ μὴ ἐπιορκεῖν. Voss. ἄνευ τοῦ.

Ibid. Vol. III. p. 23. Λυκούργου· Ὅτ' ἂν γυνὴ ὁμονοίας τῆς πρὸς ἄνδρα στερηθῇ, ἀβίωτος ὁ καταλειπόμενος γίνεται βίος.

Cf. Antiph. p. 666. R. Lys. p. 228. R. Aeschin. c. Timarch. p. 34, 31. 49, 20. de f. legat. p. 55, 5. ed. Dind. Demosth. Mid. p. 557. R.

Ibid. p. 212. Λυκούργου· Οὐ τὸ πλουτεῖν καλόν ἀλλὰ τὸ ἐκ καλῶν πλουτεῖν.

Etym. Magn. p. 789. 1. s. v. φάσις. — λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ὀρφανικῶν οἴκων· ὅταν γὰρ μὴ ἐκμισθώσειεν οἱ ἐπιτροπευόμενοι τὸν οἶκον, ἔφαινεν αὐτοὺς ὁ βουλόμενος πρὸς τὸν ἄρχοντα, ἵνα μισθωθῇ. ἔφαινε δὲ καὶ εἰ ἐλάττονος ἢ κατὰ τὴν ἀξίαν ἐμεμίσθωτο. τοῦ μὲν οὖν προτέρου τὰς μαρτυρίας, ἔστιν εὑρεῖν παρά τε Δεινάρχῳ καὶ Δημοσθένει· τῆς δὲ περὶ τῶν ὀρφανικῶν (οἴκων) φάσεως, παρὰ Λυκούργῳ. Photius et Suidas s. v. ad Lysiam auctorem provocant idque ni fallor verius.

Eiusdem phasis duo exempla ex Demosth. commemorata reperies a Meier. Att. Proc. p. 250.

Polluc. Onomast. III, 34.:

Λυκοῦργος δὲ καὶ διεγγυᾶν τὸ ἐγγυᾶν εἶπε. MS. Iungermanni hoc ordine: *Λυκ. δὲ τὸ ἐγγυᾶν διεγγ. εἶπε.* De horum similiumque verborum permutatione cf. Meier. Att. Proc. p. 521.

Rutilii Lupi liber de figuris sententiarum et elocutionis praeclara quaedam fragmenta continet Lycurgiarum orationum, quae si essent graecis verbis perscripta et orationis, unde excerpta sunt, inscriptione, insignita, multum facerent ad Lycurgi eloquentiam melius pernoscendam.

P. 10. ed. Ruhnk. p. 89. Lips. *συναθροισμοῦ* exemplum. (Cf. Ernest. lex. rhetor. gr. v. *συναθροισμός* et lex. lat. s. vv. *coacervatio*, *congeries* et *percursio*.)

Lycurgi: *Nemo enim nocens sine summo moerore est, Iudices, sed multa simul eum perturbant. Quod adest, sollicitudinis plenum, quod futurum est, formidolosum, lex paratum supplicium ostentans, vitia ex vitiis coacta, occasionem arguendi maleficii captans inimicus: quae quotidiano vehementer eius animum excruciant.*

Nemo enim nocens sine summo moerore est.] Petron. cap. 125. *Dii Deaeque, quam male est extra legem viventibus! Quicquid meruerunt, semper exspectant.* ubi similia congesserunt Interpretes. Forte legendum: *Nemo enim nocens sine summo moerore et terrore est,* quod certe melius congruit cum sequentibus. Sic *moerorem* et *metum* iunxit Lucret. VI, 1181.

Perturbata animi mens in moerore metuque.

Cic. pro Rosc. Am. 24. *Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat.* Vide Virgil. Aen. XI, 357. et Serv. Hoc remedium saepe adhibendum erit. Nam nullum in Rutilio corruptelae genus crebrius est, quam quo voces perierint propter similitudinem vicinarum. Ruhnk.

In disceptanda scripturae veritate virum summum lectionis copia nimis reddidit suspicacem. Nam et omnia apte ac concinne sunt ab oratore pronuntiata et tum demum eiusmodi mutationibus locus debet concedi, cum corruptelae apertissima sunt indicia.

Quod adest, sollicitudinis plenum.] Hunc Lycurgi locum imitatus videtur Philo Iud. T. I. p. 214. τοιοῦτος δὲ ὁ φαῦλος κακοδαίμονος βίος τῶν τεσσάρων παθῶν τὰ ὀδυνηρότερα ἀποκεκληρωμένος, φόβον τε καὶ λύπην, τὴν μὲν τοῦ στένειν, τὸν δὲ τοῦ τρέμειν συνώνυμον. ἀνάγκη γὰρ ἢ παρεῖναί τι κακόν, ἢ μέλλειν γε τῷ τοιούτῳ. τοῦ μὲν οὖν μέλλοντος ἡ προσδοκία φόβον, τοῦ δὲ παρόντος ἡ χρῆσις λύπην ἐγέννησεν. RUHNK.

Vitia ex vitiis coacta.] Barthius Advers. XIII, 9. legendum coniicit: *vita ex vitiis coacta.* Quam coniecturam repudians ad Stat. Thebaid. III, 4. locum sic explicat: *vitia semet urgentia perpetua quadam peccandi necessitate.* Nec aliam ex his verbis, si mendo vacent, sententiam elicias. RUHNK. Frotscher. *contracta* coniecit esse legendum.

Quae quotidiano vehementer eius animum excruciant.] Male Edit. Rhenan. eamque secutae Stephan. Gryph. Lovan. *quotidiana.* Barthius, credo, offensus adverbio *quotidiano,* Advers. XIII, 9. corrigebat: *quae quotidie aucta vehementer eius animum excruciant.* Frustra. Nam *quotidiano* elegantissimum quemque veterum dixisse, docet Bentleius ad Terent. Heautont. IV, 5. 7. Nos alibi (in Animadv. ad Xenoph. Memorab. II. c. I. §. 30. K.) demonstravimus, in Varrone apud Non. Marcell. p. 539. 542. legendum esse: *In omnibus rebus bonis, cotidiano cubo in Sardianicis tapetibus.* ubi vulgo legitur, *cotidianis.* Ac forte in Rutilio II, 3. pro *quotidianam commentari servitutem* legere praestat, *quotidiano commentari servitutem.* Sic veteres dixerunt

meridiano, matutino, hesterno, repentino, hiberno et similia, in quibus intelligitur *tempore*. Vide Vossium de Analog. IV, 18. Rutiliano loco similis est ille Ciceronis de Fin. I, 16. *temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant*. RUHNK. Iuvat Quintiliani locum insignem afferre ex lib. XII, 1, 7.: *Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Nam et cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur: et iam, cum sceleris compos fuerit, sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium exspectatione torquetur.*

P. 24. p. 100. Lips. Exemplum ἐπιβολῆς, de qua cf. Ernestium s. h. v. et s. v. *repetitio*.

LYCURGI: *Nam cum iuventus concitata temere arma caperet, et quietos Thessalos manu lacessere conaretur, iure ego senatum coëgi, auctoritate sua comprimere adolescentium violentiam. Ego quaestoribus interminatus sum, ne sumtum stipendio praeberent. Ego, armamentario patefacto, restiti, atque efferri arma prohibui. Itaque unius opera mea non concitatum bellum non necessarium scitis.*

Unius opera mea.] Nescio, cur R. Stephanus, quem posteriores editores secuti sunt, mutato verborum ordine, dederit *mea unius opera*. Nam, ne dicam, ingratum auribus esse trium vocalium concursum, eodem ordine iunxit Cicero ad Attic. XI, 15. *Solius enim meum peccatum corrigi non potest.* pro Sext. 60. *in unius mea salute*. Ipsam construendi rationem explicuerunt Is. Casaubon. ad Pers. V, 40. p. 379. I. F. Gronov. ad Plaut. Pseud. I, 1, 4. N. Heins. ad Ovid. Ep. V, 45. et Drakenborch. ad Liv. VII, 40. RUHNK.

Non concitatum bellum non necessarium scitis.] Vereor, ne hic quoque unum et alterum verbum interci-

derit. Idem sentiens R. Stephanus, de coniectura clanculum edidit: *compressum, non concitatum bellum non necessarium scitis.* quod supplementum a Gryph. Lovan. et Pith. receptum eieci et expunxi, satius existimans, locum mutilum relinquere, quam interpolare. Ruhnk. Equidem verba sana atque interpolatione libera esse censeo. Obiecerat enim aliquis Lycurgo, quod bellum non necessarium concitasset. Huic istis verbis ita est responsum, ut monstrarit Lycurgus, unius opera sua, quamquam volentibus fere omnibus reliquis, bellum non necessarium non esse concitatum. Dixisset Lycurgus *compressum*, si bellum revera non exarsisset. nam bellum ortum sit necesse est; qui enim potuit Lycurgo eius culpa attribui? In aperto videtur esse, hoc fragmentum ad ἀπολογισμὸν ὧν πεπολίτευται quondam pertinuisse. Videntur haec, quae narrantur, facta esse, quum Lycurgus munere isto celeberrimo fungeretur. Habet autem multum difficultatis, tempus definire, quo bellum contra Thessalos motum est. Quae coniectura ego sum assecutus, haec sunt. Bello sacro finito Philippus in Thessalia quasi sedem suam fixerat, unde ad varias expeditiones prorumperet. Thessalorum inde odium Athenis flagrantissimum. Thessali enim una cum Philippo legatos Athenas miserant, qui Atheniensibus de Phocensium Amphictyonicis suffragiis Philippo tradendis persuaderent (Dem. de falsa leg. p. 375.). Iam tum ad bellum proruissent Athenienses, nisi Demosthenis sapientia pacem commendasset. Ab hoc tempore omnis Atheniensium cura in eo est versata, ut Philippum arcerent a finibus suis et sociorum. Semel tantum in Thessaliam progressi sunt, Demosthene suadente, quem Aeschines hoc nomine graviter perstringit in Ctesiph. p. 65. (Olymp. CIX., 2. Winiewsk. p. 157.). Ad hanc expeditionem allusit fortasse orator.

P. 48. p. 117. Lips. Exemplum ἐπιπλοκῆς, in qua ex prima sententia secunda oritur, ex secunda tertia, atque deinceps complures. Fugit hoc schema Ernestium Lex. technolog.

Item LYCURGI: *At mihi mirum videtur, quod tam excelsum boni gradum homo summi laboris escenderit. Nam cui praesto est sua voluntas, industrius sit necesse est: industriam vero scientia consequitur: ex scientia copia et facultas ingenii nascitur: ex qua facultate vera et facile felicitas laudis oritur. Neque enim temere diligens studium virtutis fructus fortunae fallit.*

At mihi mirum videtur.] R. Stephanus edidit: *At nihil mirum videtur.* quod inde venit in Gryph. et Lovan. Per ironiam haec dicta accipit Gesnerus V. C. in Thesauro L. L. v. *Industria*: quae ratio non accommodata huic loco videtur. Sine dubio legendum: *Haud mihi mirum videtur. Haud* primum in *aut*, mox in *at* mutatum. Ita *ad* pro *aut* et *haud* in MSS. invenit Heinsius ad Ovid. Fast. III, 238. RUHNK. Equidem Stephano adstipulor.

Quod tam excelsum boni gradum homo summi laboris escenderit.] Codd. MSS. et Editiones antiquae consentiunt in vitio manifesto: *quod tam excelsum boni gradum homo summi laboris excederit.* R. Stephanus, coniecturam secutus, *exceperit* dedit pro *excederit.* Quod, quamvis a Latinae linguae ratione abhorrens, propagatum est ad Edd. Gryph. Lovan. et Pithoeanam. *Capere gradum* dicunt Latini, ut Lactant. Div. Inst. VI, 6., non *excipere gradum.* Locus ita refingendus videtur: *quod tam excelsum honoris gradum homo summi laboris escenderit.* Saepe Cicero aliique, *honoris* vel *dignitatis gradum adscendere.* (Nihil videtur mutandum esse. *bonum* est τὸ ἀγαθόν. K.) Sed *escenderit* hic praeferendum, propter vestigia corruptae lectionis. *Excedere* et *escendere* alibi etiam confunduntur, ut,

teste Gronovio, in MSS. Statii Silv. IV, 2, 22. Verbum *escendere*, quod qui hodie Critices tirocinia ponunt, nimis cupide scriptoribus obtrudere solent, permulti illustrarunt, sed nemo maiore eruditionis ubertate, quam magnus Gronovius ad Liv. II, 28. Rutiliano loco similis est ille Taciti Agric. 42. quem ita legit Lipsius: *obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis escendere.* Etsi ibi fortasse melius fuerit, vulgatum *excedere* non movere. Nam eo modo non semel loquitur Valerius Maximus, tanquam V, 6. 4. *respublica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit.* RUHNK.

Tua voluntas.] Sic libri veteres. Sed res ipsa ostendit, verum esse, quod R. Stephanus edidit, *sua voluntas.* RUHNK. Bakii coniecturam in Bibl. Crit. Nov. Vol. III. p. 63. prolatam *summa voluntas* Frotscher. commemoravit.

Industrius sit necesse est.] Scribe: *industria sit necesse est.* Hoc enim Gradatio postulat. RUHNK. Neque haec mutatio necessaria est; *industrius* enim adiectivum oppositum est verbis *cui praesto est sua voluntas*, quae et ipsa adiectivi sustinent vicem.

Ex qua facultate vera et facile felicitas laudis oritur.] Haec est omnium librorum scriptura. Sed R. Stephanus edidit *et facili*, nullo commodo sensu. Simplicissimum fuerit legere: *ex qua facultate vere et facile felicitas laudis oritur.* RUHNK. Addo quae ab aliis ad emendandum hunc locum tentata sunt; a Bakio correctum est: *vera laus et felicitas oritur*; Bardilius in Friedemanni et Seebodii Misc. cr. Vol. I. p. 382. coniecit: *verae et solidae felicitas laudis oritur*; quibus duplicem scripturam a se excogitatam adiecit Frotscher., legendum esse suspicatus vel *verae facile felicitas laudis oritur*, vel *verae felicitas laudis*, omissa *facile* voce, quam

pro interpretamento voc. *temere* margini adpositam fuisse credit.

Neque enim temere.] Haec est scriptura Ed. Aldinae. Reliqui libri veteres: *Neque enim tenere.* Quod vitium manifestum etiam a Stephano sublatum. RUHNK.

P. 60. p. 126. Lips. Exemplum μεριστμοῦ, quod schema singulas res separatim disponit et suum cuique proprium tribuit. Cf. Ernestium Lex. technol. Graec. s. v. et Lat. s. v. *partitio. digestio. divisio.* quamquam nullum horum schematum in Rutilianum prorsus quadrat.

LYCURGI: *Cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimae: oculi ad petulantem lasciviam, manus ad rapinam, venter ad aviditatem, [virilis naturae] membra, quae non possumus honeste appellare, ad omne genus corruptelae, pes ad fugam. Prorsus ut aut ex hoc vitia, aut ipse ex vitiis ortus videatur.*

Cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimae.] Hunc Lycúrgi locum imitando expressit Auctor Declamat. in Cicer. 3. §. 11. p. 1052. et, qui eum descripsit, Auctor Epist. II. ad Caesar. de rep. ordin. 9. §. 2. p. 1041. *cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat: lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces; quae honeste nominari non possunt, inhonestissima.* Similis locus Ciceronis Catil. I, 6. *quae libido ab oculis, quod facinus a manibus, quod flagitium a toto corpore abfuit?* RUHNK.

Oculi ad petulantem lasciviam.] *Petulantia* et *lascivia* adeo propria sunt oculis, ut Seren. Sammon. 663. non dubitarit *mobilem lasciviam* absolute dicere, quam Petron. cap. 126. vocat *oculorum mobilem petulantiam*, et cap. 138. *petulantes oculos.* ubi Interpretes Rutilii locum adscripserunt. Iustin. I, 3. *cum mollitia corporis, et oculorum lascivia omnes feminas anteiret.* Quinctilian. XI, 3. §. 76. p. 574. *oculi lascivi et mobiles.* RUHNK.

Virilis naturae membra, quae non possumus honeste appellare.] Non verbis opus est, ut vincamus, *virilis naturae* foedissimum esse glossema. Nam talia veluti digito demonstrasse sat est. Solebant autem veteres, quas res pudor nominare vetaret, venusta eiusmodi circumlocutione significare. Cicero Phil. II, 19. *Sed iam stupra et flagitia omittam: sunt quaedam, quae honeste non possum dicere.* Apud Petron. cap. 132. aliquis partem, qua vir erat, sic increpat: *Quid dicis, omnium hominum Deorumque pudor? nam, nec nominare quidem te inter res serias, fas est.* et paucis interiectis: *quod, oblitus verecundiae meae, cum ea parte corporis verba contulerim, quam ne ad cognitionem quidem admittere severioris notae homines solent.* Declamator in Ciceronem paulo ante laudatus: *quae honeste nominari non possunt, inhonestissima.* Arnob. III. p. 105. *Habent ergo Dii sexus, et genitalium membrorum circumferunt foeditates, quas etiam ex oribus verecundis infame est suis appellationibus promere?* ubi ne quis eodem iure *genitalium* expungi posse putet, sciat, primum *genitalia membra* honestius dici, quam *virilis naturae membra*, deinde aliud licuisse Arnobio scribenti, ac Lycurgo in concione vel coram iudice dicenti. Idem V. p. 176. *propudiosa corporum monstratur obscoenitas, obiectanturque partes illae, quas pudor communis abscondere atque naturalis verecundiae lex iubet: quas inter aures castas sine venia nefas est, ac sine honoribus appellare praefatis.* Ubi vide Interpretes. Ceterum negationem, quae exciderat, ex Gronov. Excerpt. restituimus. Idem ex ingenio fecerat R. Stephanus, quem imitati sunt recentiores Editores. Ruhnk.

Pes ad fugam.] Virgil. Aen. XI, 390.

an tibi Mavors
Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis?

ut Declamator in Cicer. l. c. Ovid. Fast. III, 271.

Regna tenent fortesque manu, pedibusque fugaces. Vide Savaronem ad Sidon. Apoll. V, 7.

Ipse ex vitiis ortus.] Plautus Mil. IV, 7. 9. *Mulier profecto nata est ex ipsa mora.* Ruhnk. Haec in hominem tam spurcum, qualis fuit Demades vel Aristogito, orator profudit.

P. 120. p. 170. Lips. Exemplum παραστωπήσεως, quae fit, cum aliquid nos reticere dicimus et tamen tacite intelligitur. Cf. Ernestium Lex. technol. Graec. s. h. v.

Lycurgi: *In praesentia, Iudices, iniussu populi quae improbissime gesserit, reticebo: de falsis eius litteris, quas ad senatum miserit, nihil dicam: quae illi saepe interminati sitis, omittam; nam et haec vobis nota sunt; at quae novissime multo indigniora commisit, quam primum cognoscenda.*

Quae illi saepe interminati sitis.] *Quae*, quod ab omnibus libris antiquis abest, bene restituit R. Stephanus, cuius coniecturam Exc. Gronov. confirmant. Itaque, post alios Editores, admisimus. Ruhnk.

Et quae novissime.] Vir doctus in marg. Ed. Rhen. legit: *At quae novissime.* Recte. Ruhnk. Haec in imperatoris, veluti Cephisodoti, accusatione locum habent.

P. 132. p. 180. Lips. Exemplum παῤῥησίας, ex qua vehementer cum iudice agendum est, et vitium aut erratum eius audacter coram eo reprehendendum. Cf. Ernestium Lex. technol. Latin. s. v. *licentia.*

Item Lycurgi: *Sed vos, Iudices, vos haec facere debetis. Nam cum in sententiis ferundis nocentibus remisse paratis, vos improborum studium ad peccandum excitatis.*

Nam cum in sententiis ferundis nocentibus remisse paratis.] Revocavimus veterum librorum scripturam, quamvis manifeste mendosam, quam ita immutarat R. Stephanus: *Nam cum in sententiis ferundis nocentibus remissionem paratis.* Quae coniectura, velut Codicum lectio, recentiores Editiones occupavit. Vir doctus in

marg. Ed. Rhen. corrigebat: *Nam cum in sententiis ferundis nocentibus remisse parcatis.* Mihi legendum videtur: *Nam cum in sententiis ferundis nocentibus poenam remittatis, paratum vos improborum studium ad peccandum excitatis.* De priore coniecturae parte, *poenam remittitis*, nolim cum quoquam contendere. Sed *paratum studium* quin Rutilius scripserit, nullum mihi dubium est. Ruhnk.

Vos improborum studium ad peccandum excitatis.] Foedissima et MSS. et veterum Editionum in hoc loco est corruptela: *vos in forum studium adspectandum excitatis.* Vera lectio, quam post alios in textu reposuimus, R. Stephano debetur, cuius coniectura tam elegans est, ut multa eius peccata redimere possit. Ruhnk. Equidem non tam reprobem Codicum scripturam, modo legatur *adspectantium.*

Ne autem cui quid praetermisisse videar, adscribam Burgessii de hoc fragmento adnotationem, expromptam in appendice ad Dawesii Miscellan. p. 363.: „Desinam in Lycurgi oratoris fragmento a Rutilio Lupo servato et latine facto. *Sed vos, iudices, vos haec facere debetis. Nam cum in sententiis ferundis nocentibus remisse paratis, vos improborum studium ad peccandum excitatis.* Pro *paratis* statim inter legendum in mentem venit *parcatis.* Sed displicebat *remisse* et *parcatis* coniuncta, quo deinde paullo melius videbatur *remissi parcatis.* Sed loco penitius inspecto et considerato, nunc censeo fortasse Rutilium scripsisse: *Nam cum in sententiis ferundis, nocentibus remisse faciatis*, vel *agatis.* — *Remisse facere*, ut *benigne facere* antea p. 127.: ubi locutionem elegantem optime illustrat Ruhnkenius. *Remisse faciatis* explicet quis *parcatis*, quod superscriptum tandem verae lectionis locum occuparit, atque inde corrupta lectio *paratis.* Praeterea hoc Lycurgi exemplum schemati Parrhesiae magis, opinor, conveniet,

ceptum referas, qui non unius scriptoris iacturam aliquo certe modo compensarunt. Quodsi explorare quis cupiat, qualis sors oratorum Atticorum scriptis obtigerit, ab iis temporibus exordiatur necesse est, quibus, confecto bello Lamiaco, Antipater Athenarum ceterarumque Graeciae civitatium libertatem prorsus evertit. Tum enim, exstinctis optimis oratoribus omnique publice loquendi libertate adempta, Atticorum eloquentia, quae vere hoc nomine appellanda est, ita est oppressa, ut nunquam revixerit. Fuit quidem etiamtum Athenis haud inelegans homo nec dicendi imperitus, Demetrius Phalereus, sed et arte et animo a celeberrimis istis verae eloquentiae auctoribus longissime recedit.

Praeclaras autem Philippicae aetatis oratorum reliquias cum aliis innumeris Graeci ingenii artisque documentis sinu suo recepit Alexandria, Ptolemaeorum munificentia et liberalitate Graecis litteris quasi refugium benevole concessum. Huc quum ingentes copiae confluxissent, singula scriptorum operumque genera per partes erant accurate notanda et distinguenda, id quod factum est laudabili Callimachi industria, cuius πίνακας nemo est qui ignoret. In his autem etiam oratores fuisse consignatos, Isocrateae certe disciplinae alumnos, Hermippi liber de Isocratis discipulis argumento est, qui ex Callimachiorum πινάκων fonte est exscriptus, quod nuper in Jahnii Annalibus Paed. et Philol. Vol. XVII. Fasc. II. ann. 1836 monstratum est a Prellero in censura Hermippiorum fragmentorum a Lozinskyo non satis diligenter editorum. Quibus in tabulis, si certi quid affirmare licet, de scriptorum vitis, de operum titulis idque genus aliis erat perscriptum, ut potius eorum commodis inserviretur, qui bibliotheca uti vellent, quam ut de pretio ac virtutibus singulorum accurate iudicaretur. Cf. Bernhardy.

Histor. litt. Gr. p. 134. et Meier. Ind. Schol. in Acad. Hal. p. aest. MDCCCXXXVI. habend. pag. X sqq.

Quum ex his appareat, oratores Atticos Alexandrinorum manibus versatos fuisse, proclivis est coniectura, nec postea eos sepositos fuisse, si modo non omne hanc in rem testimonium deest. Etenim quum Alexandrini magis magisque in artem grammaticam solam incumberent, poetis maxime delectati, factus est ab Aristophane et Aristarcho delectus quidam eorum scriptorum, in quibus litterati homines operam ac studium unice consumerent. Hic est ille canon grammaticorum Alexandrinorum πολυθρύλητος, in quem unusquisque, qui vel leviter litterarum Graecarum historiam attigerit, quaerendo incidit. Itaque et ego, nisi certum mihi foret de eo iudicium, nonnulla quidem me afferre posse videbam ad Hyperidia fragmenta melius quam antea intelligenda, sed omnem meam huic oratori impendendam operam firmo fundamento destitui. Aut enim comprehendebantur oratores isto canone: tum quaerendum esse videbatur, quomodo factum esset, ut hic unus ex ista decade interierit; aut non comprehendebantur: tum illud cognoscere gestiebam, qualis fortuna in servandis orationibus versata esset. Confectum illo tempore esse numerum denarium et ad posteros propagatum, Ruhnkenius probatum ivit Histor. Crit. Oratt. Rutilio Lupo praemissa. Qua de re quum per longum tempus nemo dubitasset, nuperrime Rankius exstitit, qui in Comment. de Aristophanis vita p. CXI sqq. Ruhnkenio obloqueretur negaretque vix quicquam, quod memoratu dignum esset, de orationis pedestris scriptoribus Alexandrinos constituisse, nec canonem oratorum ullum factum esse usquam nisi Athenis ipsis. In his quae vera falsis mixta videantur esse, deinceps sum dicturus. Ruhnkenius enim auctores secutus fuerat non satis idoneos,

Quintilianum et Proclum: quorum alter Institut. Oratt. libro decimo ne omnes quidem decem istos nominat, nec usquam prodit se Alexandrinorum vestigia premere, alter tam est ultimae aetatis, ut prae auctoritate priorum rhetorum, veluti Dionysii Halic., contemnendus sit, apud quos nulla fiat canonis mentio. In quibus quae de Quintiliano disputata sunt a Rankio, valde mihi probantur; quae de Proclo et Dionysio, non item. Quintilianus enim, si quos Graecos secutus est in scriptorum lectu dignorum recensu, Dionysii potius ac Caecilii aliorumque eiusdem notae scriptorum iudicia retulisse credendus est quam tabularum Alexandrinarum consignationes. Procli vero testimonium quum de poetarum canone valeat, videndum est, num in oratores quoque quodammodo quadret. Ex Dionysii enim silentio vix aliud quicquam collegeris, nisi hoc, Dionysium Alexandrinos non curare, sed suo ipsius insistere fundamento. Quod autem Proclo neque cum Quintiliano neque cum Grammatico Coisliniano, quem Ruhnkenius in subsidium vocavit, convenit, illud non tanti faciendum esse puto, quanti Rankius videtur fecisse. Quid enim facilius potest usu venire, quam ut in tanto nominum numero unum alterumve aut omittatur aut corrumpatur? Quapropter quum etiam Didymi Alexandrini exstiterint commentarii in oratores Atticos, ad quos infra oratio recurret, nunc quidem concedendum videtur esse, valde dubiam esse rem, non tamen prorsus elevatam Ruhnkenii sententiam, sed ita coarctatam, ut statui posse videatur, praecipuos quosdam oratores ab Alexandrinis esse tractatos, quamquam de certo numero ac de aestimatione facta nihil constat. Numerum autem denarium profectum esse ait Rankius ab Atheniensibus ipsis, in quibuscunque rebus digerendis numeros aliqua de caussa insignes adamantibus. Ita quum es-

sent decem oratores a Solone publice constituti, placuisse Atheniensibus decem oratores praecipuos numero isto concludere; nullum enim se potuisse reperire Rankius ait, a quo istam oratorum coniunctionem factam esse putaret. Qua in re primum illud mirabundos nos tenet, quod de numero denario tam diserte loquitur Rankius, qui Ruhnkenio exprobraverit maneam illorum grammaticorum hac de re fidem. Nam si aliunde constat de numero ipso, quid est cur in indiligenti grammaticorum quorundam memoria tantopere haereamus? Tenendum est, rem certo esse traditam. Sed ut hoc mittam, multa sunt praeterea, quae me ab assentiendo retineant. Ut nihil dicam de συνηγόρων magistratu, nec ante exstinctam libertatem admodum gravi atque amplo et postea vix noto, quamquam omnia exempla numerorum, quae a Rankio allata sunt, ad res insignes omnium ore versantes pertinent, probandum fuit, quando et a quibus qualibusque hominibus ista numeri definitio facta esset. Ad certum enim auctorem quendam, quisquis fuit, illorum decem oratorum delectus est referendus. Quanam hoc aetate factum putes et a quonam Atheniensium tale iudicium speres? praesertim quum Athenis prae philosophiae studiis eloquentia prorsus contempta fuerit. Et ut conclusus sit iste numerus Athenis, quomodo tandem ad universum grammaticorum gregem potuit propagari, nisi a scriptore quodam nobili erat quasi commendatus? Quis iste fuit? Quare, si quid video, Athenis non facta est illa decem oratorum comprehensio.

Iam videamus, utrum ad Ruhnkenii canonem redeundum an nova quadam via procedendum sit. Profecimus tantum, ut certum esse videatur, oratores quosdam Atticos ab Alexandrinis iam primis a condita Alexandria saeculis tractatos esse, quamquam de numero non constabat. Praeterea etiam hoc pro explora-

to potest haberi, hosce oratores tantum in studiorum grammaticorum usum esse conversos Alexandriae, non respecta oratoriae facultatis praestantia ac virtute. Ante vero quam longius procedamus, praemonenda quaedam videntur. Etenim bifariam fere oratorum scripta ad posteritatem propagata esse videntur, tum scholarum rhetoricarum usu et tractatione, tum studiis grammaticorum, inter quos Alexandrini et aetate et doctrina fuerunt primi. Postquam forum Atticum desiit eloquentissimis oratorum suorum vocibus resonare, orationum scriptarum exemplaria per Asiae et Graeciae urbes disseminata sunt, nullo delectu facto, certe non tali, de quo inter omnes eloquentiae magistros conveniret. In hisce scholis, quarum unam Rhodiacam sufficit nominasse, oratorum scripta ad imitandum discipulis proponebantur, quo factum est, ut innumeri Demosthenis aliorumque oratorum, non eorum solum, qui suffragia Alexandrinorum tulisse dicuntur, in rhetorum scriptis reperiantur loci atque in his insignes quaedam perditorum oratorum reliquiae. In horum enim rhetorum commemorationibus, si quem oratorem exempli caussa proferunt, nusquam incideris in certum quendam scholae gratia factum delectum, sed hinc illinc petuntur bonae pravaeque dictionis exempla. Quod insigni potes exemplo comprobatum videre, Rutilii Lupi libro de figuris e Graeco Gorgiae in latinum sermonem converso. In hoc enim reperies locos non modo e Demosthene, Hyperide, Dinarcho, Lysia, Lycurgo decerptos, sed etiam Strateclis, Pytheae aliorumque, quos, si Ruhnkenium audis, Alexandrinorum κρίσις repudiaverat. Idem cadit in Aristotelis, Apsinis, Longini et Alexandri scripta rhetorica, qui omnes in decem istis ἐγκεκριμένοις sese non continuerunt, sed liberius versati sunt in exemplis deligendis et Polyaeucti, Moeroclis aliorumque

loca quaedam haud contemnendos nobis servarunt. Quaecunque vero ab his horumque scholiastis servata sunt fragmenta, ea fere omnia maioris sunt ambitus, nec uno tantum vocabulo comprehensa, quoniam ad usum rhetoricum ex integris orationibus delibata sunt.

Prorsus alio modo Alexandrini ceterique horum vestigia sequentes grammatici oratorum scripta tractabant. Horum enim cura versabatur in eo, ut dictionem sive elocutionem oratorum singulorum inter se et cum aliorum scriptorum elocutione contenderent, ut de historia artis, de scholarum necessitudinibus, de vitis oratorum deque genuinarum ac spuriarum orationum discrimine agerent. Huius studii in oratores collati testimonium habemus unum Didymi, ab Harpocratione aliquoties commemorati, cuius commentarii in Demosthenem, Isaeum, Hyperidem, Aeschinem, Isocratem, Lycurgum et Dinarchum exstabant, de quibus cf. Meier. Praef. ad Demosth. Midian. p. XV.; haberemus etiam alterum quoddam, si grammaticis, quorum auctoritate nititur Ruhnkenius, fides posset haberi. Sed fortasse praeterea etiam aliorum, sed posteriorum grammaticorum licet auctoritate hac in re uti. Apud Harpocrationem enim et eius sectatorem, Suidam, certissima exstant et, si a Plutarcho recedis, quod ego sciam, prima testimonia de delectu quodam decem oratorum. Isaeus, Andocides, Antipho, Lysias, Lycurgus, Hyperides et Dinarchus, modo εἷς τῶν δέκα ῥητόρων, modo τῶν πρώτων κεκριμένων εἷς, modo εἷς τῶν μετὰ Δημοσθένους ἐγκριθέντων appellantur: unde certe hoc consequitur, factam esse aliquo tempore electionem idque per κρίσιν. Ex his ipsis autem oratoribus γλῶσσαι sive λέξεις afferuntur, vix unius duorumque verborum ambitum excedentes. Quamquam illa dicendi genera nolo prius

in rem meam convertere, quam certi quid effecere, tamen hoc non est praetermittendum, quod non aliorum oratorum ulla fit usquam in lexicis istis mentio. Nec Harpocratio, nec Suidas, nec Pollux, nec Photius, nec Grammatici Segueriani ultra decadis huius terminos progrediuntur, id quod fecisse videmus rhetores. Hinc apertum fit, eos qui grammatici oratorum scripta versarent, certos fines non migrasse, qui rhetoricam artem profiterentur, liberiore usos fuisse iudicio. Quod tam certum mihi videtur esse, ut eo non labefactetur, quod etiam rhetores nonnulli, scholiastae potissimum rhetorum, cognitum habuerint delectum istum, veluti ap. Walzium Vol. IV. p. 14. 15. Schol. in Hermog.: ἐκ τῶν οὖν Ἀθηναίων καὶ οἱ δέκα ῥήτορες ἡμῖν ἐξεφάνησαν, ὧν πρῶτός ἐστιν Ἀντιφῶν ὁ Ῥαμνούσιος, Λυσίας, ὁ Κεφάλου, Ἰσοκράτης, Ἰσαῖος, Ἀνδοκίδης, Δημοσθένης, Αἰσχίνης, Λυκοῦργος, Ὑπερίδης, Δείναρχος. Nam qui grammaticis visi erant notatu dignissimi, iis non poterant non palmam deferre rhetores. Cf. etiam Walz. Vol. VII. p. 26. Prolegom. τῶν στάσεων· οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ ῥήτορες οἱ διαπραττόμενοι, quo loco decem oratores una cum Thucydide antea commemorati sunt. Et quo longinquiore spatio hi scriptores remoti sunt ab antiquitate, eo minor est in iudicando differentia grammaticorum et rhetorum.

Ex his quae disputavimus videtur apparere, duo quasi genera fragmentorum dignosci posse, alterum a rhetoribus servatorum, quae et latiore sunt ambitu et ex ampliore oratorum copia deprompta, alterum eorum, quae lexicographis debentur, uno fere vocabulo contenta ac non nisi ex decem istis oratoribus delibata.

Iam vero eo revertitur oratio mea, unde digressa est. Quid si in lexicis istis agnoscas Alexandri-

nae doctrinae vestigia? Hic si mihi quis occurrat, quenam iure meo quibusve testimoniis scriptorum munitus ita statuam, ei ita respondebo. Harpocratio, qui Alexandriae vixit et, ubi de oratoribus agitur res, grammaticorum est princeps, ex aliorum aetate priorum lexicorum auctoritate pendet totus, ut rectissime Frid. Ritschelium Proleg. ad Thom. Mag. p. XLIX. statuisse iudicem, Harpocrationis auctores fuisse Aelium Dionysium et Pausaniam, quam in rem exemplum allatum est a me supra pag. 83—85. Ita autem Harpocratio de decem oratoribus istis ἐγκεκριμένοις loquitur, ut putandus sit etiam hac in re aliorum fuisse secutus iudicium. Quae cum ita sint, aut factus esse videtur ille delectus ab Aelio Dionysio et Pausania, quod vix sperem quemquam ita demonstraturum esse, ut dubitari nequeat, nec Bernhardyus Hist. Litt. Gr. pag. 419., qui in hanc sententiam videtur inclinare, pro certo affirmavit, aut antiquiore tempore Alexandriae, quum et istos duumviros sua maximam partem ex Alexandrinorum grammaticorum scriptis hausisse verisimile sit, aut denique ita ortus est paullatim, ut quos decem solos viderent Atticistae Alexandrinorum cura pertractatos, in certum redigerent numerum, ita ut Alexandrini rei ipsius, Atticistae vero nominis sint auctores habendi. Hoc extremum si statuis, vix miraberis, quod fluctuant grammatici in nominibus ipsis; nec quod decem sunt comprehensi oratores ad vulgarem istum Graecorum morem retuleris, sed inde ortum credideris, quod quo tempore Alexandrini ad colligendos et designandos oratores animum adverterunt, istis decem viris omnis eloquentiae Atticae quasi orbis erat confectus et terminatus, quorum scriptis, quicquid ad ceterorum scriptorum dictionem poterat fructum habere, continebatur.

II.

His decem igitur oratoribus etiam Hyperides adnumeratus est, cuius ne una quidem integra ad nos pervenit oratio. Qui propter artem et ingenium omnis antiquitatis tam honorificum tulit iudicium, maximisque rebus gerendis cum tanta gloria interfuit, ac vitam suam reipublicae commodis usquequaque dedicatam tam honesto fine condecoravit, ut iure miremur, qui factum sit, ut hunc unum ex oratorum decade, posteriorum rhetorum manibus trita, aetas nobis inviderit. Hoc quamquam incognitis de caussis, fortasse infelici quodam casu, potuit fieri, tamen sunt quaedam non pratermittenda, ex quibus manifestum fieri posse videatur, quid potissimum Hyperidi obfuerit quominus servaretur. Haud scio enim an non male coniiciam, huius rei caussam in versatili et vario Hyperidiae eloquentiae charactere esse quaerendam. Ita enim de eo iudicat Longinus *περὶ ὕψους* cap. 34.: *εἰ δ' ἀριθμῷ, μὴ τῷ ἀληθεῖ, κρίνοιτο τὰ κατορθώματα, οὕτως ἂν καὶ Ὑπερίδης τῷ παντὶ προέχοι Δημοσθένους. Ἔστι γὰρ αὐτοῦ πολυφωνότερος καὶ πλείους ἀρετὰς ἔχων καὶ σχεδὸν ὕπακρος ἐν πᾶσιν, ὡς ὁ πένταθλος, ὥστε τῶν μὲν πρωτείων ἐν ἅπασι τῶν ἄλλων ἀγωνιστῶν λείπεσθαι, πρωτεύειν δὲ τῶν ἰδιωτῶν.* Hinc igitur apparet in Hyperide plurimas quidem virtutes oratorias fuisse coniunctas, nihil tamen in eo tam insigne ac proprium eminuisse, ut propterea praecipue coleretur. Reliqui, qui inter decem istos relati sunt, suam quisque habent commendationem et quasi iuris praerogativam, ex qua locum obtinuerunt.

Antipho enim servatus videtur propterea, quod ceterorum quasi agmen ducit et caussarum capitalium insignis fuit orator: Andocides, quod eius orationes ad memorabilem quandam historiae Atticae partem pertinent: Lysias, quod auctor est optimus Attico

stili: Isaeus, quod in certo quodam iudicialium causarum genere totus versatur praeceptorque Demosthenis habetur: Isocrates, quod ex eius disciplina perfectissimi oratores exierunt: Demosthenes, quod summus est dicendi artifex et praestantissimus extremae Athenarum aetatis enarrator: Lycurgus, quod in eius oratione insignes quidam sunt loci communes, qui sophistis perquam placerent: Aeschines, quod unus dignus fuit qui cum Demosthene contenderet, atque eximia quadam elegantia et mollitie excellebat: Dinarchus vero, tum quod anxie se ad Demosthenis exemplum conformaverat, tum quod orationes eius in celebri Harpalica caussa habitae sunt: Hyperides vero per omnia et dicendi genera et caussarum ita est diffusus, ut uterentur quidem et grammatici et rhetores eius orationibus exemplorum discipulis proponendorum gratia, sed iidem eas etiam discerperent, quippe cuius praestantia in singularibus modo rebus imitanda videretur. Nec historici magnopere eum curasse videntur, quoniam melior exstabat auctor Demosthenes, quem fere sequebatur Hyperides.

At dicat quispiam, posteriores sophistas Hyperidem prae ceteris oratoribus imitatos esse; *Himerii* enim etiamnunc circumferri μελέτην apud Phot. Bibl. Cod. CCXLIII, itemque *Libanii* (Vol. IV. p. 323. ed. Reisk.), dein a *Philostrato* p. 588. ed. Ol. commemorari declamationem quandam Hyperidiam Adriani sophistae ac *Sopatri* quoque exstare consimilem declamationem in Rhett. Ald. p. 341. Tom. I.; nam hinc facile quis coniectet, Hyperidem non tantum propter varias quasdam virtutes oratorias cultum, sed totum imitatione expressum fuisse, et id quidem multo saepius quam alios oratores. Sed is declamationes istas accuratius inspiciat velim. Non enim artis Hyperidiae repraesentandae et ob oculos ponendae caussa sunt factae, sed

earum argumentum modo ex Hyperidis vita petitum et, ut verum dicam, fictum est. Ita Himerius Hyperidem loquentem facit pro Demosthene, quem Philippus expostulaverit, nulla certa temporum designatione addita; quod idem argumentum tractavit Sopater l. c. apud Aldum. Porro, quantum ex Philostrati verbis videre licet, *Adriani* oratio eo pertinuit, ut Atheniensium animi eo tempore, quo Philippus ad Elateam esset, ad sola Demosthenis consilia adverterentur; ac *Libanius* denique caussam finxit sibi hanc: *Νόμος, τὸν ξενίας ἁλόντα, πιπράσκεσθαι. ἑάλω ξενίας ὁ Δημοσθένης· ἔπεμψε Φίλιππος ὠνούμενος αὐτόν· γράφει Δημάδης διδόναι, Ὑπερίδης δημόσιος εἶναι.* In his declamationibus, quantum quidem ego potui animadvertere, nihil deprehenditur, quod dictionis artisque imitandae caussa scriptum esse videatur. Idem enim Libanii color ac stilus in Hyperidia declamatione atque in alia quadam Demosthenica eiusdem Libanii potest agnosci.

Quae cum ita sint, laetabere sane, quod tam multa et late fusa Hyperidis orationum fragmenta ad nos pervenerint, sed deplorabis queque, quod ne una quidem integra servata est oratio, ex qua, num vere de Hyperide iudicaverint rhetores, perspici possit.

III.

Non prorsus autem videtur spes abiicienda esse fore ut in bibliothecae alicuius obscuritate Hyperidis orationes latentes aliquando ex situ et tenebris in lucem protrahantur. Taylorus enim praef. ad Demosth. Vol. III. (Schaefer. Appar. ad Demosth. Vol. I. p. 102.) meminit codicis, quem possederat olim Iacobus Harris Sarisberiensis et qui deinde in manus devenerat Emanuelis Martini, Decani Alonensis, a quo Epistol. lib. VI, 12. ita describitur: „Codices porro manu exaratos nactus sum aliquot — alter antiquorum Rhe-

torum selectas orationes continet, ut Demosthenis, Aristidis, Himerii, *Hyperidis*, Libanii: cui adiectae sunt Philostrati vitae Sophistarum et Platonis Gorgias. Videtur autem hic codex fuisse olim Nicephori Gregorae, ut ostendit eius chirographum in interiore tabula hinc inde scriptum." Ex hoc codice, qui pergamenus fuit et melioris notae, Taylorus nactus erat „Variantes Philippicarum IV"; quum vero beneficio Martini ad Taylorum Cantabrigiam mitteretur, ut ceterarum orationum Varias ipse *αὐτολεξεί*, ut ait, excerperet, in itinere mala quorundam fide interceptus est et ex eo tempore diu frustraque a Tayloro quaesitus. Quis, si oculi Decanum istum non fefellerunt, non cum Tayloro exclamaverit: „Hunc si quis adhuc domi in pluteo concluserit, vel quovis modo fraudem faxit, Deae Fidei sacer esto." Me hac in re nominum collocatio offendit. Quid, si Hyperidis nomen ortum sit ex Himerii sive Libanii declamatione Hyperidis, de qua supra diximus? Voemelius vero, diligens Codicum Demosthenicorum censor, nihil, quod antea non iam cognitum fuisset, de hoc codice eruere potuit.

Pari modo spes nostra eluditur alia quadam memoria Io. Alex. Brassicani, in praefatione ad Salvianum haec narrantis: „In bibliotheca Budensi Matthiae Corvini regis vidimus integrum Hyperidem cum locupletissimis scholiis, librum multis etiam censibus redimendum." Notum est autem bibliothecam Budensem Matthiae Corvini a Turcis esse combustam paucasque reliquias Vindobonam esse deportatas, in quibus Hyperidem frustra quaesieris. Deplorandam autem litterae Graecae fecerunt iacturam bibliothecae istius incendio, in qua praeter alia etiam Ἀρχαιϊκὸς λόγος Iulii Pollucis servabatur, de quo cf. Fabric. Bibl. Gr. IV, 489. Belinus Ballus Hist. Eloqu. Gr. I. p. 313. suspicatus est, Euripidem fuisse a Brassicano confusum

cum Hyperide: quod etsi aliquoties factum est, nec hic factum esse probari potest, nec, si verum esset, iacturae dolorem magnopere leniret.

Porro Angelus Maius, quod narrat *A. Westermannus* Hist. Elequ. Gr. I p. 311., Hyperidia quaedam in Cod. Palimpsesto Aristidis, in Vaticana bibl. asservato, sibi detexisse visus est, de quibus in Ephem., quae dicuntur Giornale Arcadico, mens. Septb. a. 1820 p. 339. publice quaedam monuit. De his quid sperare liceat, nuntium exspecto Frid. Ritschelii mei, nunc ipsum Romae peregrinantis.

IV.

Dum igitur plura Hyperidiae artis monumenta publicentur, subsistendum erit tum in iis, quae veteres scriptores de Hyperide memoriae prodiderunt, tum in fragmentis, qualia nunc habentur.

Atque inter scriptores quidem, ex quorum testimoniis tanquam ex fonte primario omnis haec disputatio derivanda est, principem locum obtinet Plutarchus, qui vitas decem oratorum conscripsisse fertur. De huius libri indole pauca videntur esse praemonenda, quoniam hoc tempore spuriumne sit an genuinum Plutarchi opus, cum maxime disceptatur.

Per se nihil fere interesse videtur, sitne confectus iste liber a Plutarcho necne. Nam quoquo iudicium declinat, singularum rerum a Plutarcho traditarum fides seorsim ac subtiliter est exploranda. Nec si eorum sententia valet, qui collectanea sive adversaria Plutarchi istum esse librum iudicaverunt, A. G. Beckerus et Antonius Westermannus, de isto libro praeclare meriti, ad fidem eius auctoritatemque momenti quicquam accedit. Quod quum ita sit, possit ista lis prorsus dirempta videri, certe ubi de rebus modo ibi narratis agitur. Sed hoc esset inconsiderate et leviter

agere, et litterato homine indignum. Consentiens est omnium, quicunque oratorum historiam attigerunt, iudicium, tam foedis vitiis hunc librum commaculatum esse, ut Plutarcho, rerum historicarum diligentissimo auctore, non satis dignus esse videatur. Quod quum et mihi videretur, fui aliquamdiu in ea sententia, ut codicum ope partem vitiorum tolli posse crederem; quam expectationem frustrata est trium codicum Parisinorum collatio a Sinnero meos in usus accuratissime facta. Aliam viam ingressus est Westermannus, qui imperfectum opus et inconditam adversariorum farraginem a Plutarcho relictam esse et sibi et aliis persuasit diligenti commentatione, vitis istis a se editis praemissa. Mihi vero secus visum est. Nullius enim hominis docti adversaria ita comparata esse credo, ut ne minimam quidem auctoris prae se ferant speciem atque indolem. Consarcinavit quidem Plutarchus et alios libros ex plurimorum scriptorum fragmentis fere nullo inter se vinculo coniunctis, sed in iis singulorum certe auctorum stilum et ingenium agnoscis. In Plutarchi vitis oratorum omnia sunt, si ad dicendi genus respicis, negligenter dicta, si ad ordinem, confusa et praepostera, si ad fidem, dubia et manca; nusquam nec Plutarchi nec alius cuiusquam probati auctoris ingenium aut stilum per aliquot enuntiatorum seriem ac tenorem vides continuatum. Sed nolo in inanem excurrere reprehensionem libri vexatissimi. Examinabo Hyperidis vitam a Plutarcho conscriptam.

In hac nos illud maxime offendit, quod nullus est temporis ordo in rebus narrandis servatus. Postquam enim de Hyperidis genere, familia et institutione locutus est scriptor, rem quandam narrat, quae incidit in Olymp. CXI, 2.; tum transit ad Olymp. CXIV, 2., dein ad Olymp. CX, 2. Quae socordia et incogitantia scriptoris ut uno conspectu sese prodat, habeas hic re-

rum ab eo deinceps traditarum tempora, quo se ordine excipiunt: Olymp. CX, 3. CXIV, 1. CX, 3. CXIV, 2., quo anno mortuus est orator. Postquam mortem Hyperidis narravit, artem et mores considerat ac statim in vitam hominis quasi relabitur. Tum enim adducimur ad Olymp. CXIV, 1. CXIV, 2. CVI, 3. CVIII. et apophthegmate quodam oblectati ad finem scriptiunculae devenimus, qui fit Olymp. CXII, 2. et Archonte quodam pseudeponymo. Haec aut ex negligentissimo et putido scriptore in collectanea sua congessit Plutarchus, aut totidem fere diversos scriptores exscripsit, quot res narravit, quorum neutrum fecisse Plutarchum crediderim.

In his praeter temporum perturbationem et confusionem illud maxime nos facit mirantes, quod post ipsam mortem Hyperidis narratam denuo ad res ab eo gestas aggreditur vitae scriptor: quo duae quasi partes efficiuntur, quarum prior pertinet usque ad pag. 85. l. 7. ed. Westerm., altera nulla eiusmodi re est terminata, qua vitae narratio iusto modo concludatur. In priore parte Hermippi et Heliodori testimonia Plutarchum possint auctorem libri arguere; de quibus infra dicetur. Reliqua autem ita sunt turbata et falsis permixta, ut Plutarcho soli tribui non possint, sed statuendum esse videatur, vitam a Plutarcho scriptam a quodam posterioris aetatis homine nec docto nec diligenti interpolatam esse. Ut autem, quae sit mihi mens, magis aperiam, scriptor mihi commemorandus est, qui varios de Hyperide dicitur libros composuisse. Apud Suidam enim i. v. Ἁρποκρατίων de pluribus eiusdem nominis scriptoribus agitur, quorum duo, Gaium et Aelium dictos, unum eundemque esse coniecí supra pag. 20. Alter enim scripsisse dicitur περὶ τῶν Ὑπερίδου καὶ Λυσίου λόγων, alter ὑποθέσεις τῶν λόγων Ὑπερίδου. Qui in unum coniunctus, siquidem verum

ram divinavi, Gaius Aelius Harpocratio, primarius videtur fons fuisse, unde quae posteriores scriptores de Hyperide tradiderunt, petita sunt. Atque nescio an non ex eius ὑποθέσεσι τῶν λόγων Ὑπερίδου nonnulla in hunc Plutarcheum librum fluxerint; quod quidem tum demum factum esse concesseris, ubi Plutarchum, Aelium Harpocrationem aetate antecedentem, prorsus missum feceris. Etenim si accurate examinabis vitam Plutarcheam, qualis nunc habetur, singulas eius partes, quas supra eius temporibus assignavimus, fere nihil aliud esse dices nisi orationum Hyperidis argumenta et caussas, quibus nonnulla ex genuina fortasse vita, quam ipse Plutarchus conscripserat, intexta sunt. Iam vero iste, qui ὑποθέσεις orationum composuit, neque certum quendam ac temporum serie definitum ordinem secutus esse, neque subtili iudicio genuinas orationes a spuriis videtur distinxisse. Quo factum est, ut alia, veluti quae de ortu, moribus, magistris et morte Hyperidis narrantur, e Plutarchea vita deprompta compareant, alia, utut sive in ὑποθέσεων libro, sive in codice Hyperidiarum orationum enotata erant, adiecta videantur esse. Atque ne hoc speciosius quam verius disputasse videar, omnem vitam persequar. Postquam enim p. 82. de genere et id genus aliis rebus dixit vitae scriptor, transit p. 83. ad orationem περὶ τῶν στρατηγῶν καὶ περὶ τῶν τριήρων, tum ad orationem, qua suasit Hyperides τὸ ἐπὶ Ταινάρῳ ξενικὸν μὴ διαλῦσαι: quae deinde satis importune narrat, Hyperidem primum μισθοῦ δίκας orasse, stipendia fecisse et liturgias suscepisse, ex vita possunt esse deprompta. Inde a l. 8. narrat argumentum orationis in honorem Demosthenis habitae, tum accusationem Demosthenis Harpalicae pecuniae rei, deinde causam cum Aristogitone agitatam (usque ad p. 84. l. 5,); et postquam tradidit, quaenam in bello Lamiaco excitando Hyperidis fuerint partes, mor-

tem eius narrat, qua in re versatur usque ad p. 85. l. 4. Tum de orationibus agit et de moribus Hyperidis, quo argumento adducitur ad Phrynae caussam, cui adnexa est simultatis, quae inter Demosthenem et Hyperidem aliquamdiu intercedebat, commemoratio. Hinc ad orationem in Iolai honorem habitam transgreditur et λόγον ἐπιτάφιον laudat (p. 86.), quo facto mira quadam socordia Euboicae expeditionis a Philippo susceptae memoriam redintegrat, quippe cui Hyperides trierarchus interfuerit. Iam vero celeberrimae caussae Deliacae et Rhodiacae legationis mentione facta acute quoddam Hyperidis dictum in Antipatrum perhibet et actio Hyperidis qualis fuerit breviter significat. Tum in ipso scriptionis fine (p. 87.) duarum orationum argumenta insuper afferuntur.

Uti supra perstrinximus temporum confusionem, ita ex his rerum traditarum vitiosa permistio et incconcinnitas in aperto videtur esse posita. Sentio autem iis quae de orationum argumentis dixi duo potissimum opponi posse, alterum, quod ex LII orationibus Hyperidis, quae circumferebantur in antiquitate genuinae, XIII tantum orationum argumenta afferuntur a vitae scriptore, alterum, quod oratoris veteris vita non potest alia ratione enarrari, nisi orationibus cum publicis, tum vero etiam, si res fert, privatis commemorandis. Ad haec, etsi gravissima et vix reiicienda videntur, ita respondeo, atque ad prius illud de orationum numero dictum hoc, quod praestantissimarum orationum habemus argumenta ab interpolatore in vitam a Plutarcho scriptam illata; posterius autem istud eo elevatur, quod si quis oratoris vitam perscribit, id quod omissa orationum mentione fieri non posse lubentissime concedo, certe tum demum ad orationem aliquam deveniet, ubi temporum decursu ad eam fertur; suis igitur temporibus si orationum argumenta

commode essent expedita, non repugnarem, potuisse Plutarchum operis istius esse auctorem.

Haec autem quo maiorem nanciscantur persuasionis vim, in una quatione examinanda aliquanto diligentius versabor. Pag. 86. l. 6. scripta sunt haec: ἐψηφίσατο δὲ καὶ τιμὰς Ἰόλᾳ τῷ δόντι Ἀλεξάνδρῳ τὸ φάρμακον δοῦναι· quae item a Photio Bibl. p. 496. B. tenduntur: ἐψηφίσατο δ' οὗτος πολιτευόμενος καὶ τιμὰς Ἰόλᾳ, ὃς Ἀλεξάνδρῳ τὸ δηλητήριον ἐκπράσατο φάρμακον. His tenes, si quaquam, fictitium illum et personatum Plutarchum. Plutarchus enim verus, parallelarum scriptor, Alexandr. Vit. cap. LXXVII. narrat sexto demum post Alexandri mortem anno rumorem esse pervagatum de Alexandro potione venenata absumpto. Quare quum Hyperides iam altero anno post Alexandrum iussu Antipatri interfectus esset, qui tandem potuit decretum ferre in honorem Iolai? et qui potuit Plutarchus hoc loco eorum esse immemor, quae alio loco accuratissime perscripserat? Potest esse, qui tam multa scripsit, oblivionis vitio quaedam secum pugnantia tradere; sed in tam simplici ac gravi re, in quam ipse Plutarchus diligenter inquisiverat, non possum adduci ut id factum esse credam. Accedit, quod Iolaus fuit filius Antipatri, contra quem Hyperides, belli Lamiaci auctor praecipuus, universam fere Graeciam in arma egit. Vix credas, eodem tempore, quo patrem bello aggrederentur Athenienses, filium ab ipsis coronatum esse, propter Alexandri necem, quam patris hortatu dicitur patrasse. Qua de re cf. praeter Plutarchum etiam Arrhian. Exped. Alex. VII, 27. Stahrii Aristot. I. pag. 236. et Droysen. Histor. Hellenismi p. 705 sq. Iam si quis quaerat, quomodo inanis ista fabula in hanc vitam irrepserit, persuadeat sibi, ortam esse eam ex rhetoris cuiusdam declamatione. Quum enim de Iolai facinore falsa ista rumor

percrebuisset, nullum potuit argumentum rhetoribus magis arridere, quam rogatio in honorem Iolai, quem cum Harmodio et Aristogitone, tyrannorum percussoribus, aptissime possent conferre. Illud vero non curantes, quod sexto demum anno post mortem Alexandri fama ista exiit, Iolao honores publice decretos esse finxerunt rogatu Hyperidis, qui ea aetate fere solus Atheniensium reipublicae gubernacula tenuisset, cum Demosthenes exsulatum abiisset. Nolo autem contendere, ne habitos quidem unquam fuisse honores Iolao, quamquam etiam hoc parum habet probabilitatis. Honores autem ei decretos fuisse, multo libentius crediderim, quam pecuniam numeratam, id quod Westermannus suspicatus l. c. scribi posse monuit τ' μνᾶς pro τιμάς. Quare quum haud ita multo post eloquentiam Athenis exstinctam orationes fraudulenter componi et dissipari coeptae fuerint, de qua re cf. Meier. scriptione supra laud. p. VIII sq., credibile fit, quomodo eiusmodi narratiuncula primum ad ὑποθέσεων scriptorem, deinde vero etiam in vitam Hyperidis potuerit propagari.

Ex eodem autem fonte repeti posse censeo Deliacam Aeschinis orationem, quam antiqui rhetores norant. Hanc spuriam fuisse ex Photii Bibl. Cod. 264. p. 490. B. discimus. Caecilius vero Calactinus apud Phot. Cod. 61. p. 20. perperam iudicavit, eam ab alio quodam Aeschine, qui eadem aetate vixisset, habitam fuisse. Hanc quoque ab rhetore fictam esse iudico, qui, quum Aeschines ante Hyperidem electus esset, qui caussam Deliacam oraret, periculum facere voluit, quomodo Aeschines, nisi ei officium illud abrogatum fuisset, hanc caussam tractare potuisset. Confundi enim Aeschinis Deliaca oratio cum Hyperidia, id quod Westermannus Hist. Eloqu. Gr. p. 118. opinatus est, nullo modo potuit. Cf. Boeckh. Comment. Academ. de

Inscript. Attica circa sacra Apoll. Del. Berol. 1834. p. 15. 16.

His vero, quae modo a me exposita sunt, tantum abest, ut omnem de vitis decem oratorum Plutarcho tributis quaestionem confectam putem, ut viam modo et rationem monstrasse mihi videar, qua reliquorum quoque oratorum vitae examinari possint. Quamquam vix puto, certi quid quemquam probaturum esse, nisi qui Lampriae catalogum sublestae esse fidei demonstraverit, id quod Beckium in epist. ad Harles. praem. ed. Plut. de phys. philos. decret. p. XIV sq. conatum esse Westermannus l. c. p. 2. n. 2. monuit.

Paullo diligentius Plutarcho Hyperidis vitam enarravit Photius Bibl. l. c., qui saltem hoc fecit, ut natalibus et morte Hyperidis cuncta concluderet.

Duplici, ut solet, lemmate Suidas s. v. Ὑπερίδης varia de hoc oratore congessit, aliquantulum a Plutarcheis diversa. In quibus hoc animum advertit, quod altero lemmate ῥήτωρ vocatur Hyperides, altero δημαγωγός, quam eandem appellationis diversitatem reperies in lemmatis de Demade. Vocabulum δημαγωγός admonet nos Theopompi Chii, qui in decimo libro τῶν Φιλιππικῶν περὶ τῶν Ἀθήνῃσι δημαγωγῶν egit, de quo cf. Pflugk. de Theop. p. 40. et Wichers. Theop. fragm. p. 26. 29. — Talia vero si quis ex toto Suidae lexico, ubicunque duo de eodem homine exstant lemmata, congesserit, videndum est, num forte Suidas in digerendis et excerpendis aliorum, aetate priorum, lexicis certum quendam ordinem secutus esse reperiatur.

Breviter autem dicendum est de Hermippo et Heliodoro, ad quorum auctoritatem Plutarchus provocavit. Atque Hermippus quidem Hyperidem inter Isocratis discipulos retulit eiusque vitam tertio libro περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν descripsit. cf. Athen. VIII. p. 342. Quod non ita est accipiendum, quasi Hyperi-

des vel iccirco inter Isocrateos numeratus fuerit, quod Demosthenis fuisset discipulus, quum nec Demosthenes recte dicatur Isocratis discipulus nec Hyperides Demosthenis disciplina unquam usus sit. Hoc propter Lozinskyum dico, qui Fragm. Herm. p. 43. habet haec: „Ab Hermippo inter Isocratis auditores recensentur Isaeus, tum huius discipulus Demosthenes, et huius item Hyperides“ et adnotatione quadam subiecta ex Cic. Brut. c. IX illorum probandorum caussa haec addit: „Demostheni Hyperides proximus“. Talia per se corruunt. Lozinskyus autem p. 121. etiam Euthiae vitam peculiari istius libri parte putat descriptam fuisse tulitque hac in re assensum Prelleri loco supra laud. p. 173. Sed utrumque Hermippi de Euthia fragmentum Athen. XIII. p. 590 d. et Harpocrat. s. v. *Εὐθίας* ex Hyperidis vita videtur esse depromptum, quod ad Phrynae caussam, quam Hyperides egerat, utrumque pertinet, nec praeterea sycophanta iste Euthias usquam inter Isocrateos numeratur.

Heliodori autem nomen in Plutarcho delendum eiusque loco Diodori nomen inferendum esse strictim monuit Ruhnkenius Hist. crit. p. LXXXVI., ubi de Anaximene rhetore agit, quod num recte fecerit vehementer dubito. Quamquam enim Diodori liber *περὶ μνημάτων* notissimus est, tamen quidni potuerit etiam Heliodorus librum eodem titulo inscribere, praesertim quum alius Heliodori liber *περὶ ἀκροπόλεως*, quem aliquoties commemoravit Harpocratio, ita comparatus esse videatur, ut uterque ad unum auctorem referri queant? Sed in tanta testimoniorum paucitate certi quid statuere difficillimum duco. Consentire mecum video Odofr. Muellerum Encyclop. univ. Vol. VI. s. v. Attica p. 228. Ceterum de tralatitia nominum Heliodori, Herodori, Herodoti, Herodiani commutatione cl. quos citat Osann. ad Philem. lex. p. 183. Toupium

Animadv. in Schol. Theocr. 13, 36. p. 516. ed. Berol. Valckenar. ad Schol. Eurip. Phoen. 1163. p. 123. Toll. ad Apollon. Lex. Hom. p. 683. Bast. Comment. Palaeogr. p. 812. Lindemann. ad Priscian. Op. Min. p. 380. Quamquam et *ΗΛΙΟΔΩΡΟC* cum *ΔΙΟΔΩΡΟC* nomine facillime potuit commutari.

De Harpocrationis scriptis iam supra dictum. Ad eundem refero librum *περὶ τῆς τῶν κεφαλαίων τάξεως* citatum in Commentario ad Hermogenem de statibus, de inventione et de ideis apud Walz. Rhet. Gr. Vol. VII, 1. p. 432. 433.

Hero, rhetor Atheniensis, scripsit *περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων καὶ τῶν λόγων οἷς ἐνίκησαν πρὸς ἀλλήλους ἀγωνιζόμενοι*, ut auctor est Suidas s. v. *Ἥρων*., in quo libro etiam Hyperidis cum Demosthene et Demade contentiones forenses enarratas fuisse, coniectura est admodum proclivis.

Deplorandum est autem vehementer, quod Dionysii Halicarnassensis liber de Hyperide hodie non exstat. Ita enim iste rhetor omnium doctissimus et elegantissimus de opere suo, *περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων ὑπομνηματισμοί* inscripto, loquitur, ut eum etiam de Hyperide disserere certe meditatum esse intelligatur. Haec sunt enim eius verba pag. 451. vol. V. ed. Reisk.: *ἔσονται δὲ οἱ μὲν παραλαμβανόμενοι ῥήτορες, τρεῖς μὲν ἐκ τῶν πρεσβυτέρων, Λυσίας, Ἰσοκράτης, Ἰσαῖος· τρεῖς δ' ἐκ τῶν ἐπακμασάντων τούτοις, Δημοσθένης, Ὑπερίδης, Αἰσχίνης· οὓς ἐγὼ τῶν ἄλλων ἡγοῦμαι κρατίστους. καὶ διαιρεθήσεται μὲν εἰς δύο συντάξεις ἡ πραγματεία· τὴν δ' ἀρχὴν ἀπὸ ταύτης λήψεται τῆς ὑπὲρ τῶν πρεσβυτέρων γραφείσης.* et p. 629. ubi de Isaeo iudicium concludit: *καὶ περὶ τούτων μὲν ἄλις. ἑτέραν δὲ ἀρχὴν ποιήσομαι τοῦ λόγου, περὶ τε Δημοσθένους καὶ Ὑπερείδου καὶ τρίτου λέγων Αἰσχίνου.* Quibuscum si comparantur eiusdem scriptoris verba in iudicio de Dinarcho pag. 629. 630.: *Περὶ Δεινάρχου τοῦ*

ῥήτορος οὐδὲν εἰρηκὼς ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀρχαίων γραφεῖσι, διὰ τὸ μήτε εὑρετὴν ἰδίου γεγονέναι χαρακτῆρος τὸν ἄνδρα, ὥςπερ τὸν Λυσίαν καὶ τὸν Ἰσοκράτην καὶ τὸν Ἰσαῖον. μήτε τῶν εὑρημένων ἑτέροις τελειωτὴν, ὥςπερ τὸν Δημοσθένην καὶ τὸν Αἰσχίνην καὶ Ὑπερείδην ἡμεῖς κρίνομεν: vix possit dubitari, quin revera etiam istam posteriorem σύνταξιν de Demosthene, Hyperide et Aeschine confecerit, cuius partem priorem, librum περὶ δεινότητος, etiamnunc habemus, etsi posteriorem partem eorum, quae de Demosthene scripserat Dionysius, item desideramus. Quamquam si cum locis supra adscriptis conferuntur extrema opusculi περὶ δεινότητος verba: ταῦτα, ὦ κράτιστε Ἀμμαῖε, γράφειν εἴχομέν σοι περὶ τῆς Δημοσθένους λέξεως. ἐὰν δὲ σώζῃ τὸ δαιμόνιον ἡμᾶς, καὶ περὶ τῆς πραγματικῆς αὐτοῦ δεινότητος, ἔτι μείζονος, ἢ τοῦδε, καὶ θαυμαστοτέρου θεωρήματος, ἐν τοῖς ἑξῆς γραφησομένοις ἀποδώσομέν σοι τὸν λόγον: aliquanto probabilior fit A. G. Beckeri coniectura, qui Prolegom. ad Dionys. περὶ δεινότ. translat. vernacul. p. XXVIII sqq. ex eo, quod Dionysius, suorum librorum usquequaque bene memor, Hyperidei et Aeschinei opusculi nunquam recordatur, coniectatus est Dionysium cogitasse quidem de peculiari opera istis duobus oratoribus impendenda, sed sive opere historico sive vitae necessitate prohibitum esse, quominus promissis staret. Quae coniectura eo etiam magis probatur, quod in iudicio de Dinarcho p. 639 — 643. Dionysius multus est in Hyperide cum aliis oratoribus comparando, nec tamen ullo verbo prodit, se alias queque de Hyperide quaedam conscripsisse.

Ceterum quae Dionysius, Longinus, Hermogenes aliique rhetores multi de Hyperide memoriae prodiderunt, ea quoniam omnia in arte oratoria diiudicanda versantur, suis locis afferentur. Nec ea recensebo, quae inde a Meursio ad haec usque tempora a viris doctis cum de omnium oratorum historia, tum de Hype-

ride eiusque orationibus disputata sunt; horum enim suus fiet opportuno loco usus, quum quaecunque de hoc oratore commentati sumus, coniunctim edere licebit.

V.

In nomine Hyperidis scribendo non sibi constant libri, quum modo Ὑπερίδης modo Ὑπερείδης scriptum reperiatur. Cuius fluctuationis caussa in eo est quaerenda, quod alii aliam vocabuli originem statuerunt. Omnium autem grammaticorum plenissime patronymicorum formationem tractavit Philemon lex. technol. p. 29. ed. Osann., cuius praeceptum hoc habeto: Ἀτρείδης καὶ Ἀτρεΐδης] πατρωνυμικὸν ἀπὸ τοῦ Ἄτρεύς. τὰ ἀπὸ τῶν. εἰς ν, ξ, ψ, ρ ι μονάμενα πατρωνυμικὰ εἰς δης διὰ τοῦ ε γράφεται. Μέμνων, Μεμνονίδης· Φοῖνιξ, Φοινικίδης· Πέλοψ, Πελοπίδης· Νέστωρ, Νεστορίδης· καὶ τὰ ἀπὸ τῶν εἰς ος καὶ ως, οἷον Βῆλος, Βηλίδης· ἥρως, ἡρωΐδης, καὶ συναιρέσει Ἡρώδης· ἔτι τὰ μητρωνυμικὰ πάντα, οἷον Λητώ, Λητοΐδης· Δαναή, Δαναΐδης (?). τὸ δὲ Φιλομηλείδης, κύριον ὄν, διὰ διφθόγγου γράφεται. τὰ δὲ ἀπὸ τῶν εἰς ευς καὶ ως Ἀττικῶς καὶ τῶν εἰς αιος γινόμενα, διὰ διφθόγγου γράφεται, οἷον Ἀτρεύς, Ἀτρείδης· Ἔννεως, Ἐννείδης· Ἀλκαῖος, Ἀλκείδης· ἔτι δὲ τὰ ἀπὸ τῶν εἰς ης καὶ εἰς ους, μακροκατάληκτον ἔχοντα τὴν γενικὴν, οἷον Εὔκλης, Εὔκλους, Εὐκλείδης· χωρὶς τριῶν, οἷον Θρασυμήδους, Θρασυμηδίδης· Δικήρους, Δικηρίδης. Θεονύδους, Θεονυδίδης, καὶ πράσει τοῦ ε καὶ ὁ εἰς ου Θουκυδίδης. Idem praecipit Etymol. M. p. 165. p. 554. Phavorin. p. 1147, 15. et Eustathius in Odyss. δ'. p. 1498. l. 61. cuius verba adscribenda duximus: προφέρεται δὲ τούτου (Φιλομηλείδης) ἡ παραλήγουσα διὰ διφθόγγου, ἴσως ἀπὸ τοῦ Φιλομηλεὺς, ὡς καὶ τὸ Ἀριστείδης κύριον καὶ τὸ Βασιλείδης, ἐκ τοῦ ἀριστεὺς καὶ τοῦ βασιλεύς. (a παναριστος autem est παναριστίδης apud Etymol. M. p. 165, 42.). Itaque Ὑπερίδης ab ὕπερος, Ὑπερείδης ab ὑπερεύς derivan-

dum videtur esse. Quarum formarum prior satis est usitata. Cf. modo de ὕπερος et ὕπερον, Schaefer. in Meletem. crit. p. 72. et Schol. Platon. Theaetet. edit. Beck. ap. Tauchn. Vol. I. p. 369., de ὑπέρα, antenna, Schneiderum in lexico s. h. v., de Calauriae insulae nomine *Hypera* Odofr. Muelleri Aegin. p. 38. deque vite Ὑπερμάς dicta Athen. I. p. 31. e. Huc accedit Etymologici M. auctoritas p. 778. 54. haec tradentis: Ὑπερίδης] παρὰ τὴν ὑπὲρ πρόθεσιν γίνεται Ὕπερος καὶ Ὑπερίδης, ὡς Ὕλλος, Ὑλλίδης. Quibus omnibus possit cuipiam tota lis ita diiudicata et composita videri, ut de Ὑπερείδης forma non amplius cogitandum sit; sed etiamsi Ὑπερεύς forma non supersit, possit tamen ea cogitari, quum saepe usu veniat, ut verba, formae ducantur a cogitata, ficta quadam forma, quae etsi in lingua ipsa non usitata fuit, modo ne formandorum verborum regulis repugnet, uti loco supra ex Eustathio allato Φιλομηλείδης, ἴσως ἀπὸ τοῦ Φιλομηλεύς et apud Strabon. X. p. 307. Casaub. est Φιλιστείδης, quamquam non Φιλιστεύς, sed Φίλιστος forma usitata fuit. A forma autem Ὑπερεύς possit item Ὑπερέων derivatum esse, quasi Ὑπερείων et Ὑπέρεια, ut a βασιλεύς βασίλεια, quam dicit Eustathius p. 291. 39. κρήνην πλησίον Φερῶν, πόλεως Θεσσαλικῆς. Recte igitur Blumium statuisse arbitror, quum dicit ad Lycurg. Leocrat. p. 85. neutram formam per se esse falsam, quamquam non probavit sententiam suam ullo argumento. Sed quum contendit nonnisi ex codicum auctoritate diiudicandum esse, utra sit singulis forma locis praeferenda, neque videtur eo rem perduxisse, quo perduci potest, et in scriptores multos satis mirabilem quandam varietatem intulit. Videtur enim et scriptoribus quibusdam et codicibus proprium fuisse, ut in alterutra forma fere ubique tenenda sibi constarent. Itaque, ubi satis est manifestum, utram praetulerit omnino scriptor aliquis formam, ea vel a

scriptore ipso verior iudicata, vel in codicibus vetustissimis optimisque reperta est, ita ut etiam iis locis eiusdem scriptoris, ubi non compareat, tribuenda sit. Ita, ut a Plutarcho exordiar, in vitis decem oratorum forma Ὑπερείδης quasi dominatur; cf. vit. Isocrat. p. 45. West. vit. Aeschin. p. 57. West. vit. Demosth. p. 71. p. 75. bis. vit. Hyper. p. 82. p. 86. bis. vit. Dinarch. p. 89. Ὑπερίδης igitur formam Westermannus ex unico loco, quo exstabat, ex inscriptione vitae Hyperidis, iure sustulit. Num in vitis parallelis eadem forma servata sit, explorare non potui, quoniam iis adiumentis carebam, quibus solis eiusmodi lites possunt dirimi. Plutarchum sequitur Photius, apud quem ex Imm. Bekkeri recensione fere ubique Ὑπερείδης scriptum exstat. Porro Bekkeri Antiatticista constanter Ὑπερείδης formam tenet, sed pari constantia in συναγωγῇ λέξεων χρησίμων Ὑπερίδης scriptum reperitur. Apud Dionysium Halicarnassensem iudic. de Dinarcho p. 629 sq. recepta est e codicibus forma producta tam constanter, ut etiam reliquis locis eam tribuendam esse censeam, veluti p. 434. 451. 459., quam praebent fortasse codices Parisini collati a Grosio, cuius editionis usum frustra desideravi. Apsines, Alexander et Longinus Ὑπερείδης praeferunt, Hermogenes contra Ὑπερίδης. Lexicographi, Harpocratio, Suidas et Photius Ὑπερίδης scripsisse videntur, quamquam in Appendice Porsoniana, cuius haud exiguum est pretium, Ὑπερείδης reperitur. Nec si apud scriptorem aliquem Ὑπερίδης praevalere vides, hoc omnium librorum consensu nititur, sed sunt quoque in quibus Ὑπερείδης apparet.

Quum ex iis, quae hactenus disputavimus, consequatur, utramque formam habere quo se commendet, firmiora circumspiciamus argumenta, quibus effici posse videatur, ut alterutram formam ut potiorem

amplectamur. Hanc fuisse Ὑπερείδης formam, tribus rationibus permotus statuo. Primum enim apud Demosthenem Ὑπερείδης scribendum esse videtur ex codicum auctoritate. Exstat p. 302. R. in August. I. et Bavarico, p. 271. in Cod. Σ., August II. et Bavarico, p. 291. in Bavar. et Σ., p. 376. in Bavar., p. 1333. in Σ., et quo loco praeterea reperitur Hyperides, p. 893., ab editoribus nihil est adnotatum de librorum scriptura. In uno codice igitur, Bavarico, qui quamquam non ex optimis est, tamen malis non adnumeratur, Ὑπερείδης constanter est scriptum, cui accedit tribus locis optimi Σ auctoritas. Quod autem Schaeferus ad Demosth. p. 291. contendit, Herodiano grammatico placuisse Ὑπερείδης formam, id aliquatenus a veritate abhorrere, ex duobus Herodiani locis inter se comparatis licet videre. Etsi enim apud Lobeck. edit. Phryn. p. 454. scriptum est Ὑπερείδης, Ὑπερείδου, ὡς Πηλείδης, Πηλείδου, διὰ τὸ τύπον ἔχειν παρωνυμικοῦ, tamen de sola genitivi forma in ου, non ους agi, apparet ex alio Herodiani loco pene Herm. libr. de emendand. gr. gr. rat. p. 305., ubi de eadem genitivi formatione disserit Herodianus, scriptum autem est aliquoties Ὑπερίδης. Tum vero maxime facienda existimo testimonia Timoclis comici apud Athen. VIII. pag. 341. f. 342. a. et distichi cuiusdam a Photio bibl. cod. CCLXVI. p. 495. B. servati. Timocles enim, perstringens oratores Harpali pecunia corruptos, fragm. vs. 7. haec dicit:

ὃ τ' ἐν λόγοισι δεινὸς Ὑπερείδης ἔχει

et altero fragm. vs. 1.:

τόν τ' ἰχθυόρρουν ποταμὸν Ὑπερείδην πέρα.

utroque loco nulla metri necessitate coactus, ut penultimam produceret. Apud Photium autem est epigramma quoddam servatum, quod ab aliis Demosthenis statuae subscriptum fuisse traditur, ab aliis Hy-

peridi, solo nomine et persona verbi mutatis, attribuebatur.

Demosthenicum autem fuit hocce:

Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, ἔσχες,
Οὔποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.

Quod ita in Hyperidem est immutatum:

Εἴπερ ἴσην γνώμῃ ῥώμην Ὑπερείδης εἶχεν, κ. τ. λ.

Itaque etsi quis in Comici versibus corrigere velit Ὑπερίδης, ferente id metro, in hexametro tamen maneat producta forma necesse est. Ὑπερείδης igitur forma ea ipsa aetate, qua vivebat orator, usitata fuit, alterius autem formae testimonium vetustum suppetit nullum, nisi quis in veteri quadam inscriptione apud Iacob. Sponium Miscell. p. 137. (Fabr. Bibl. Gr. Harl. Vol. II. p. 856.) scripturae veritatem probaverit. Tradidit enim Sponius hanc:

ΥΠΕΡΙΔΗΣ ΡΗΤΩΡ
ΤΕΥΣΙΑΔΗΣ ΕΠΟΙΕΙ.

qua de re iudicium esto penes peritiores.

Ex hac tenuis rei disquisitione emersis alia imminet nobis non minoris tenuitatis quaestio. Fuit enim Hyperides Collytensis τὸν δῆμον, in cuius nomine scribendo item magna cernitur diversitas, quae feliciore successu potest tolli. Etenim quum scriptum reperiatur modo *Κολυττός*, modo *Κολλυτός*, neque ex verbo ipso, utra melior sit scriptura, perspiciatur, fluctuarunt editores cum codicibus. Atque *Κολυττός* quidem tuentur I. Meursius de pagis Atticis et Valckenarius ad Xenoph. Memor. III, 7, 6., citatus ad Demosth. de cor. pag. 250. 18. a Schaefero, qui et ipse, quum ille loco etiam Im. Bekkeri libri λ simplex praebeant, *Κολυττός* videtur praebuisse. — Quoniam autem huius Demosthenici loci mentionem feci, Reiskii adnotationem quandam exagitabo, quod Schae-

forum id praetermisisse video. Reiskius enim, quum ei non bene inter se viderentur convenire tribus Hippothoontis πρυτανεύουσα et Aristophon Collytensis πρόεδρος, (Collytus enim δῆμος non ad Hippothoontidem, sed ad Aegeidem tribum pertinebat), cogitat de Aristophonte Azaniensi, quod Azania δῆμος Hippothoontidis esset tribus. Sed debebat Reiskius memor esse duplicis proedrorum generis, tribulium et non tribulium, de quo nunc cf. Schoemann. de com. Athen. p. 83. sq. Neque tempus convenit Aristophonti Azaniensi, qui aliquanto prius vixit quam Collytensis. Cf. Ruhnk. histor. crit. p. XLV sq. — Κολλυτός autem scripturam ex antiquorum lapidum inscriptionibus probarunt I. Sponius in Gronovii Thesauro antiq. graec. Vol. IV. p. 733., cui adsentitur Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. p. 166. Osannus Sylloge Inscript. III. p. 108. et A. Boeckhius Corp. Inscr. n. 115. et 183., quos secutus est Odofr. Muellerus in Appendice ad Leakii descriptionem urbis Athenarum a Rienaeckero ex anglico in vernaculum sermonem translatam. Ad lapidum auctoritatem accedunt nonnulli scriptorum loci, veluti Aeschin. orat. p. 73. ed. Steph., ubi Θρασύβουλος ὁ Κολλυτεύς a Bekkero scriptum est nulla scripturae diversitate commemorata, quamquam p. 6. Μισγόλας ὁ Κολυτεύς omnium librorum scriptura est. Idem Thrasybulus Collytensis commemoratur a Xenophonte Hellenic. lib. V. c. I. §. 26., ubi perperam Schneiderus codicis B. scripturam Κολλυτεύς abiecit. Porro Bekkerus Demosth. c. Timocrat. p. 742. 12. ex codicibus dedit Κολλυτέα. Atque idem restituendum est Dinarcho p. 76., quum in codice Z. Κοτυλλέα scriptum sit; neque Steph. Berglerus debebat apud Alciphronem Epist. lib. I., 39. Κολλυτῷ, quod codicum auctoritate nititur, corrigere velle, praesertim quum idem nomen eodem modo scriptum lib. III,

34. ex codicibus prolatum sit. In eodem autem demo natus erat Plato, Diogene Laert. auctore libr. III. in vita Platonis. Atque videtur Collytus demus a natura ipsa oratoribus progignendis destinatus fuisse. Narrat enim Tertullianus de anima cap. XXX. „Thebis hebetes et multos nasci relatum est: Athenis sapiendi dicendique acutissimos, ubi penes Colyttum pueri mense citius eloquuntur praecoci lingua". In eodem demo Aeschines orator habitavit annos XLV, quod contestatum est ab auctore epistolae quintae ad Ctesiphontem scriptae. Itaque Eustratius in Aristotel. Nicomach. IX. p. 148. Aeschini, qui *Κοθωκίδης* fuit, *δημογενεῖς Κολλυτεῖς* tribuens non Hyperidem cum Aeschine confudit, id quod Ruhnkenius videtur fecisse histor. crit. orat. p. LXIX., sed falso opinatus est, omnes eos, qui in demo aliqua habitarent, eidem fuisse adscriptos.

De Hyperide oratore Attico

commentatio II.

Quum quicquid detrimenti ex deperditis Atticorum oratorum scriptis litterae Graecae fecerunt, iati graviter ferant, qui vel cadentis Graeciae res, vel oratoriae Graecorum artis initia, progressus et interitum persequuntur, tum nihil magis est dolendum, quam quod earum orationum plurimae interierunt, quae in contentionibus praestantissimorum Philippicae aetatis oratorum habitae sunt. Ex his enim quantum peti possit lucis ad temporum historiam magis illustrandam quantumque subsidii ad mores et oratorum et aliorum hominum ea aetate ad reipublicae gubernacula sedentium melius cognoscendos et diiudicandos, luculento contestatum habemus exemplo orationum de corona et de falsa legatione a Demosthene et Aeschine habitarum.

De hoc genere nonnulla supersunt Hyperidiarum orationum fragmenta, ex quibus nunc quidem ea tantum tractabo, quae ad orationes adversus Demadem eiusque filium Demeam, oratores, habitas referenda sunt.

Ante vero quam ad ipsa fragmenta accedatur, opus est, ut, quae sunt apud Suidam s. v. Δημάδης scripta, accurate examinentur et si fieri possit, emendentur. Quum enim, quicunque aliquando in historiam

riam incidit Demadis, in istius loci vexatissimi quasi discrimen adducatur, quo nullum in Suida neque corruptiorem esse nec difficiliorem ad emendandum Ruhnkenius dixit: nos multo minus id negotii fugere poteramus, quo magis quaecunque in Suidae verbis dubia sunt atque ambigua, eadem in Hyperidiis fragmentis ponderanda esse intelligebamus. Atque ut vix decernatur, utrum, quae tribus glossis Suidas de Demade conglutinavit, ad unum illum Demadem, qui erat coruentis Atticorum rei publicae perditor proditorque, referenda sint, an ad plures cognomines viros aut denique ad patrem et filium Demeam, sic quaeratur necesse est, fragmentorum reliquiae quum sint plurium orationum, dictarum in diversos eiusdem nominis homines, eae quo tempore sint habitae; si est unus tantummodo a Suida intellectus Demades, res ab eo gestae quomodo sese excipiant, deinde, quo tempore eum Hyperides accusarit, tum sitne iste Demeas, contra quem Hyperides duas dixit orationes, quarum altera est fidei incertae, idem Demadis filius, qui est ex tibicina procreatus, id quod multae res coarguunt.

Quum superiore saeculo Hauptmannus Dissertat. de Demade ap. Reisk. Oratt. Graec. Vol. IV. p. 243 sqq. et Freytagius: Oratorum decas Lips. 1752. singularibus quibusdam scriptionibus de Demade egerunt, duo nostris temporibus in publicum prodierunt libelli, in quibus multa de hoc homine diligenter sunt enarrata: alter Lhardyi, Commentat. de Demade, oratore Atheniensi, Berolin. 1834, Georgii Pluygersii alter, Batavi hominis, Diatribe de Demade, Hagae Comitis 1836.

Utriusque viri studio atque opera quid sit in ea re praestitum, optime intelligetur, quum accuratius inquiramus, qua illi ratione sint in emendandis verbis Suidae versati. Etenim quamquam quae plurimis lo-

cis veterum scriptorum indicia de Demade dispersa delituerant, nunc in unum sunt locum congesta, ut melius queat perspici, quas partes Demades in temporum illorum historia egerit, qualibusque is moribus fuerit, tamen res nondum videtur esse eo perducta, ut quae sunt in ea re gravissima, pro exploratis haberi possint. Quocirca operae pretium facturi sumus, si quae de hac re rationes prolatae sunt, accuratius exquiramus, nostramque ipsorum qualemcunque adjiciamus sententiam. Atque quum in ipsa huius rei tractatione incideremus in censuram Lhardyani libri factam a Sauppio insertamque Zimmermanni Ephemerid. philolog. 1835. Nr. 77 et in Westermanni censuram de Pluygersii libro editam in eisdem Ephemerid. 1837. Nr. 26, illud putavimus faciendum esse, ut quoad eius fieri potuit, et horum hominum doctissimorum, quos in nonnullis rebus nobiscum consentire intelleximus, sententias in examen vocaremus.

Est autem in hac re proficiscendum a Suidae loco, quem duximus describendum, quemadmodum in Kusteri exemplo reperitur.

Δημάδης, Ἀθηναῖος, ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς πανοῦργος καὶ εὐτυχής. πρότερον ναύτης ὤν· ἔγραψεν ἀπολογισμὸν πρὸς Ὀλυμπιάδα τῆς ἑαυτοῦ δωδεκαετίας, ἱστορίαν περὶ Δήλου καὶ τῆς γενέσεως τῶν τῆς Λητοῦς παίδων. οὗτος κατέλυσε τὰ δικαστήρια καὶ τοὺς ῥητορικοὺς ἀγῶνας, τελευτᾷ δὲ ἐπὶ Ἀντιπάτρου.

Δημάδης, μετ' Ἀντίπατρον βασιλεύσας, Θήβας ἀνέστησε, Δημαίου ναύτου, ναύτης αὐτὸς καὶ ναυπηγὸς καὶ πορθμεύς. ἀποστὰς δὲ τούτων ἐπολιτεύσατο καὶ ἦν προδότης καὶ ἐκ τούτων εὔπορος παντὸς καὶ κτήματα ἐν Βοιωτίᾳ παρὰ Φιλίππου δωρεὰν ἔλαβεν. οὗτος Δημοσθένει λέγοντι ὑπὲρ Ὀλυνθίων ἀντέλεγεν. Εὐθυκράτη δὲ τὸν Ὀλύνθιον ἀτιμωθέντα παρὰ Ἀθηναίοις ἐψηφίσατο ἐπίτιμον εἶναι καὶ πρόξενον Ἀθηναίοις. λόγους δὲ διδοὺς ἀρ-

χῆς θορυβηθεὶς ἀπεδήμησεν, οὔτε ἑαυτῶν, εἰπών, ἐστὲ κύριοι, οὔτε ἐμοῦ. ἐπέστελλε δὲ Φιλίππῳ καὶ τὸν υἱὸν ἔπεμπε πρὸς αὐτόν. ἱπποτρόφει δὲ καὶ ἠγωνίζετο Ὀλυμπιάσι καὶ ἐνίκα. ἔγραψε δὲ καὶ ψήφισμα τῷ Φιλίππῳ τοὺς Ἕλληνας ὑπακούειν. ἐν Χαιρωνείᾳ δὲ αἰχμάλωτος γενόμενος ἀφείθη, καὶ πρεσβευτὴς ὑπὲρ τῶν αἰχμαλώτων ἀπεστάλη, οὓς ἀνῆκε Φίλιππος. δὶς δὲ παρανόμων ἑάλω. ἐπολιτεύσατο δὲ καὶ ἐπ' Ἀλεξάνδρου.

Δημάδης, Δακιάδης, Ἀθηναῖος, ῥήτωρ. τοῦτον εἰσεποίησεν ὁ πρότερος Δημάδης, ὁ καὶ δημαγωγός, ἀπὸ αὐλητρίδος τεχθέντα. πατὴρ δὲ καὶ αὐτὸς Δημαίου τοῦ ῥήτορος γέγονε, καὶ ἀπώλετο ῥιφεὶς εἰς τὴν Ἀμφιπόλεως λίμνην ὑπὸ Ἀντιπάτρου, τοῦ Κασάνδρου πατρὸς καὶ διαδόχου.

Haec verba nemo est coniectura aggressus praeter Kusterum ipsum. Is vv. μετ' Ἀντίπατρον βασιλεύσας Θήβας ἀνέστησε, quorum nulla possit cohaerentia esse cum nomine Demadis, primae glossae inserto pronomine relativo ὃς adiunxit.

Kusteri vestigiis institit Ruhnkenius, qui priorem glossam in hunc refinxit modum: Histor. Critic. Orat. p. LXXI.:

Δημάδης Ἀθηναῖος ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς πανοῦργος καὶ εὐφυὴς πρότερον ναύτης ὤν. ἔγραψεν ἀπολογισμὸν περὶ τῆς ἑαυτοῦ δωδεκαετίας. ἱστορίαν περὶ Δήλου καὶ τῆς γενέσεως τῶν τῆς Λητοῦς παίδων. τελευτᾷ δὲ κατ' Ὀλυμπιάδα ριε ἐπὶ Ἀντιπάτρου, ὃς κατέλυσε καὶ δικαστήρια καὶ τοὺς ῥητορικοὺς ἀγῶνας καὶ μετ' Ἀλέξανδρον βασιλεύσας Θήβας ἀνέστησε.

In his cum alia sint aliquanto audacius commutata, alia, quae coniuncta inter se viderentur pugnare, dirempta sint et iusto loco posita, oportet Ruhnkenium audiamus ipsum excusantem quae immutavit.

„Εὐφυὴς apud Atticos significat dicacem, facetum: gramm. Ms. in Bibl. Reg. Εὐφυὴς καὶ εὐμαθὴς

διαφέρει. εὐμαθὴς μὲν ὁ καλῶς μανθάνων. εὐφυὴς δὲ ὁ πανοῦργος καὶ σκώπτης. Sic etiam Ammonius, ubi Valckenarius docte explicuit hanc vocis potestatem. Plut. Demosth. pag. 857 D. cap. 25. οἱ δ' εὐφυεῖς χλευάζοντες οὐχ ὑπὸ κονάγχης ἔφραζον, ἀλλ' ὑπ' ἀργυράγχης εἰλῆφθαι νύκτωρ τὸν δημαγωγόν. Atqui inter illos εὐφυεῖς Demadem fuisse tradit Pollux VII, 104. Cicero quoque Orat. 26. §. 90. Demadem *praetér ceteros oratores facetum* dicit; idque satis ostendunt multa eius dicta, quae passim commemorantur. — Vocem Ὀλυμπιάδα, quam interpretes ridicule de Alexandri matre acceperunt, in sedem suam revocavimus adiecimusque numeros ρις· nam Diodorus Siculus XVIII. p. 293. Demadis mortem refert ad Olymp. 115, 2. Non autem Demades iudicia et oratorum certamina sustulit, sed Antipater post proelium ad Cranonem. Itaque vv. ὃς κατέλυσε etc. ad Antipatrum transtulimus." Hanc tametsi emendationum reddidit Ruhnkenius rationem, tamen illud nullo defendit verbo, quod v. Ἀντίπατρον immutavit in Ἀλέξανδρον, quod quum alioquin verba ista non potuissent ad Antipatrum referri, necessarium fuit. Reliqua eius maximam partem ingeniosissima commenta non possunt in iudicium vocari, nisi una perpensis reliquorum hominum doctorum quae in ea re fecerunt periculis.

Comprobarunt autem istum modum quo Ruhnkenius verba Suidae corrigenda esse putavit, omnes, donec Lhardyus et Pluygersius nonnulla melius et rectius constitui et posse et debere intelligerent; quamquam et hi maximam partem eorum, quae sunt a Ruhnkenio prolata, laudaverunt. Atque ex iis quum Lhardyus paucula tantum impugnaverit, et ne haec quidem ita, ut iusta et ad persuasionem idonea uteretur argumentatione, qualis sit Pluygersii de hoc loco sententia, videamus. Namque huic primo licuit egregie satis uti

Gaisfordiani Suidae adiumento, in quo Codicis Leidensis ope innumeris Suidae locis nova affusa lux est. Duo autem maximo sunt momento: primum quod in Codice Leidensi tertia glossa interposita reperitur mediis duabus prioribus, deinde quod quae fuit antea altera glossa, caret nominis inscriptione. Neque illud est silentio praetermittendum, quod post glossam *Δημελήτος*, paullo infra Demadeas glossas scripta sunt haec: *Δημάδας ἰδημάδης ὁ μετ' Ἀντίπατρον βασιλεύσας Θήβας ἀνέστησε. Δημάδου ναύτου ναύτης καὶ αὐτὸς ναυπηγὸς καὶ πορθμεύς*: quae verba ex tertia Codicis Leidensis glossa huc sunt translata. Hoc inverso glossarum ordine quamquam bene perspexit Pluygersius posse indagari veritatem atque inveniri, tamen nec quidquid superest vitii sustulit, nec poterant inde omnia sanari.

Verum autem esse et iustum codicis Leidensis ordinem, inde apparet, quod nunc demum licet intelligere, unde ista singularis prorsus et mira verborum complexio: *Δημάδης μετ' Ἀντίπατρον βασιλεύσας Θήβας ἀνέστησε* originem traxerit. Quum enim in fine prioris glossae Cassandri nomen scriptum sit, idemque Cassander et Antipater filius et successor esset et Thebas refecerit, teste Diodoro Siculo XIX, cap. 54, Ruhnkenium et Kusteri verbis deceptum et ex glossarum ordine qui antea fuit inductum, falso ea verba aliquantulum immutata ad Antipatri nomen transtulisse apparet. Ad Cassandri enim nomen apposita fuisse atque incuria librariorum adscripta ad Demadis nomen, iam meridiana luce clarius intelligitur. Prius vero, quam quid rei sit et qualis possit eorum fieri usus dicatur, videndum est, qua ratione Pluygersius alia quaedam, quae non toleranda apertissimeque corrupta sint, emendare conatus sit. Fuerunt autem ei haec verba offensioni: *καὶ ἀπῴλετο ῥιφεὶς εἰς τὴν Ἀμφιτόλεως λίμνην*

ὑπὸ Ἀντιπάτρου τοῦ Κασάνδρου πατρὸς καὶ διαδόχου μετ' Ἀντίπατρον βασιλεύσας Θήβας ἀνέστησε. Nullo enim facto discrimine utramque glossam ita coniunxit, ut duae tantum essent. Atque de iis hoc fere disputat modo: non fuisse Antipatrum διάδοχον filii, sed filium patris Antipatri, nec solere scriptores Graecos, cum velint cavere, ne viri cognomines inter se confundantur, patres filiorum additis nominibus insignire, quemadmodum hic Antipater Cassandri filii nomine ab aliis Antipatris distingueretur, sed filios paternorum nominum accessione. Atque hoc non fugisse opinatur eum, qui Suidae verba in latinum converterit sermonem, quippe in latina translatione apparere *Alexandri* vocabulum verbo *successore* praefixum. Sed quamquam pleraque eorum, quae inde fecit Pluygersius consectaria, probo, tamen mihi de hac re alia subnata sententia est. Etenim διαδόχων nomine omnes ii copiarum Macedonicarum praefecti a rerum scriptoribus nuncupati sunt, qui post Alexandri Magni mortem Macedonici imperii partes tanquam raptores praedam inter se dispertiverunt. Neque aliud quidquam interpres iste ignotus volebat lectoribus in mentem revocare, ut prohiberet, quominus quis verba ista referret ad Cassandrum, qui non ex numero διαδόχων qui dicuntur fuit, sed ex ἐπιγόνων: hoc enim nomine appellantur vel filii illorum Alexandri διαδόχων, vel qui imperium a διαδόχοις acceperunt, de qua re confer Strabon. XV. p. 506. Casaub., Diodor. Sic. I, 3. et Dionys. Halic. Archaeol. Rom. I, 7. Et ne tum quidem, si Alexandri nomen in Codice quopiam scriptum fuisse statueretur ideoque Suidae reddendum esset, gravissimum quoddam vitium, quo etiamnunc verba ista laborant, esset sublatum. Fac enim tribuatur διαδόχου vocabulum Cassandro, idque eo significatu, quo solet dici Macedonicae aetatis scriptoribus, quod dicendi genus potest

languidius esse tali: „Cassander, qui fuit Antipatri successor et post eum regnavit“: quod non in lexicographo ne pessimo quidem ferri potest. Neque vero aliam Pluygersius commemoravit rem, qua pravum dicendi genus, quo Suidae verba inquinata sunt, magis perspicitur propiorque veritatis via aperitur. Tametsi enim Pluygersius non fuit immemor istius dicendi rationis, ex qua viri cognomines scriptoribus patrum nominibus inter se soleant discerni, tamen neglexit, quod ea cum maxime in Cassandrum cadit, non in Antipatrum. Fuerunt enim eadem aetate duo Cassandri, alter filius Antipatri, Cariae praefectus alter, qui aliquoties in bellorum, quae sunt post Alexandri Magni mortem gesta, commemoratur historia, cuiusque nomen etiam Asander scribitur, quo de conf. Diodor. Sicul. XVIII. cap. 3. §. 39. ibique doctam Wesselingii adnotationem. Hinc multo fit probabilius, Cassandrum potius notari additamento quodam quam Antipatrum.

Sequitur autem gravissimum, quod ipsum non fuit incognitum Pluygersio. Namque Demadem non ab Antipatro, sed a Cassandro Amphipoli esse percussum propter proditionis signa in epistolis ab eo ad Perdiccam datis deprehensa, consentiens fere est scriptorum memoria. De ea re conf. Plut. Phocion. cap. XXX., Demosthen. cap. XXXI., Arrhian. τὰ μετ' Ἀλέξανδρον apud Phot. Bibliothec. cod. 92. p. 70 Bekk. Quapropter, si ex historiae fide ac veritate diiudicatur res, nemo quisquam, opinor, Pluygersium reprehendet, quum totum locum ita scribendum esse censuerit: ὑπὸ Κασάνδρου τοῦ Ἀντιπάτρου πατρὸς διαδόχου, ὃς μετ' Ἀντίπατρον βασιλεύσας ἀνέστησε, in quibus nihil velis amplius mutatum, nisi hoc, ut comma post πατρὸς inseratur, ne diutius ieiuna ista atque prolixa sermonis forma offendamur. Καὶ autem ante διαδό-

χον sustulit Pluygersius, ut significaret Antipatrum fuisse patris διάδοχον, atque pronomen relativum ὃς ex glossa illa, paullo infra scripta Δημέας Ἰδημάδης ὁ μετ' Ἀντίπατρον κτλ. commode adscisci posse censuit; neque enim, ait, glossae illius auctor scripsisset ὁ μετ' Ἀντίπατρον, nisi ὃς pronomen in priore illa ac longiore glossa scriptum repperisset. Sed nondum omnia ita sunt in integrum restituta, ut omnis sit de Suidae loco sublata dubitatio. Reliquum enim est, ut, posteaquam de Antipatro et Cassandro fecimus iudicium, disquiratur de Demade ipso. Duo enim proferuntur Demades, uterque Atheniensis, uterque orator et demagogus, patrem alterius appellat Suidas Demeam, quem ex tibicina natum Demades prior adoptavit, eiusque filius item vocatur Demeas: alterius vero pater quis fuerit, ne verbo quidem est commemoratum. Haec quomodo cum ceterorum testimoniis scriptorum queant conciliari, admodum est difficile dictu. Nam praeter hunc Suidae locum nullus alibi reperitur, qui possit ad disceptationem eius rei adhiberi. Itaque quum necesse sit, ut e solo Suida diiudicatio huius rei fiat, ad eiusmodi erit bellulam confugiendum historiam, qualem Westermannus finxit (l. c. Nr. 26.). Is ita secundum Suidam de confusis inter se duobus Demadibus posse statui opinatur. „Vixisse Athenis fratres duo, nautas, Demadem et Demeam; ex his priorem capessivisse rem publicam, alterum, viventem liberius ex tibicina filium procreasse et de nomine fratris nominasse Demadem. Demea vero non ita multo post mortuo, Demadem tibicinae filium adoptatum a priore illo Demade, a patruo suo, quum ab initio nautico deditus fuisset quaestui, deinde item ad rem publicam accessisse, atque quum haud degener esset libidinosi patris filius, item ex tibicina filium sustulisse Demeam, mox eodem rerum publicarum stadio decurrentem atque

cum patre a Cassandro denique necatum.“ Haec cum non sint omni probabilitatis specie destituta, quamquam idcirco solummodo Westermannus confinxit, ut periculum fiat, num forte Suidae glossis aliquantum lucis possit adspergi, tamen non sunt probanda, cum ob eam rem, quam vir doctissimus ipse protulit, quod carent omni testimoniorum auctoritate, tum propterea, quod non est monstratum a Westermanno, quas prior, quas posterior susceperit partes rei publicae, et quae ex rebus, quas commemoravit Suidas, alterutri sint assignandae: quod quantum sit infra magis apparebit. Quocirca est ulterius progrediendum. Intellexit id etiam Pluygersius, quum non in Suidae verbis acquieverit sed perspicua in eis deprehenderit corruptelae indicia. Atque is non posse emendari locum ratus nisi fonte corruptelae detecto, ita fere ratiocinatur, si recte eius mentem admodum obscure declaratam percepi.

„Unusquisque videt, Suidam e pluribus lexicis haec omnia compilasse. Glossarum absolutarum speciem prae se ferunt haec duo lemmata, quae pro fundamento reliquorum haberi possunt. *Δημάδης Ἀθηναῖος ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς πανοῦργος καὶ εὐτυχὴς κτέ* usque ad *τελευτῇ δ' ἐπὶ Ἀντιπάτρου* et *Δημάδης Λακιάδης Ἀθηναῖος ῥήτωρ. πατὴρ δὲ καὶ αὐτὸς Δημέου τοῦ ῥήτορος γέγονε καὶ ἀπώλετο ῥιφεὶς εἰς τὴν Ἀμφιπόλεως λίμνην ὑπὸ Κασάνδρου τοῦ Ἀντιπάτρου πατρὸς διαδόχου, ὃς μετ' Ἀντίπατρον βασιλεύσας Θήβας ἀνέστησε.* Hisque adiunxit, quae in alio quopiam lexico invenerat de Demade notata: *Δημέου ναύτου ναύτης καὶ αὐτὸς* usque ad verba: *ἐπολιτεύσατο δὲ καὶ ἐπὶ Ἀλεξάνδρου.* Haec, quae sano cuncta ordine collocata sunt, turbata sunt verbis hisce: *τοῦτον εἰςεποίησεν ὁ πρότερος Δημάδης ὁ καὶ δημαγωγὸς ἀπὸ αὐλητρίδος τεχθέντα.* Quae verba quum dubitari nequeat quin suo loco posita non sint, ad Demeam filium pertinent ideoque post *γέγονε* verbum

collocanda sunt aut tollenda. Hoc ita potest probari. Apud Athenaeum enim lib. XIII. p. 591 F. narratur: *ἴστε δὲ ὅτι καὶ Δημάδης ὁ ῥήτωρ ἐξ αὐλητρίδος ἑταίρας ἐπαιδοποιήσατο Δημέαν· ὃν φρυαττόμενόν ποτε ἐπὶ τοῦ βήματος ἐπεστόμισεν Ὑπερείδης εἰπών· οὐ σιωπήσεις, μειράκιον, μεῖζον τῆς μητρὸς ἔχων τὸ φύσημα.* Quam narratiunculam, sive ex Athenaeo depromptam sive alicunde librarius aliquis in lexicon intulit eo loco, quo Demeae Suidas mentionem iniecerat. Isque vocem Athenaei *ἐπαιδοποιήσατο* commiscuit cum *παῖδα ποιεῖσθαι* idque per *εἰσεποίησεν* reddidit. Haec verba primo in margine fuerunt scripta, dein perperam a librariis ad Demadem traducta in eum locum immigrarunt, quo nunc reperiuntur. Ex hac autem verborum collocatione, quoniam deinceps duo commemorabantur Demades, ortum est additamentum *ὁ πρότερος*. His autem omnibus, utpote ex insigni librariorum inscitia profectis possumus sine ullo incommodo carere; quibus eiectis oppositionis ratio, quae inter *Δημ. Δαχ. Ἀθην. ῥήτωρ* et *πατὴρ δὲ καὶ αὐτὸς Δημέου τοῦ ῥήτορος* intercedit, elucet; et patrem enim et filium oratores fuisse, hoc modo optime declaratur."

Sed universae huic disputationi nulla tribui potest fides; nam si quicquam, hoc est hariolari. Ut enim haec possent fieri, multa existimandum est accidisse. Ac primum quidem, cui additamentum illud debetur, is legerit necesse est illam de Demea ipsius Athenaei historiolam, aut certe eius verbis descriptam; deinde, nisi male intellectis Athenaei verbis, iste error oriri non potuit, qui quod in omnes libros MSS. Suidae in multis locis vehementer inter se pugnantes propagatus est, valde est mirum; et quis porro credat, ab alio quopiam, qui verba iuxta Demeae nomen posita reperisset, traducta ea esse ad Demadem? An veri est simillimum, quum iam duo homines insipidi in depra-

vandis Suidae verbis satis egregiam ostendissent operam, adductum denique esse alium tertium hominem, qui adoptatis omnibus decessorum suorum erroribus vel magis eos confirmarit effingendo atque creando novo quodam Demade? Talia quis est qui credat? Accedit, quod ne illud quidem ullius est pretii, quod de oppositione protulit Pluygersius. Namque ea efficitur tali facta verborum collocatione: *ῥήτωρ δὲ καὶ αὐτὸς πατὴρ Δημέου τοῦ ῥήτορος γέγονε.* At hoc est pro arbitrio permutare verba scriptorum. Sententia enim vv. *καὶ αὐτὸς* non est alia nisi haec: idem ille, cuius nomine glossa est inscripta, etiam pater fuit Demeae oratoris. Neque vero praeterea constat, quo nomine pater Demadis appellatus fuerit. In secunda Suidae glossa *Δημέας* vocatur, idque nomen etiam tradidit Libanius in *πρεσβευτ. πρὸς Ἰουλιανόν*, Liban. Opp. Vol. I. p. 464. Reisk.: *Ἀλέξανδρος δὲ πολλὰ παρὰ τῶν Ἀθηναίων ῥητόρων ἠδικημένος, τά τε πράγματα ταραττόντων καὶ τοὺς δήμους κινούντων, καὶ μαργίτην αὐτὸν ἀνακαλούντων, καὶ ὑβριζόντων καὶ καταφρονούντων, τῷ μὲν εἶναι πάντων κύριος ἀπέσφαξεν ἄν, εἴπερ ἤθελε, δεξάμενος δὲ πρεσβείαν, εἴασε, καὶ τηλικαύτην χάριν ἔδωκε Δημάδῃ τῷ Δημέου*, et Ps. Plut. Vit. X. Orator. p. 66. Westerm. Contra in fragmento *περὶ δωδεκαετίας* ipse Demades, sive verus sive personatus, nomen patris prodit ita: *γεγονὼς γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Δημάδου πατρὸς ὡς καὶ ὑμῶν οἱ πρεσβύτεροι γιγνώσκουσι.* Quodsi duos fuisse Demades statuitur, facili negotio possit existimari, istam inde scribendi diversitatem esse ortam, quod alter Demade, alter Demea usus patre fuerit, vel si re vera Demades posterior a priore adoptatus est, potest in fragmento pater intelligi, is qui adoptavit, apud Libanium autem Suidamque is, qui naturae lege pater fuit, vel si haec nimis longe petita videntur esse, vitium in alterutro loco residet, vel denique res ipsa non

tanti fuit, ut eam scriptores tanto opere curandam esse censerent. Eiusque rei testem habemus Ael. Var. Hist. XII, 43. Ὑπερβόλου δὲ καὶ Κλεοφῶντος καὶ Δημάδου, καίτοι προστατῶν γενομένων τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων οὐδεὶς ἂν εἴποι ῥᾳδίως τοὺς πατέρας. Quae quum ita sint, quaeritur, quo modo videantur Suidae verba corrigenda esse.

Illud puto certissimum esse, quaecunque apud Suidam exstant verba, sive duabus glossis secundum Gaisfordianum exemplum, sive tribus secundum Kusterianum scripta, ad unum tantummodo spectare Demadem. Ita enim singulae res glossis istis quasi assignatae sunt, ut non possis non alteram ex altera augere atque compensare. Namque in priore glossa traditur Demades et ναύτης et δημαγωγὸς fuisse, et mors eius in Antipatri tempora incidisse; at idem de isto Demade, cuius res secunda et tertia glossa enumerantur, contestatum habemus. Neque illud abhorret, quod priori tribuitur ἀπολογισμὸς περὶ δωδεκαετίας. Is enim Demades, a quo ἀπολογισμὸς fingitur habitus esse, se gloriatur pacem impetrasse Atheniensibus salutarem cum antea a Philippo, tum vero etiam, quum Demosthenes bellum adversus Macedones suasisset, ab Alexandro. Quem non diversum esse ab eo, qui secunda et tertia glossa apud Suidam est descriptus, facili negotio intelligitur. Porro ille, qui Antipatri temporibus mortuus est (gloss. I.), atque is (gloss. II.), cuius filius vocabatur Demea, iidem sunt. Possit fortasse quispiam e Ciceronis verbis (Brut. IX.) „et is, cuius nulla exstant scripta, Demades“ concludere, priorem Demadem, quippe qui ἀπολογισμὸν et librum quendam de Delo insula scriptum reliquerit, ab altero, cuius nulla scripta nec a Suida commemorentur neque exstent, discernendum esse. Sed id quo minus pro vero accipiamus, Antipatri prohibemur commemora-

tione. Accedit denique, quod consentiente veterum scriptorum testimonio unum tantum Demadem novimus confirmari. Atque ad unum modo Demadem pertinere Suidae verba etiam Lhardyus sensit, idque pag. 18. locis aliorum quorumdam scriptorum cum Suida collatis ostendit, quamquam illud non monstravit, qua ratione Suidae verba debeant emendari, ut nec sibi, nec ceterorum scriptorum testimoniis repugnent. Ruhnkenius quoque in eadem haud dubie fuit sententia, ita ut Lhardyus eius mentem (pag. 17.) pravo modo intellexisse videatur; nihil enim neque Ruhnkenium neque alium quempiam inde video concludere, quod alterius Demadis δῆμος addatur, alterius omittatur. Eudociae vero iudicium Violar. in Villois. Anecd. Gr. I. p. 131. *Δημάδης Ἀθηναῖος ῥήτωρ ἔγραψεν ἀπολογισμὸν πρὸς Ὀλυμπιάδα τῆς ἑαυτοῦ δωδεκαετίας· ἱστορίαν περὶ Δήλου καὶ τῆς γενέσεως τῶν τῆς Λητοῦς παίδων. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Δημάδης, Λαμπάδης, Ἀθηναῖος ῥήτωρ* non est magni faciendum. Omnia enim ex male intellecto exscripsit Suida. Ut hic in altera demum glossa pagi nomen adiectum est, ita apud eundem Suidam i. v. *Δημοσθένης*, de quo tribus glossis agitur, secundae modo appositum est *Παιανιεὺς* vocabulum; quominoque solet hoc saepe apud Suidam usu venire, ut ex pluribus glossis de eodem homine scriptis una tantum referat patriam, veluti in v. *Διογένης*, *Ἀρίστιππος*, *Ἀριστογείτων*.

Iam vero postquam monstrasse nobis videmur, nullum apud Suidam commemorari Demadem praeter istum, de cuius proditione quasi una voce tota clamitat antiquitas, dicendum est, qua ratione possit Suidas sibi conciliari.

Ac primum quidem retinendum esse censemus Codicis Leidensis ordinem glossarum, quo et a regni Macedonici societate excluditur Demades, et Cassandro sua restituuntur. Deinde vero quum facile quis-

que miretur inconcinnitatem istam non ferendam, ex qua post v. *ἀνέστησε* nova incipit rerum series et de vita Demadis exponitur a prima eius origine patrisque nomine ac vitae genere usque ad Alexandri tempora, ante *Δημέου ναύτου* Demadis nomen in Codice Leidensi excidisse statuo, quod feci secundum auctoritatem eorum librorum, quorum ope Kusterus totum istum locum vexatissimum in integrum ordinem redegisse visus sibi erat, et in quibus Demadis nomen *ter*, id est in uniuscuiusque glossae initio scriptum fuisse constat.

Ex his quae ultimo loco apud Gaisferdium scripta sunt, quum Demadis historiam et res gestas commemoratione Alexandri concludant, e scriptore quodam, qui Philippica tempora complexus res Alexandri non attigisset, videntur excerpta esse, id quod in Theopompi historias Philippicas videtur cadere posse. Sed hoc *ὡς ἐν παρόδῳ*.

Reliqua sunt autem etiamnunc duo, quae animum magno opere advertant, et iste *πρότερος Δημάδης*, et *Δημαίου* patris nomen; in quibus corrigendis vestigia sequemur Cod. Leid. Ante verba *Δημέου ναύτου* legebatur nomen *Δημάδης*, uti fieri solet in lexicis, prope marginem scriptum, quo quaerentium commoditati succurratur; quod nomen, quum turbata esset prioris glossae clausula, in aliis libris praeter Cod. Leid. inopportuno loco scriptum reperitur ante verba *μετ' Ἀντίπατρον*. Hoc verbum ubi praefiximus tertiae glossae, videndum, quae intercedant rationes inter tres glossas. In secunda enim, quae quamquam est miro modo perturbata, eundem tamen refert Demadem, quam reliquae, illud desideratur unum, quod nemo fere praetermisit, qui mentionem fecit Demadis, quod Demades ex remige est factus orator publicus. Hoc videtur significatum fuisse verbis: *ὁ πρότερος Δημάδης, ὁ καὶ δημαγωγός*. Atque haec verba, posteaquam composui

cum verbis primae glossae: ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς — πρότερον ναύτης ὢν et tertiae: ναύτης αὐτὸς. ἀποστὰς δὲ τούτων ἐπολιτεύσατο ita videntur corrigenda esse, ut scribatur: πρότερον ναύτης ὢν καὶ δημαγωγός. Hac enim mutatione facta, quae fortasse cuipiam audacior esse videatur, omnis ista de duobus eiusdem nominis hominibus dubitatio prorsus tollitur. Atque ut ne quibus argumentis probabilitas istius mutationis stabiliatur, desideretur, faciam, ut ostendam, unde nomen Demadis in istum tam alienum venerit locum, et quomodo glossa secunda, quae est corruptissima, debeat integrari. Tres Suidae glossas sic habeto:

Δημάδης Ἀθηναῖος ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς πανοῦργος καὶ εὐτυχὴς, πρότερον ναύτης ὢν, ἔγραψεν Ἀπολογισμὸν πρὸς Ὀλυμπιάδα τῆς ἑαυτοῦ δωδεκαετίας, Ἱστορίαν περὶ Δήλου καὶ τῆς γενέσεως τῶν τῆς Λητοῦς παίδων. τελευτᾷ δ' ἐπὶ Ἀντιπάτρου, ὃς κατέλυσε τὰ δικαστήρια καὶ τοὺς ῥητορικοὺς ἀγῶνας.

Δημάδης Λακιάδης Ἀθηναῖος, ῥήτωρ, πρότερον ναύτης ὢν καὶ δημαγωγὸς, πατὴρ δὲ καὶ αὐτὸς Δημέου τοῦ ῥήτορος γέγονε. τοῦτον εἰςεποίησεν ἀπὸ αὐλητρίδος τεχθέντα, καὶ ἀπώλετο ῥιφεὶς εἰς τὴν Ἀμφιπόλεως λίμνην ὑπὸ Κασάνδρου, τοῦ Ἀντιπάτρου (πατρὸς) τοῦ διαδόχου, ὃς μετ' Ἀντίπατρον βασιλεύσας Θήβας ἀνέστησε.

Δημάδης, Δημέου ναύτου, ναύτης αὐτὸς καὶ ναυπηγὸς καὶ πορθμεύς. ἀποστὰς δὲ — ἐπ' Ἀλεξάνδρου.

In his primum abstinendum esse duximus a nimia Pluygersii audacia, qui verba τοῦτον εἰςεποίησεν ὁ πρότερος Δημάδης ὁ καὶ δημαγωγὸς ἀπὸ αὐλητρίδος τεχθέντα — omnino sustulit; apte enim collocantur post γέγονε, cum sint de Demea filio dicta, e tibicina procreato: quod idem est Westermanno l. c. visum. Sed in tanta confusione singulorum glossae membrorum facile est ferendum, quum verba ὁ πρότερος Δημάδης ὁ καὶ δημαγωγὸς retinentur et ad ipsam glossae inscriptio-

nem adhibentur, eaque eo quo voluimus modo mutata. Demadis autem nomen ex eo marginis loco, quo supra significavimus scriptum fuisse, in media verborum serie ad iustam enuntiationis formam efficiendam impositum est ab correctore, qui putaret esse id ad *ναύτης* vocabulum margini adscriptum. Quare quum nomen Demadis loco v. *ναύτης* substituisset, factum est, ut a posteriore abesset loco ac duae glossae coirent in unam. Aliorum vero Codd. scriptores quum in tertia glossa *Δημάδης* inscriptionem desiderarent, re non satis perpensa et huic suum tribuerunt nomen. Atque ex hac mutatione etiam verba *ὁ καὶ δημαγωγὸς* suam accipiunt lucem; huius enim accessionis fere nulla agnosci potest ratio nisi ea, quae est a nobis proposita. Praeterea mutavimus *πρότερος* in *πρότερον*; *ὁ* in *ὢν* et delevimus *ὁ* ante *πρότερον*, quamquam et ferri potest *ὁ πρότερον ναύτης ὢν*; *καὶ δημαγωγὸς* autem cum v. *ῥήτωρ* coniungendum est. Porro pro *καὶ διαδόχου* scripsimus *τοῦ διαδόχου*; *καὶ* enim ortum erat e permistione duorum nominum, Cassandri et Antipatri, ut certo appareret Antipatrum esse intelligendum, qui fuisset et Cassandri pater et unus ex Alexandri *διαδόχοις*. Alia quaedam non tam corrigenda quam a Ruhnkenii sagacitate tuenda videbantur. Cur enim *εὐτυχὴς* mutandum sit in *εὐφυὴς* non potest perspici, imo si quis tertiam glossam cum prima comparaverit, argumenti quandam similitudinem intelliget. Idem ille *Δημάδης*, qui *πανοῦργος* fuit *δημαγωγὸς*, tamen *πανουργίας* fructum tulit *εὐτυχίαν*, modo discesseris a vitae exitu; et in tertia glossa qui dicitur *προδότης*, *προδοσίας* praemium meruit *εὐπορίαν*, quo etiam declaratur, quaenam priore loco intelligi debeat *εὐτυχία*. Nec est, quo possint excusari et Olympiadis reiectio et numeri Olympiaci a Ruhnkenio interpositi. Equidem suspicor post *πρὸς* excidisse nomen accusatoris, quod in v. *Ὀλυμπιάδα* latet,

tet, contra quem iste Ἀπολογισμῷ sese defendérat Demades, aut mutato verborum ordine scriptum fuisse: ἀπολογισμὸν τῆς ἑαυτοῦ δωδεκαετίας κατ' Ὀλυμπιάδας. Sintne vero genuina ista Demadis scripta necne, hoc nihil ad rem.: tribuebantur certe a quibusdam Demadi.

Restat vero ultimum, ut de nomine patris dicatur. Eum fuisse dictum Demeam tanto consensu nec ulla scripturae diversitate produnt Suidas, Plutarchus, Libanius, ut reiicienda esse videatur Demadei fragmenti auctoritas, in quo facillime ΔΗΜΑΙΟΥ et ΔΗΜΑΔΟΥ inter se poterant permisceri. Boeckhius vero C. I. Vol. I. no. 96. p. 135. Demadis minoris, — distinguit enim inter duo Demades — patrem appellavit Demadem eoque lacunam quandam inscriptionis complevit, addito pagi nomine (ΛΑΚΙ) ΑΔΟΥ. Quo complemento usus H. Sauppius Demadeum locum satis ingeniose in hunc modum restitui voluit: Δημάδης Δημ|έου Λαπι|άδου πατρός, eadem mutandi ratione, qua apud Andocid. de myster. §. 132. ex Α — Δελφὸν ortum fuit ἀδελφόν. Sed nec in inscriptione potuit locum habere ΔΗΜΕΟΥ, et in Demadeo fragmento Δημάδου e Δημαίου correctum videtur esse. Quae sunt praeterea in Suidae verbis mutata, ea debentur partim Ruhnkenio, partim Pluygersio.

Iam vero ne diutius lectorem moremur, tandem ad id transeamus, cuius causa ad verba Suidae emendanda digressi sumus.

Demades enim iste quum primum res publicas tractare coepit, eorum est castra secutus, qui Philippum in elevandis et attollendis cum omnis Graeciae tum Atticorum civitatis opibus adiuvabant. οὗτος, ait Suidas, Δημοσθένει λέγοντι ὑπὲρ Ὀλυνθίων ἀντέλεγεν. Εὐθυκράτη δὲ τὸν Ὀλύνθιον, ἀτιμωθέντα παρὰ Ἀθηναίοις, ἐψηφίσατο ἐπίτιμον εἶναι καὶ πρόξενον Ἀθηναίοις. Ex quibus apparet aliquoties Demadem Demostheni pro Olyn-

thiis facienti verba restitisse. Neque id in aliis causis sine felici quedam successu videtur fecisse, ut Demostheni eam vocem excusserit, quam servavit Plutarch. Vit. Dem. Cap. VII.: *κρωπαλῶντες ἄνθρωποι ναῦται καὶ ἀμαθεῖς ἀκούονται καὶ κατέχουσι τὸ βῆμα.* E multis autem et Demosthenis et aliorum scriptorum locis scimus, Olynthum duorum potissimum hominum, Lasthenis et Euthycratis, proditione esse sub Philippi potestatem redactam Olymp. CVIII, 1. conf. Voemel. prolegg. ad Demosth. Olynth. p. 102 sqq. Athenienses postquam socordia sua auxiliisque praepostero consilio missis commiserunt, ut Olynthus deditissima urbs civium suorum proditione perderetur, seris quibusdam decretis, quantopere et calamitatem Olynthiorum conquererentur et proditionis scelus inique ferrent, publice declaraverunt. Conf. Demosth. de f. leg. p. 426. §. 267. Bekk. *Καὶ γὰρ ἂν καὶ ὑπερφυὲς εἴη, εἰ κατὰ μὲν τῶν Ὀλυνθίους προδόντων πολλὰ καὶ δεινὰ ἐψηφίσασθε, τοὺς δὲ παρ' ὑμῖν αὐτοῖς ἀδικοῦντας μὴ κολάζοντες φαίνοισθε. Λέγε τὸ ψήφισμά μοι τὸ περὶ τῶν Ὀλυνθίων. ΨΗΦΙΣΜΑ. ταῦθ' ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὀρθῶς καὶ καλῶς πᾶσιν Ἕλλησι καὶ βαρβάροις δοκεῖτε ἐψηφίσθαι κατ' ἀνδρῶν προδοτῶν καὶ θεοῖς ἐχθρῶν.*

Ex his omnibus intelligi licet, quanta fuerit Demadis impudentia, Euthycrati et *ἐπιτιμίας* et *προξενίας* honorem publice decernentis. Sed exstitit huius decreti acerrimus et honestissimus impugnator Hyperides, qui si non rationem Harpalicae rei habueris per omnem vitae in re publica administranda transactae cursum Demosthenis id est honestatis et virtutis tuendae partes suscepit. Neque vero quae solet esse iustissima proditorum sors, ut deserantur et vero etiam opprimantur ab istis, quibus sese in culpae partem emancipaverint, ea nec ab Olynthiis abfuit. Etenim quum aegrius isti homines ferrent, quod a Macedoni-

bus proditorum nomine odiosissimo appellarentur, facete Philippus *σκάφους φύσει*, inquit, *καὶ ἀγροικους Μακεδόνας καὶ τὴν σκάφην σκάφην λέγοντας.* Plut. Apophthegm. Vol. VIII. pag. 98. ed. Hutt., quocum conf. Demosth. de coron. p. 241. §. 48. Bekk. *μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ἐνομίζετο Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὀλυνθον.* Ac miseros istos homines gravissimas quasque tantum non mortis poenas dedisse, testis est idem Demosth. orat. de Chersones. pag. 99. §. 40. Bekk. *εἰ δὲ μή, σκεψάσθωσαν Εὐθυκράτη καὶ Λασθένη τοὺς Ὀλυνθίους οἱ δοκοῦντες οἰκείως αὐτῷ δικαιεῖσθαι, ἐπειδὴ τὴν πόλιν προὔδοσαν, πάντων κάκιστ' ἀπολώλασιν.* In his enim ne *κάκιστ' ἀπολώλασιν* de mortis supplicio dicta accipiantur, vetat Hyperidium fragmentum, quod infra proferetur. Habemus enim insigne quoddam Hyperidiae in hac caussa habitae orationis fragmentum ab Apsine servatum, qui Walzio vocatur Longinus, pag. 708., apud Aldum Rhet. Vol. I., Walz Rhet. Gr. Vol. IX. p. 547. hocce: *ἔτι ἀναμνήσομεν διὰ ψηφίσματος εἰσφορᾶς, ὃς δ' Ὑπερίδης* (Ven. Viml. Ὑπερείδης) *κατηγορῶν ψηφίσματος ὑπὸ Δημώδου γραφέντος* (Ven. Par. *γραφὲν*) *τὸ* (Ald. *ὡς*, Godd. *τῷ*) *πρόξενον Εὐθυκράτη* (Ald. *Εὐθηκράτη*) *εἶναι γράψαντος αὐτοῦ εἰσφέρειν ψήφισμα, δι' οὗ ποιεῖται τὴν ἀναπεφαλαίωσιν τῶν εἰρημένων· ἃ μὲν γὰρ οὗτος* (sic Par., vell. *αὐτὸς*) *φησὶν, εἰσκεκόμικεν, αὐτὰ ἔχει τὰς ἀληθεῖς αἰτίας τῆς προξενίας. ἐγὼ δὲ εἰ ἔστι πρόξενον ἡμῶν αὐτῶν γενέσθαι, διὰ τοῦτον τεύξεται γράψας εἰσφέρειν. ἔπειτα τὸ ψήφισμα εἰσφέρει. δεδεῖχθαι γάρ φησι πρόξενον αὐτὸν εἶναι, διότι τὰ Φιλίππῳ συμφέροντα καὶ πράττει καὶ λέγει, ὅτι γενόμενος ὑπαρχος τοὺς Ὀλυνθίων ἱππέας προὔδωκε* (Par., *προὔδωκεν*) *Φιλίππῳ, ὅτι τοῦτο πράξας αἴτιος τοῦ Χαλκιδέων ὑπῆρξεν ὀλέθρου, ὅτι διώσας Ὀλύνθου τειμητὴς ἐγένετο τῶν αἰχμαλώτων, ὅτι ἀντέπραξε τῇ πόλει ὑπὲρ* (Venet. *περὶ*) *τοῦ ἱεροῦ τοῦ Δηλίων, ὅτι τῆς πόλεως περὶ Χαιρώνειαν ἡττηθείσης οὔτε ἔθαψε* (Par. —*εν*) *τῶν τεθνεώ-*

των τινὰς, οὔτε τῶν ἄλλων οὐδένα ἐφέσεται. διὰ τοῦτο κεφαλαιωδῶς ἀναμιμνήσκει τῶν (Par. *τὴν*) *περὶ ὅλην κατηγορίαν εἰρημένων κατ' αὐτοῦ.*

In his, quae e Walzianis exemplari sunt exscripta, multa corrigenda sunt. Eximie autem in hoc loco emendando nos adiuvit M. H. E. Meieri, praeceptoris dilectissimi, benevolentia, qua noluit mihi, quae ipse melius constituerit, decesse. Quum enim hunc locum cum aliarum quarundam orationum adversus Demadem habitarum fragmentis in Fragm. Lycurg. pag. 62—65. attigissem, Meierus mecum liberalissime communicavit, quae ipse in Apsinis verbis correxerat. Quare deinceps tum quae Meiero debeo, tum quae ipse mihi videor cum quadam probabilitate coniecisse, proferam. Ac primum quidem pro *γραφέντος ὡς*, quod est apud Aldum, sive *τῷ*, quod e Codd. protulit Walzius, scribendum est *τοῦ*. Tum Aldi *Εὐθηκράτῃ* mutandum in *Εὐθυκράτην*, quae scribendi ratio confirmatur inde, quod *ν* falso a librariis habitum est pro *ι* subscripto. Praeclarissimo autem ac plane singulari acumine detexit Meierus scribi oportere pro *αὐτοῦ εἰσφέρειν — ἀντεισφέρει*. Hinc enim omne, quod Hyperides in ea re sectatus sit artificium, demum intelligitur. Deinde in verbis *πρόξενον ὑμῶν αὐτῶν γενέσθαι* scribe *αὐτὸν* sc.: Euthycratem *γενέσθαι*. Iam quae sequuntur „*διὰ τούτων τεύξεται γράψας εἰσφέρων*“: in hunc sunt modum corrigenda: *διὰ τίνων τεύξεται γράψας εἰσφέρω*. Hoc enim est artificio usus Hyperides, ut contra decretum a Demade in Euthycratis honorem latum, quo ille suaserat, ut Euthycrati propter beneficia in rempublicam Atheniensium collata, *προξενίας* munus tribueretur, aliud quoddam decretum proferret (*ἀντεισφορά*) et publice recitaret, quo acerbissima cavillatione ea congesserat, quae essent ab Euthycrate in Atheniensium rempublicam commissa. Hoc enim modo illud potuit efficere

orator, ut clarissime patefieret civitatem Atheniensium nullis beneficiis, sed flagitiosissimis sceleribus esse affectam. Affert igitur Hyperides: εἰσφέρει, quod scripsit decretum: γράψας, quo erat designatum, propter quae merita in rempublicam adepturus esset istum honorem: διὰ τίνων τεύξεται. Porro pro δεδεῖχθαι scribe δεδόχθαι, quae est solemnis in decretis publicis formula. In decreto ipso περὶ praepositio ex Veneto pro ὑπὲρ reponenda est. Solent enim hae praepositiones saepissime inter se confundi, quo de genere satis memorabile exemplum praebet Phot. Lex. in v. πεντηκοστή. Quae enim hic profertur oratio Hyperidis ὑπὲρ τῶν Εὐβούλου δωρεῶν, eandem inscripsit Harpocratio in v. πεντηκοστή: περὶ τῶν Εὐβ. δωρεῶν. Sed unde sit orta inscriptionis diversitas, optime perspicies, si verba exscripsero, quomodo sunt accuratissime a Porsono e Cod. enotata: τῶ ὑπὲρ Εὐβ., quod est nihil aliud quam τῶι περὶ Εὐβ., περὶ enim scribitur πέρ. Atque ex simili compendio male intellecto Ὑπερίδης ortum est, in Cod. enim apud Porsonum ita est scriptum: Ὑπερίδ, quod quum legi debeat Ὑπερίδου, perperam lectum est Ὑπερίδης. Sed ad fragmentum revertor.

Habitam esse orationem post pugnam Chaeronensem sed ante necem Philippi, concluditur cum ex his ipsius fragmenti verbis: διότι τὰ Φιλίππῳ συμφέροντα καὶ πράττει καὶ λέγει, tum ex Apsinis verbis: διὰ τοῦτο κεφαλαιωδῶς ἀναμιμνήσκει τῶν παρ' ὅλην τὴν κατηγορίαν εἰρημένων κατ' αὐτοῦ. Scelerum enim ab Euthycrate commissorum quasi tabulam descripsisse Hyperidem dicit Apsines, qua comprehenditur, quidquid Euthycrates inde ab proditione urbis Olynthi usque ad Chaeronensem pugnam patravit. Quaecunque autem ab Hyperide exprobrabantur Euthycrati, ea ad προξενίας honorem adspiranti mirum quantum obfuerunt. „Πρό-

ξενοι enim, ut cum Valckenario loquar, qui Animadvers. ad Ammon. libr. III. cap. X., quae a grammaticis traduntur, universa complexus est, homines dicebantur privati, quibus in patria urbe degentibus honorificum hospitii ius cum alia urbe publicitus intercedebat: his id muneris erat praecipue iniunctum, ut sedulo prospicerent, ne quid publica istius civitatis res a civibus suis caperet detrimenti, legatos illinc venientes hospitio exciperent, ad populum deducerent utque iis bene esset procurarent." Singulorum fere horum criminum reus est Euthycrates factus. Tantum enim abfuit, ut ne quid Athenienses per cives suos facerent damni prohiberet, ut ipse administer ac socius esset infestissimi Atheniensium hostis Philippi. At qui suam ipse patriam urbem hostibus prodidit, qui tandem ille potest peregrinae urbis commodis inservire. Quemodo autem Olynthum prodiderit, enarravit Demosthen. de fals. legat. p. 426., cuius verba adscripsimus, quoniam apprime faciunt ad Hyperidis verba rectius pensitanda: *ἐπειδὴ δὲ δωροδοκεῖν ἤρξαντό τινες καὶ δι' ἀβελτερίαν οἱ πολλοὶ, μᾶλλον δὲ διὰ δυστυχίαν, τούτους πιστοτέρους ἡγήσατο τῶν ὑπὲρ αὐτῶν λεγόντων, καὶ Λασθένης μὲν ἤρεψε τὴν οἰκίαν τοῖς ἐκ Μακεδονίας δοδεῖσι ξύλοις, Εὐθυκράτης δὲ βοῦς ἔτρεφε πολλὰς τιμὴν οὐδενὶ δούς, ἕτερος δέ τις ἦμεν —, οἱ δὲ πολλοὶ καὶ καθ' ὧν ταῦτ' ἐγίγνετο οὐχ ὅπως ὠργίζοντο —, ἀλλ' ἀπέβλεπον, ἐζήλουν, ἐτίμων, ἄνδρας ἡγοῦντο. ἐπειδὴ δὲ ταῦθ' οὕτω προήγετο καὶ τὸ δωροδοκεῖν ἐκράτησε, χιλίους μὲν ἱππέας κεκτημένοι πλείους δ' ὄντες ἢ μύριοι, πάντας δὲ τοὺς περιχώρους ἔχοντες συμμάχους, μυρίους δὲ ξένους καὶ τριήρεσι πεντήκοντα ὑμῶν βοηθησάντων αὐτοῖς, καὶ ἔτι τῶν πολιτῶν τετρακισχιλίους, οὐδὲν αὐτοὺς τούτων ἠδυνήθη σῶσαι, ἀλλὰ πρὶν μὲν ἐξελθεῖν ἐνιαυτὸν τοῦ πολέμου τὰς πόλεις ἁπάσας ἀπολωλέκεσαν τὰς ἐν τῇ Χαλκιδικῇ οἱ προδιδόντες, καὶ Φίλιππος οὐκέτ' εἶχεν ὑπακούειν τοῖς προδιδοῦσιν, οὐδ' εἶχεν ὅ τι πρῶτον λάβῃ.*

πεντακοσίους δ' ἱππέας προδοθέντας ὑπ' αὐτῶν τῶν ἡγουμένων ἔλαβεν αὐτοῖς ὅπλος ὁ Φίλιππος, ὅσους οὐδεὶς πώποτε ἄλλος ἀνθρώπων.

Sequitur crimen ὅτι ἁλούσης Ὀλύνθου τιμητὴς ἐγένετο τῶν αἰχμαλώτων, cuius insignis malitia et turpitudo in eo cernitur, quod Euthycrates, probe sciens, quantae singulis civibus suis opes essent ac facultates, Philippo indicavit, quanto quisque pretio se posset redimere, ac fortasse ipsos milites Athenienses Olynthiis opitulatos praebuerat Philippo redimendos. Deinde in caussa Deliaca non potuerat Euthycrates Atheniensibus adversari nisi quum ea coram consilio Amphictyonico ageretur; ac pro intima necessitudine, quae Euthycratem inter et Philippum intercedebat, probabile est, tum demum potuisse Euthycratem Atheniensibus in caussa Deliaca repugnare, quum esset Philippus Phocico bello confecto in consilium Amphictyonum receptus i. e. Olymp. CVIII, 3., quo confirmatur sententia Boeckhii, caussam Deliacam eo ipso anno agitatam esse ex aliis quibusdam rationibus statuentis in Commentat. Acad. de Inscript. Attica circa sacra Apoll. Del. Berol. 1834. p. 12., ut fallatur Winiewskius, qui Commentar. chronol. in Demosthen. orat. de Cor. p. 52 — 55. eam caussam Olymp. CVII. anno incerto tribuit. Neque, quum Euthycrates et Demades publicorum consiliorum fuerint socii, prorsus vero videtur absimile esse, Demadem quoque attigisse res Deliacas, ut auctor posset haberi ἱστορίας περὶ Δήλου a Suida commemoratae, de qua conf. Boeckh. l. c. p. 13. Quod denique ultimo loco ab Hyperide exagitatur crimen Euthycratis, admonet nos vitae Hyperidis, quae Plutarcho tribuitur, p. 84. Westerm. Noluit enim primo Philippus permittere Atheniensibus, ut, qui in proelio Chaeronensi cecidissent, sepelirentur, id quod talium hominum impulsu videtur fecisse.

Ad eandem orationem pertinent Apsinis verba apud Aldum Vol. I. p. 706. fin. Ibi de epilogo agitur et haec verba subnectuntur: *Ζητεῖται δὲ εἰ ἐπὶ τέλους τῇ ἀνακεφαλαιώσει δεῖ χρῆσθαι τῶν λόγων, ἢ μίαν χώραν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ πολλαχῶς ἡ χρῆσις αὐτῆς γίνεται. ἔνιοι μὲν οὖν εἰσιν ἐπὶ τέλους αὐτῇ κεχρημένοι, ὡς καὶ ἐν τῇ κατηγορίᾳ τῇ Δημάδου Ὑπερείδης καὶ Δημοσθένης, ὡς ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοκράτους* (§. 215. usque ad fin.) *καὶ Τιμοκράτους* (pag. 761. R. sqq.). *ἔνιοι δὲ καὶ κατὰ μέσον που τοῦ λόγου ἐχρήσαντο τῇ ἐπαναμνήσει, τουτέστι τῇ ἐπανακεφαλαιώσει, ὡς ἀμέλει καὶ αὐτὸς Δημοσθένης* (§. 315 sq. Bekk.) *ἐν τῷ τῆς παραπρεσβείας* (Walz. Vol. IX. p. 532.). Quae verba repetiit Apsines in *τεχν. ῥητ. περὶ προοιμίου.*

Iam vero quaeritur, utrum quae praeterea reperiuntur Hyperidis fragmenta in Demadem dicta, ex eadem oratione sint decerpta necne. Plures fuisse inter Demadem et Hyperidem lites publicas e fragmentis collegit Pluygersius p. 41. Is enim Harpocrat. i. v. *ὀξυθύμια. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου φησί· περὶ οὗ πολλῷ ἂν δικαιότερον ἐν τοῖς ὀξυθυμίοις ἡ στήλη σταθείη ἢ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἱεροῖς — — Δίδυμος δὲ ἐν τῷ ὑπομνήματι εἰς τὸν κατὰ Δημάδου τὰ ἐν ταῖς τριόδοις φησὶν Ἑκαταῖα, ὅπου τὰ καθάρσια ἐφερόν τινες, ἃ ὀξυθύμια καλεῖται·* ad singularem quandam Hyperidis orationem pertinere censet, qua aggressus fuerit decretum in Demadis honorem latum. Statuae enim honorem, de quo in fragmento isto agatur, non potuisse Demadi tribui, nisi tum demum, quum summam pecuniarum publicarum curam gereret. Sed nec satis certo fragmentum ipsum ad Demadem refertur, nec si referatur, quidquam repugnat, quominus post Chaeronensem pugnam Demadi statuam collocatam esse credatur, quippe qui apud Philippum auctor fuisset, ut captivi redderentur et mortui sepelirentur. Diodor. XVI, 87. Fragm. Demad. p. 488. Bekk. Ac quod tertiam denique Hyperi-

dis orationem quandam Pluygersius p. 72. inscriptam fuisse opinatur κατηγορίαν Δημάδου ab istis duabus diversam, multo minus est probabile; haec enim est unica, cuius etiamnunc fragmenta supersint. Quod autem fragmentum apud Alexandrum rhetor. p. 586. servatur hocce: σὺ μὲν γὰρ ἔλαβες, ὦ Δημάδη, δῶρα παρὰ Φιλίππου, ἐγὼ δ' οὐκ ἔλαβον· καὶ προέπινες αὐτῷ κατὰ τῆς πόλεως εὐωχούμενος, ἐγὼ δὲ οὐ συνέπινον. ideo adscribi voluit Hyperidi, quod Alexander rhetor ex his tantum tribus oratoribus Demosthene, Aeschine et Hyperide fragmenta servarit. Quare quum Demosthenis oratio adversus Demadem incertae sit fidei, Aeschini nulla unquam habita fuerit oratio in Demadem, tribuit eam Hyperidi. Sed praeteriit Pluygersium, quod ab Alexandro nonnulla fragmenta proferuntur e Demosthenis orationibus excerpta nulla Demosthenis facta mentione, de quo genere exemplum exprompsimus Fragm. Lyc. p. 24., nec tam incerta est Demosthenis in Demadem oratio, citatur enim ab Apsine p. 683. Quae quum ita sint, proclivius est Demostheni, cuius orationes prae ceteris fuerunt lectae et cognitae, id fragmentum tribuere, quam Hyperidi. Intercedit autem argumenti quaedam similitudo huic fragmento, cum dicto Lycurgio, de quo cf. Fragm. Lyc. p. 65. Misso igitur Pluygersio videamus, quomodo reliqua fragmenta ad ea quae supra tractavimus possint adnecti. Constat enim celebratam fuisse Hyperidis κατηγορίαν Δημάδου; hoc enim nomine eam Apsines appellavit l. c. Ad eam refero cum illud fragmentum, quod supra tractavi, tum Plutarchi iudicium Polit. praecept. p. 166. Vol. VII. Hutt. αἱ δὲ λοιδορίαι τοῖς πολιτικοῖς ἥκιστα πρέπουσιν. ὅρα δὲ τὰ πρὸς Αἰσχίνην ὑπὸ Δημοσθένους εἰρημένα καὶ τὰ πρὸς τοῦτον ὑπ' Αἰσχίνου, καὶ πάλιν ἃ πρὸς Δημάδην γέγραφεν Ὑπερίδης. In eandem conscripserat commentarium Didymus Alexandrinus, qui commemoratus est supra ex

Harprocrat. i. v. ξυνθήμα, ad quem locum cf. Vales. Vol. II. p. 363. 487. ed. Lips. Lhardyum p. 51. Consentit cum Harpocratione Photius i. v.

Transeo ad Harpocrat. i. v. Ἀλκίμαχος· — — ἕτερος δέ ἐστιν Ἀλκίμαχος Μακεδών, οὗ μνημονεύει Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου οὕτως „Ἀλκίμαχον καὶ Ἀντίπατρον Ἀθηναίους καὶ προξένους ἐποιησάμεθα.“ Cum his apprime congruunt, quae memoriae prodidit Iustinus lib. IX. cap. 4. Posteaquam enim Philippus post pugnam Chaeronensem „Atheniensibus, quos passus infestissimos fuerat, et captivos gratis remisit et bello consumptorum corpora sepulturae reddidit reliquiasque funerum ut ad sepulcra maiorum deferrent, ultro hortatus est, super haec Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque iungerent, Athenas misit.“ Huius legationis socius Alcimachus videtur fuisse comesque Antipatri, quocum una προξενίας honorem accepit pro beneficiis in Atheniensium rempublicam collatis, idque factum haud dubie Demade rogante, qui et Euthycrati eundem honorem ab Atheniensium populo voluit tribui.

Harpocrat. Λητή. Ὑπερίδης κατὰ Δημάδου. Λητὴ πόλις ἐπὶ τῆς Μακεδονίας. μνημονεύει δὲ αὐτῆς πολλάκις Μαρσύας ὁ νεώτερος ἐν ϛ΄ Μακεδονικῶν. De Marsya cf. Frid. Ritschelium Prooem. Lect. Vratislav. aestat. MDCCCXXXVI. p. 8. Eadem habet Suidas, qui prave scripsit Λιτή. Λήτη etiam Stephano Byz. dicta.

Harpocrat. Μηκύβερνα. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου. πόλις ἐστὶν ἐν Θράκῃ σταδίους κ΄ ἀπέχουσα τῆς Ὀλύνθου ἡ Μηκύβερνα. De hac urbe cf. Steph. Byzant. i. v. Mecyberna urbs socia erat Olynthiorum. Cf. Voemel. Proleg. in Demosth. Philipp. et Olynth. pag. 25. Cepit eam Philippus proditione, antequam Olynthum ipsam et exercitu et pecunia aggrederetur. Cf. Diodor. Sic. XVI, 53.

Harpocrat. *Βουφόνια.* *Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου. ἑορτή τίς ἐστι παρ' Ἀθηναίοις.* Cf. Creuzer. Symbol. IV. p. 122 sqq. et Hefterum de rebus sacris Rhodiorum I. p. 25.

Athenae. X. p. 424. d. *Καὶ ἐν τῷ κατὰ Δημάδου δὲ ὁ Ὑπερίδης εἴρηκε „Ῥαδιεστέραν τὴν πόλιν.“* Recensentur eo loco plura *ἀνωμάλως* formatorum comparativorum exempla.

Harpocrat. *Θριπήδεστον.* *Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου Θριπήδεστον τὴν Ἑλλάδα εἶπεν ἀντὶ τοῦ διεφθαρμένην, ἀπὸ τῶν ὑπὸ θριπῶν κατεδηδεσμένων ξύλων.* Quod scriptum est in libris nonnullis *Θριπηδέστατον*, a recta verborum formandorum ratione abhorret. Cf. Arist. Thesmoph. vs. 427. Theophr. Hist. plant. V, 1. Lycophr. vs. 598. Aelian. Hist. anim. XVI, 14. Apud Photium i. h. v. item corrige *Θριπηδέστατα* in *Θριπήδεστα*, et *Θριπηδεστόν* scribe *προπαροξυτόνως*. Quod autem Suidas in v. *Θριπηδέστατον* Hyperidis orationem *κατὰ Δημάδου* commemoravit, et altero loco i. v. *Θριπήδεστον* ita ab Hyperide Graeciam refert dictam esse, ad eundem locum pertinere utrumque existimato, quae Harpocrationis verba, ac corrige prius *Θριπηδέστατον* in *Θριπήδεστον*. Cf. praeterea Etymolog. M. Hesych. i. h. v. et Eustath. ad Odyss. *α*. p. 1403. Rom., qui sua e Pausaniae lexico hausit. Prave ante Kusterum apud Suidam scribebatur *κατὰ Δημάρατον*. Ceterum *Θρῖπας* intellige proditores a Philippo corruptos.

Etym. M. *ἐπίβολος* (scribe *ἐπήβολος*) — — *ὃ σημαίνει τὸν τυγχάνοντα τοῦ σκοποῦ* — *Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάρχου. Μήτε πόλιν μήτε πολιτείας ἐπήβολον γενέσθαι* — *ἔστι δὲ οὐ ποιητικὴ ἡ λέξις ἀλλ' Ἀττική.* In quibus Sylburgius scite admonuit *πόλεως* scribi oportere, cum *πόλις* significet ius civitatis, *πολιτεία* ius capessendae tractandaeque rei publicae seu publicorum munerum. Infeliciter autem pro *Δημάρχου* scribi voluit Sylburgius

Δεινάρχου. Fugerat eum Eustathii locus p. 1448. Rom.: *ἐπήβολος δὲ οὐ ποιητικὴ λέξις ἀλλὰ Ἀττικὴ κατὰ τοὺς παλαιοὺς, οἷς καὶ προφέρουσι. Σοφοκλῆς .... Πλάτων ... Ξενοφῶν .... Ὑπερίδης κατὰ Δημάδου· μήτε πόλεως μήτε πολιτείας ἐπηβόλους γενέσθαι.* De duplici vocabuli significatu cf. Bekk. Anecdota p. 252., ac de formae ratione cum similibus comparata Lobeck. ad Phrynich. p. 699.

Harpocrat. *παλαμναῖος. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου. τοὺς αὐτοχειρίᾳ τινὰς ἀνελόντας τῇ παλάμῃ παλαμναίους ἐκάλουν, ὡς καὶ Αὐτοκλείδης ἐν ἐξηγητικῷ ὑποσημαίνει.* Cf. Phot. i. v. Creuz. Symbol. II. p. 519.

Harpocrat. *παρεῖαι ὄφεις. — — — ὁ δὲ Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημάδου γράφει ταυτὶ εἶναι δὲ τοὺς ῥήτορας ὁμοίους τοῖς ὄφεσι. τούς τε γὰρ ὄφεις μισητοὺς μὲν εἶναι πάντας, τῶν δὲ ὄφεων αὐτῶν τοὺς ἔχεις τοὺς ἀνθρώπους ἀδικεῖν, τοὺς δὲ παρείας αὐτοὺς τοὺς ἔχεις κατεσθίειν.* Et haec sunt insigni cum virulentia dicta in eos, qui suorum civium salutem proditione perverterunt. Eodem refero *παρείας ὄφις* apud Schol. Aristoph. Plut. vs. 690. (p. 229 sq. Hemsterh. ed. Lips.), in quo pro Lycurgo reponas Hyperidem. Harpocratio enim et Scholiasta si inter se comparantur, animum advertit, quod utriusque orationem *κατὰ Δημάδου* commemoratam praecedit unus idemque locus Demosthenicus. Cf. Fragm. Lyc. p. 65. sq.

Cum Demea, Demadis filio, Hyperides bis videtur transegisse in iudicio. Quae enim citatur oratio Hyperidis *κατὰ Δημέου ξενίας, εἰ γνήσιος*, dicta haud dubie fuit in Demadis filium a tibicina procreatum. Huius haec reperiuntur fragmenta: Harpocrat. *Ὀσχοφόροι. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημέου, εἰ γνήσιος.* Harpocrat. *Κυρία ἐκκλησία. Ὑπερ. ἐν τῷ κ. Δ. ξενίας, εἰ γνήσιος*, Harpocrat. *χαλκεῖα. Ὑπερ. ἐν τῷ κ. Δ.* (B. C. *Δήμου*) *ξενίας.* Harpocrat. *δειπνοφόρος.*

Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημέου. λέγεται δὲ καὶ τὰς δειπνοφόρους καταλέγεσθαι νῦν, ὅτι αἱ τῶν κατακεκλειμένων παίδων μητέρες εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν, ἐν ᾧ διητῶντο, καὶ αὐταὶ συνῆσαν ἀσπασόμεναι τοὺς ἑαυτῶν." Vales. τὰς ἑαυτῶν. Cf. Odofr. Mueller. Sacra Minervae Poliados p. 14. 15. Ab hac vero diversa fuit Hyperidis oratio πρὸς τὴν Δημέου γραφήν, commemorata apud Pollucem V. 15.: σκευοποιήματα δὲ Ὑπερείδης ἐν τῷ πρὸς Δημέαν et apud Harpocrat. i. v. Λουσιεύς. Ὑπερ. ἐν τῷ πρὸς τὴν Δημέου γραφήν. utrobique sine ullo incertae fidei indicio.

De

Hyperidis oratione πρὸς Ἀριστογείτονα *).

Quod Plutarchus dicit in vita Hyperidis (Vol. XII. p. 269. edit. Hutten.) ἐπολιτεύσατο Ἀθήνῃσι, καθ' ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος τῶν Ἑλληνικῶν ἥπτετο πραγμάτων, id in tres potissimum actiones ab Hyperide institutas cadit, in caussas Aristogitoni, Philocrati et Demostheni dictas, quarum prima versabatur tota in defensione decreti post cladem Chaeronensem propositi, quo de Plut. p. 270. κριθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ Ἀριστογείτονος παρανόμων ἐπὶ τῷ γράψαι μετὰ Χαιρώνειαν, τοὺς μετοίκους πολίτας ποιήσασθαι — — — ἀπέφυγεν. Illud decretum autem, de quo statim accuratius erit agendum, omnium, quaecunque Hyperides pro republica et fecit et dixit, cum gloriosissimum tum vero etiam prudentissimum est iudicandum. Praeterquam enim, quod satis illud luculento testimonio est, Hyperidis auctoritatem apud populum Atheniensem illo tempore tantum valuisse, ut fere Demostheni par haberetur, ex ipsius decreti temporumque, quibus latum est, diligenti contemplatione manifestum fit, Hyperidem patriae fuisse amantissimum, nec tamen ullo modo Atheniensium gratiae indulsisse, non assensum populi captasse, sed salutem unice ac libertatem spectasse, idque non tumultuariis consiliis, quae facilis eventus specie credulae multitu-

*) Edit. in Quaestionum Atticarum specimine (Cizae 1832.) p. 14. sqq.

dini blandirentur, sed ea suadentem, quae et tempori convenirent, et ab Atheniensibus, dummodo voluissent temporum necessitati inveteratas quasdam opiniones concedere, perfici potuissent. Namque quum post cladem Chaeronensem Atheniensium res in summum discrimen essent adductae, Athenis, qui Philippo favebant, saepius et calidius verba faciebant de summa rerum Philippo tradenda, quem ut saluti Graecorum omnium quam maxime prospicere, ita erga Athenienses praeter ceteros Graecos benevolentissimo ferri animo aiebant. Illo tempore, quamquam periculosa et dubia eorum conditio erat, qui bellum suadendo auctores illius cladis quodammodo facti erant, nullius maior erat auctoritas apud populum, quam Demosthenis et Hyperidis, quorum quae alter fecerit, nunc non attinet pluribus exponere (cf. Demosth. de coron. p. 309 sq. et Winiewskium lib. laud. p. 274 sq.), Hyperides autem decretum illud proposuit, quo nisi mox pacem fecissent Athenienses et Philippus (qua de pace cf. Diodor. XVI, 87. Iustin. IX, 4. Plut. Phoc. XVI. Demosth. p. 304. 319.), Athenarum salus poterat instaurari. Demosthenem ipsum huius rogationis adiutorem fuisse, admodum probabiliter coniecit Blumius (Excurs. I. ad Lycurg. Leocrat. p. XVII., ubi pro Ruhnkenii scribatur necesse est Reiskii, ne quis in errorem inducatur), qui potiora quaedam huius decreti capita tractavit.

Quaestionis autem de argumento decreti Lycurgi orationem adversus Leocratem, quae fere tota pendet ex illo decreto, fundamentum esse volumus. Capite enim XI. orator, ut Athenienses intelligant, quae qualiaque tempora fuerint, quibus Leocrates patriam turpiter fugiendo prodiderit, scribam recitare iubet Hyperidis decretum atque inde in cursu orationis haec profert: ὅτι τὴν βουλήν, τοὺς Πεντακοσίους, καταβαίνειν εἰς

Πειραιᾶ χρηματιῶσαν περὶ τῆς φυλακῆς τοῦ Πειραιέως ἐν τοῖς ὅπλοις ἐδοξε καὶ πράττειν διεσκευασμένην, ὅ,τι ἂν δοκῇ τῷ δήμῳ συμφέρον εἶναι· quae ipsa decreti verba videntur esse. Iam si quis dubitare vellet, utrum ea, quae paullo inferius ex decreto recitantur ab oratore: *ἡνίχ' ὁρᾶν ἦν τὸν δῆμον ψηφισάμενον τοὺς μὲν δούλους ἐλευθέρους, τοὺς δὲ ξένους Ἀθηναίους, τοὺς δὲ ἀτίμους ἐντίμους·* ex eodem Hyperidis decreto, an ex alio quodam, populi iussu atque auctoritate facto, sumpta sint, is profecto et Atticarum antiquitatum parum peritum se proderet, et multorum scriptorum testimonia prorsus contemneret. Illa enim de servorum, peregrinorum et infamium statu mutando rogata tam constanti reliquorum scriptorum consensu ad Hyperidem auctorem referuntur, ut usus ille loquendi apud Lycurgum planissime explicetur. Comprobanda vero etiam Blumii coniectura est, qui suspicatur, etiam Lycurg. XIII, 2.: *ἔτι δὲ ὁ δῆμος δεινὸν ἡγησάμενος εἶναι τὸ γιγνόμενον ἐψηφίσατο ἐνόχους εἶναι τῇ προδοσίᾳ τοὺς φεύγοντας τὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος κίνδυνον·* ad Hyperidis decretum pertinere; quamquam non intelligo prorsus argumenta Blumii. Videtur autem ita ratiocinari: „Lycurgus in oratione decretum Hyperidis commemoravit. Quodsi eiusdem orationis aliquo loco aliud respiceret decretum, hoc accuratius fuisset significandum, praesertim quum verbis istis decretum extraordinarium indicari tum e verbo *ἐψηφίσατο* appareat, tum legibus *ἀστρατείας* similiumque criminum poenae constitutae sint.“ Sed summa vis persuasionis nititur in argumenti cognatione. Etenim qui non solum rogaverat, ut quicunque in urbe essent, ad militiam adigerentur, sed etiam ut exules periculi caussa restituerentur, eundem etiam illud decrevisse, ne quis patriam desereret, quam maxime est probabile.

In

In aliorum autem scriptorum testimoniis afferendis exordium faciam a Plutarchi verbis vit. Hyper. pag. 270.: ἐπὶ τῷ γράψαι, τοὺς μετοίκους πολίτας ποιήσασθαι, τοὺς δὲ δούλους ἐλευθέρους, ἱερὰ δὲ καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας εἰς τὸν Πειραιᾶ ἀποθέσθαι· ex quibus etiam hoc apparet, Lycurgum (Leocrat. cap. VI, 1.) ex eodem Hyperidis decreto repetiisse, quae nulla Hyperidis mentione facta narrat de uxoribus liberisque in Piraeeum congregandis deque strategorum officio. Liberos et uxores in Piraeeum congregare Atheniensibus suaserat propter loci firmitatem, de qua cf. Leakium pag. 354. sqq. (translat. vernacul.); et quod etiam senatum eodem delegavit, explicatur eo, quod Demosthenis aetate etiam populi conciones nonnumquam in Piraeeo habebantur, quode cf. Schoemann. de comitiis Athen. p. 56. sqq. Plutarchum Photius sequitur, qui eadem fere iisdem verbis reddidit. Decreti autem quasi summam ab antiquis scriptoribus in eo positam fuisse, quod Hyperides rogaverat de servis in liberorum statum recipiendis, probatur duobus locis tum Dionis Chrysostomi, qui fugit Blumium pariter atque erudita Meieri adnotatio in libro de bonis damnator. pag. 50., tum Longini (περὶ ὕψους cap. XV, 10.). Apud Dionem enim orat. XV. p. 453. Reisk. scriptum est ita: Ἀθηναίων ψηφισαμένων μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην τοὺς συμπολεμήσοντας οἰκέτας ἐλευθέρους εἶναι, εἰ προὔβη ὁ πόλεμος ἀλλὰ μὴ διελύσατο θᾶττον ὁ Φίλιππος πρὸς αὐτούς, πολλοὶ ἂν τῶν Ἀθήνησιν οἰκετῶν ἢ μικροῦ πάντες ἐλεύθεροι ἦσαν, οὐχ ὑπὸ τοῦ δεσπότου ἕκαστος ἀφεθείς. In Longini autem verbis: ὁ Ὑπερίδης κατηγορούμενος, ἐπειδὴ τοὺς δούλους μετὰ τὴν ἧτταν ἐλευθέρους ἐψηφίσατο, τοῦτο τὸ ψήφισμα, εἶπεν, οὐχ ὁ ῥήτωρ ἔγραψεν, ἀλλ' ἡ ἐν Χαιρωνείᾳ μάχη. Ἅμα γὰρ τῷ πραγματικῷ ἐπιχειρεῖν κ. τ. λ. mirum quid sibi excogitavit Weiskius. Codicum enim scriptura, quam exhibui-

mus, ne ex Longino tolleretur, argumentationibus speciosioribus quam verioribus abusus est. Quapropter etiam Mori coniecturam felicissimam, probatam a Toupio et Porti libro confirmatam, πραγματικῶς scribi iubentis, reiecit. Primum autem usum loquendi repugnare dicit, quominus scribatur πραγματικῶς ἐπιχειρεῖν eo significatu, ut res ipsa sive materia tractanda intelligatur, qua in re neminem facile sibi habebit assentientem. Immo ne ipse quidem in usu loquendi castigando sibi satisfecisse videtur. Postquam enim ipse vidit πραγματικῶς ἐπιχειρεῖν utrumque posse significare, et πραγματικοῦ more modoque aliquam rem capessere et πραγματικὴν ἐπιχείρησιν ποιεῖσθαι, neque invenit, quo se contra hanc obiectionem tueretur, omnes dubitationis scrupulos cuivis radicitus se exempturum esse opinatus est coniectura quadam sua, qua etiam aliud quoddam vitium in Longini verbis sibi visus est emendasse. Etenim ut ne ἐπιχειρεῖν careret dativo, articulum τῷ duplicavit atque hocce scripturae genus commentus est: τῷ τῷ πραγματικῷ ἐπιχειρεῖν, quod et audacius est et inconcinnius, quam ut ferri possit. Equidem prorsus amplector Mori coniecturam, quum nihil sit proclivius quam τὸ προσγεγραμμένον ι et ς a librariis commutari, qua de re cf. Schaefer. Meletem. crit. p. 112 sqq. Cum illo Hyperidis dicto: τοῦτο τὸ ψήφισμα οὐχ ὁ ῥήτωρ ἔγραψεν, ἀλλ' ἡ ἐν Χαιρωνείᾳ μάχη· quod praeter Longinum Plutarchus quoque vit. Hyper. copiosius retulit cum hocce additamento: αἰτιωμένων δέ τινων αὐτόν, ὡς παριδόντα πολλοὺς νόμους· Ἐπεσκότει μοι (ἔφη) τὰ Μακεδονικὰ ὅπλα· commode contendi potest Demadis, hominis facetissimi, vox memoriae prodita a Demetrio de elocut. §. 284. Schneid. τοῦτο τὸ ψήφισμα οὐκ ἐγὼ ἔγραψα, ἀλλ' ὁ πόλεμος Ἀλεξάνδρου δόρατι γράφων. Quod quidem dictum quum Schneiderus a Plutarcho et Longino

Hyperidi adscribi ait, duplicíter errat. Non vidit enim, necessario utrumque dictum ad tempus diversum pertinere, quum Hyperides etiamdum Philippo vivente illam vocem ediderit. Schneiderum in errorem duxit, quod simili ratione alterum Demadis dictum, a Demetrio h. c. commemoratum, Leosthenì a Plutarcho (de fortuna Alex. p. 336.) tribuitur. Quod autem hanc auctoritatis varietatem ei non mirum visum iri Schneiderus dicit, qui meminerit nulla Demadis scripta exstitisse, hoc, etsi non elevabo fragmento illo περὶ δωδεκαετείας, incommode tamen huc est tractum, ubi agitur de dictis, quae poterant ore hominum ferri, etiamsi non essent de suggesto pronunciata orationibusque scriptis immixta. Quoniam autem Schneiderus Demadis dictum de Draconе attigit, quasi praeteriens moneo, idem a Tzetza Chiliad. V, 347. repeti atque a sophistis nonnullis ad Lycurgum oratorem translatum esse. (Cf. Plutarch. vit. Lycurg. orat. Edit. Hutten. vol. XII. p. 251.)

Sed ne longius aberremus, orationem eo reducamus, unde exorsi sumus, ad recensum scriptorum, qui de Hyperidis decreto verba fecerunt. Non est enim praetereundus auctor orationis alterius adversus Aristogitonem, quae inter Demosthenicas circumfertur. Is hoc unum tradit, illo decreto ἀτίμους factos esse ἐντίμους (p. 803. Reisk.). Quod ne falso intelligatur, quasi restitutio τῶν ἀτίμων summa fuerit decreti, animus advertendus est ad loci illius naturam. Accusaverat enim Lycurgus Aristogitonem, quod ἐντίμων iura usurpaverat, ut supra est dictum. Demosthenes igitur, qui subscripserat accusationi, vel quisquis in oratione ista Demosthenis agit personam, ita poterat argumentari: Aristogito, quamquam Hyperidem, qui ψήφισμα scripsit de ἀτίμων restitutione, παρανόμων accusavit, nihilominus nunc ipse.

ἄτιμος ἐπιτιμίαν sibi postulat, idque non παρὰ νόμους se facere arbitratur, sed iure suo. — Vocat autem orator pag. 804. decretum ἴσον καὶ κοινὸν ἅπασι τοῖς πολίταις· pro iure enim civitatis, in cuius societatem inquilini, peregrini ac servi civium beneficio venerant, hi ab illis in summis angustiis auxilium recipiebant. Ultimo loco commemoranda sunt Apsinis verba: Μετὰ Χαιρώνειαν γράφει Ὑπερείδης τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους πείσας ποιεῖν (Τέχνῃ ῥητορικῇ. Ald. Rhet. Tom. I. p. 687.).

Quae rogaverat Hyperides, ea assensum populi tulisse testatur illud Lycurgi δῆμον ψηφισάμενον, de quo iam supra dictum est; quamquam non ita multo post pace cum Philippo facta remotis iis, quorum caussa decretum factum erat, etiam decretum antiquatum esse credendum est. Cf. Dion. Chrysost. l. c. Huius decreti accusator exstitit Aristogito idque παρὰ νόμους latum esse Hyperidi crimini dedit. Quo accusationum genere nullum erat Athenis magis frequentatum propter ingentem legum multitudinem, quae novis legibus non abrogabantur. Cf. Schoemannum de comit. Athen. p. 159—170. et p. 272—281. Atque de civitate quidem Attica leges erant Periclis et Aristophontis Azeniensis, de quibus cf. Meierum de bonis damnatorum pag. 70. sqq. Wachsmuth. Antiq. graec. publ. I, 2. p. 448. append. VIII. et Car. Frid. Hermann. lib. laud. pag. 222. et pag. 334. not. 13. Ne exules restituerentur, quod suasisse Hyperidem infra monstrabitur, cautum erat sacramento iudicum, de quo cf. Schoemann. de re iudic. Athen. p. 129.

Inde autem, quod lege sancitum fuit apud Athenienses, latorem sive legis sive psephismatis non posse παρανόμων accusari, nisi ante exactum a psephismate aut lege lata annum (cf. Schoemann. de comit. Athen. p. 278. not. 64.), consectarium fit, primo post cla-

dem Chaeronensem anno Hyperidem ab Aristogitone accusatum esse. Itaque quum pugna apud Chaeroneam commissa sit mense Metagitnione Olymp. CX, 3, aut hoc ipso anno, aut proximi initio necesse est instituerit Aristogito actionem παρανόμων adversus Hyperidem. Temporis autem, quo Hyperidis decretum perlatum est, non habuit accuratam rationem Schmidtius Excurs. ad Dinarchum pap. 112., quum ad Demosthen. Aristogit. II. p. 803. (ἵν' ὁμονοοῦντες ἅπαντες ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας προθύμως ἀγωνίζωνται, ὅταν τις κίνδυνος τηλικοῦτος καταλαμβάνῃ τὴν πόλιν) adnotaret haecce: „Unde colligere possis, non tantum ad pugnam Chaeronensem spectasse illam legem, sed iussum esse, ut quandocumque similis isti pugnae calamitas accidisset, inquilini fierent cives etc. Nescio tamen recte tanta declamationis istius auctori haberi possit fides." Qui enim potuit rogare Hyperides, ut quando calamitas accidisset, tum demum civium numerus inquilinis, servis aliisque augeretur, quod factum esset cum nullo utilitatis fructu ad tantum beneficium? Sed pertinet Hyperidis decretum ad solum tempus post pugnam Chaeronensem, quo tempore Athenienses, inter spem et metum distracti, neque de pace cogitarent ineunda neque de bello fortiter continuando, Philippus vero cum exercitu Athenas ipsas aggredi velle videretur.

Huius igitur decreti accusator exstitit Aristogito, contra quem Hyperides sese defendit oratione πρὸς Ἀριστογείτονα, cuius fragmenta iam I. Meursius in Bibliotheca Attica collegit et A. Schmidtius l. l. p. 115 sqq. In hanc orationem cadit fortasse Theonis iudicium Progymnasm. p. 17. edit. Camerar. πολλὰ δέ ἐστι καὶ ἐξειργασμένα μᾶλλον παρὰ τοῖς ἑτέροις αὐτῶν· τὸ γοῦν Κυλώνειον ἄγος μᾶλλον τοῦ Ἡροδότου καὶ Ἐφόρου (ita enim recte scripsit Marxius Ephor. fragm. p. 8. pro Εὔφρονος, quamquam Valckenario ad Herodot. p. 407.

κατ' Εὐφρόνιον coniiciente) ἐξείργασται Θουκυδίδῃ· καὶ Δημοσθένης δὲ μᾶλλον Ὑπερίδου τὴν γεγενημένην Ἀθηναίοις ταραχήν· ὅτι ἦκεν ἑσπέρας κ. τ. λ.

In singulis vero fragmentis illustrandis me convertо primum ad Suidam, qui s. v. ἀπεψηφίσατο hoc servavit fragmentum: Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα. Ὅπως πρῶτον μὲν μυριάδας πλείους ἢ δεκαπέντε, τοὺς ἐκ τῶν ἔργων τῶν ἀργυρείων καὶ τοὺς κατὰ τὴν ἄλλην χώραν. ἔπειτα τοὺς ὀφείλοντας τῷ δημοσίῳ καὶ τοὺς ἀτίμους καὶ τοὺς ἀπεψηφισμένους καὶ τοὺς ἀποίκους. Quibus verbis ab oratore illas hominum classes recenseri, ut ostendat, quanti ponderis fuerit rogatio quantamque hominum multitudinem complectatur, nulla potest dubitatio esse. Serves igitur prime loco enumerat Hyperides, ut quorum maior sit numerus quam ceterorum in civitatem recipiendorum. Attamen hoc non ita est cum Schmidtio accipiendum, quasi orator demonstrare voluerit, quantam virorum multitudinem ad bellum gerendum civitas probata illa lege acceptura esset. Eiusmodi consilium enim esset Hyperidis decretum suadentis, non defendentis. Ostendendum igitur erat oratori, quantam militum accessionem habitura fuisset civitas, si iterum bellandum fuisset contra Philippum. Inde autem quod hocce debebat Hyperidis consilium esse, non consequitur necessario, Hyperidem illo numero serves milites numerasse, sed hoc tantum, accedere eorum multitudinem civitate accepta ad cives reliquos, i. e. ex eorum quoque numero posse milites sumi. Nam, si accurate contemplamur verba Hyperidis, apparet Hyperidem non de universo grege servorum, quotcumque per Atticam alebantur armis ferendis pares, loqui, uti A. Schmidtius eius mentem intellexisse videtur, sed de duabus tantum servorum classibus, de iis, qui in argenti fodinis occupabantur et de iis, qui ad reliqua negotia

campestria adhibebantur, qualia sunt agrum colere, pecora curare, lapides caedere, similia. Χώρα enim urbi opponitur. Exclusit igitur orator omnes eos servos, qui per urbem, demos et classem quoque dissipati erant. Quodsi omnes servos comprehenderit isto numero, qui arma ferre possent, qui potuit tam exiguum numerum servorum metallicorum, quorum circiter viginti milia in Attica erant, (cf. Boeckh. Oeconom. civil. Athen. I. pag. 43.) opponere reliquae servorum multo maiori multitudini? Utrum vero servis, qui Suidae verbis non significantur, civitatem denegarit necne, neque ego diiudicare possum, neque alium quem diiudicaturum puto. Ceterum cf. de hominum frequentia in Attica terra et de servorum multitudine Boeckh. l. l. pag. 35 — 43. et Clinton. Fast. Hellen. pag. 397 — 401. ed. Lips., qui p. 400. hunc quoque Suidae locum attigit. Adiungit autem Hyperides τοὺς ὀφείλοντας τῷ δημοσίῳ καὶ τοὺς ἀτίμους, cuius divisionis rationem, nam etiam οἱ ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ erant ἄτιμοι, minus recte intellexit A. Schmidtius, cum dicit: „Deinde orator agit de ἀτίμοις eosque iterum bifariam dividit in ὀφείλοντας τῷ δημοσίῳ et in ἀτίμους (haud dubie, quod tam multae fuerunt ἀτιμίας caussae, ut dividendi finis non adfuisset, si semper caussam addere voluisset.“) Non est enim fortuito illa, ab oratore facta divisio, sed ratione atque consilio. An putandum est, item a Polluce, quod finem dividendi non invenerit, scriptum esse Onom. VIII, 122.: ἐδίκαζον δὲ οἱ ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη ἐκ τῶν ἐπιτίμων καὶ μὴ ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ? Quae quidem divisio in contrario genere facta est. Οἱ ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ infamia notati erant maxima eorumque numerus solebat esse satis frequens atque iccireo infamium quasi agmen ducunt. Accedit, quod huius ἀτιμίας fiscalium debitorum prorsus alia origo ac conditio erat

quam reliquarum. Cf. Meier. de bonis damnat. p. 137., a quo in iis, quae de Aristonici laudabili facinore dixit, aliquantulum discedo, coniecturam quandam meam secutus. Aptum enim facio Aristonici factum ex Hyperidis decreto. Aristonicus igitur, quum lege ἐπίτιμος factus esset neque opus haberet debitam civitati pecuniam solvere, nihilominus pecuniam solvit patriae calamitatem sublevaturus. Neque Demosthenis verba (de coron. pag. 329.) καὶ τὸ τελευταῖον, Ἀριστόνικος τὸ συνειλεγμένον εἰς τὴν ἐπιτιμίαν ἀργύριον· nostrae sententiae obstant. — De ἀπεψηφισμένοις iam Schmidtius citavit utilissimos Meieri, Schoemanni et Platneri libros atque Grammaticorum et Lexicographorum locos exscripsit Taylorus praefat. ad Demosth. orat. adv. Eubulid., qui propter inusitatum verbi ἀποψηφίζεσθαι significatum immerito quosdam de Demosthene illius orationis auctore dubitasse satis superque ostendit. De ἀπεψηφισμένοις Suidas s. v. ita disserit: Ἐπὶ τοῖς δήμοις ἀποψηφίσεις ἐγίνοντο τῶν γεγραμμένων μὲν εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, οὐκ ὄντων δὲ ἀστῶν, ἀλλὰ παρεγγεγραμμένων εἰς τὴν πολιτείαν· καὶ οὗτοι ἐλέγοντο ἀπεψηφισμένοι, ἐπειδὴ ψήφου περὶ αὐτῆς ἐπαχθείσης οὐκέτι μετεῖχον τῆς πολιτείας. Lege autem, quam servavit auctor argumenti orationis Eubulideae et persecutus est Sam. Petitus Legg. Att. lib. II. tit. III, leg. XII., constitutum erat, ut ii in inquilinorum censum referrentur, qui popularium iudicio peregrinitatis convicti essent. Diversa significatio, quae in verbo ἀποψηφίζεσθαι obtinet, absolvere et condemnare, ex ἀπό praepositionis vi ac potestate derivanda est. Est autem in hoc verbo idem praepositionis usus, qualis est in ἀποστράτηγον ποιεῖσθαι (Demosth. p. 669. 7.), ab imperio militari revocare, et in v. ἀποχειροτονεῖν, non alienus a primaria eius significatione, qua motum indicat ex aliquo loco proficiscentem, ab ali-

qua re declinantem. Itaque ἀποψηφίζεσθαί τινα vel τινος est aliquem τῷ ψῆφον διδόναι removere ab aliqua re, sive a criminatione, h. e. absolvere, sive e iure quodam, veluti civitatis, quam significationem h. l. habemus. Ita apud Dionem Cass. p. 101, 43. Reim. est τὸν νόμον ἀπεψηφίσαντο· et p. 197, 84. ἀπεψηφίσαντο πάντα τὰ περὶ αὐτοῦ ἐγνωσμένα· eodem significatu atque hic loci. Neque alio pertinet exemplum Xenophonteum (Hist. Graec. VII, 3, 2.) a Meiero allatum, qui in libro de bonis damnat. p. 85. not. 280. aliam quandam viam ingressus est huius diversae significationis explicandae. — Vocabulum ἄποικοι Schmidtius mutavit in μέτοικοι, idque iure fecisse videtur, nisi si quis aut colonos ipsos eo vocabulo declarari statuat, ut quorum magnus semper numerus Athenis commoraretur, aut τοὺς ξένους. Quod autem Schmidtius eadem voce etiam ἰσοτελεῖς comprehensos esse dicit, hoc non videtur necessarium esse; poterat enim Suidas Hyperidis locum non integrum exscribere, quippe qui solum ἀπεψηφισμένοι explicare voluerit. Omisit Suidas fortasse τοὺς ξένους καὶ τοὺς ἰσοτελεῖς, quamquam de iis in oratione dictum erat.

Transeundum est ad aliud fragmentum, quod latine translatum servavit Rutilius Lupus lib. I. de figur. sent. et elocut. p. 63 sqq. ed. Ruhnk. quodque pertinere ad orationem πρὸς Ἀριστογείτονα primus vidit David. Ruhnkenius. Veterum librorum scriptura haec est: „Quid a me saepius his verbis de meo officio requiris? Scripsisti, ut servis libertas detur. Scripsisti, ne liberi servitutem experirentur. Scripsisti, ut exules restituerentur. Scripsisti, ut ne quis exilio afficeretur. Leges igitur, quae prohibebant haec, non neglegebas? Non poteram, propterea quod litteris earum arma Macedonum opposita obsistebant.“ Ex quibus verbis Ruhnkenius quum negaret

ullam unquam sententiam elici posse, a divinandi arte remedium petiit. Mutata igitur ingeniose tota orationis forma satis elegans ac vividum dicendi genus oratori conciliavit hocce: „Scripsisti, ut servis libertas detur? Scripsi, ne liberi servitutem experirentur. Scripsisti, ut exules restituerentur? Scripsi, ut ne quis exilio afficeretur. Leges igitur, quae prohibebant haec, nonne legebas? Non poteram, propterea quod litteris earum arma Macedonum opposita obficiebant.“ In qua mutata membrorum ratione Ruhnkenius felicissimam ingenii sagacitatem testimonio comprobavit luculentissimo. Effecit enim hanc sententiam orationi isti accommodatissimam. Quaerenti Aristogitoni: Scripsisti, ut servis libertas detur? respondet orator: scripsi quidem hoc, sed iccirco, ne Athenis a Philippo captis liberi in servitutem raperentur; atque ad alteram quaestionem scripsisse se affirmat, sed factum esse hoc eo consilio ait, ne a Philippo, Athenarum domino, ii exilio afficerentur, qui Atheniensibus defendendae libertatis bellique contra Philippum suscipiendi auctores fuissent. Quod autem Ruhnkenius facillima sane emendatione non neglegebas mutavit in nonne legebas, hoc mihi vel minus quam Toupii non legebas placet. Ubi enim interrogat Aristogito nonne legebas? necesse est arbitretur, lectas fuisse leges ab Hyperide. Tendit autem Aristogitonis interrogatio eo, ut crimini detur Hyperidi, quod non legerit, neglexerit leges, atque huic sententiae magis convenit Toupii non legebas, quo haec sententia efficitur: Leges igitur non legebas, quas legere debebas? Miror autem Ruhnkenium, quod graeca Plutarchi verba adscripsit, nec tamen servavit in latinis Rutilii imitationem, praesertim quum felicissime restituerit obficiebant ex comparatione graeci ἐπεσκέτο. Meme-

rabilis est enim imaginis similitudo in negligere et παριδεῖν, quam tenendam equidem censeo. Quaerit igitur Aristogito: Leges non neglegebas? cui respondet Hyperides: Non poteram, scilicet non neglegere, quod est legere, spectare, atque translata significatione omnino curare, rationem rei habere.

Harpocrat. s. v. *Εὐρυσάκειον*. *Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα. τέμενός ἐστιν Εὐρυσάκους τοῦ Αἰάντος ἐν Ἀθήναις οὕτως ὀνομαζόμενον ἐν Μελίτῃ.* De Eurysace cf. Tzetz. ad Lycophr. vs. 53. et Plut. Solon. c. X. *Φιλαῖος καὶ Εὐρυσάκης, Αἰάντος υἱοὶ — — — ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ.* Pausan. I, 35, 2. *Καὶ γὰρ Εὐρυσάκους βωμός ἐστιν ἐν Ἀθήναις*· non indicata regione. Suidas cum Harpocratione congruit s. v. *Εὐρυσάκης*. Ex comparatione Philochori verborum apud Harpocrationem s. v. *Κολωνίτας* et Pollucis lib. VII., 133. verisimile fit, Eurysaceum non tam ad Meliten regionem pertinuisse, quam ad Colonum forensem sive urbanum; id quod etiam Odofr. Muellerus, V. Celeb., statuit in additamentis ad Leakii librum de Athenarum urbe p. 463. (translat. vernacul.), ubi ingeniosissime novam viam praeivit ad definiendum quarundam urbis partium situm. Potuit autem eiusmodi confusio ex propinquitate oriri. Cf. Schol. ad Aristoph. Aves. 998. et Pausan. I, 14, 3. *Μελίτη δῆμος* adscriptus erat tribui Cecropidi secundum Harpocrat. s. v. *Μελίτη*, quamquam discrepat Stephanus Byzant., de quo discrimine cf. Grotefend. de pagis Atticis p. 30. Sed haec discrepantia in *δήμῳ Μελίτῃ* non pertinet ad regionem *Μελίτην*, in qua secundum Harpocrationem Eurysaceum exstructum erat. Accurate enim discernendum est inter Ceramicum, Collytum, Melitam, Colonum, Eupyridas et Marathonem regiones urbis Athenarum et *δήμους* Atticae his cognomines. Cf. Odofr.

Mueller. in Encyclop. Univers. s. v. Attica. Vol. VI. p. 227. de Doriens. reb. II, p. 71. Prolegom. ad mytholog. p. 429. et Boeckh. Corp. Inscript. p. 309. Quem ad finem et quo nexu cum orationis argumento Eurysaceum ab oratore commemoratum fuerit, expiscari non potui, nec magis perspicio, quo consilio Hyperides locutus sit de Oeneide et Cecropide tribubus, quarum nomina ab Harpocratione ex oratione πρὸς Ἀριστογείτονα afferuntur.

Quae autem rationes Schmidtium permoverint, ut cum Oeneidis tribus commemoratione arctissime cohaerere diceret fragmentum aliud, quod habet Harpocrat. s. v. Οἰνόη καὶ Οἰνοαῖος· (Boeckh. Corp. Inscr. n. 105. et 153. Οἰναῖος.) Καὶ ἔφασαν ἐν Οἰνόῃ ἀχοῦσαι, ὅτι μάχη εἴη γεγονυῖα· perspicere nequeo, quum Oenoe pertinuerit ad tribum Hippothoontidem. Quum duo fuerint eiusdem nominis oppida in Attica, intelligendam esse censeo Oenoen prope Eleutheras sitam. Erat enim huius Oenoes is situs, ut inde in Boeotiam proficisceretur Atheniensium theoria Delphica, de qua cf. Mueller. de Dor. reb. I. p. 239 sq. Meursii igitur iudicium falsum esse arbitror, qui in libro de populis Atticis pag. 89. in Libanii loco ex apolog. Demosthen. Ἐλάτειαν κατείληφεν, ἀλλ' οὐ Πάνακτον, οὐδὲ Δεκέλειαν οὐδὲ Οἰνόην· alteram Oenoen prope Marathonem sitam intelligi voluit. Demosthenes enim Libanii dicit, Philippum Elateam quidem expugnasse, sed nondum ea castella, quibus aditus ad Athenas ipsas ab Elatea munitus sit. Decelea ex belli Peloponnesiaci historia notissima est et Panactum castellum erat in angustiis Trium capitum situm. Cf. Harpocrat. Suid. Steph. Byzant. s. v. et Thucyd. V, 3. 39. Oenoe autem castello, etiam Decelea et Panacto occupatis, Athenae poterant per tempus defendi. Exemplo est bellum Peloponnesiacum, quo Oenoe post Deceleam

demum a Spartanis occupatam et Panacti muris eversis in Boeotorum manus pervenit. Falsa igitur etiam Krusius tradidit Hellad. Vol. II. p. 274. Plane autem conveniunt Hyperidis verba Oenoes situi a nobis descripto. Chaeronea enim Athenas proficiscentibus transeundum erat castellum Oenoe.

Harpocrat. s. v. *Ναύκληρος· Ὑπερίδης ἐν τῷ περὶ τοῦ ταρίχους οὐ μόνον ὡς ἡ συνήθεια χρῆται τῷ ὀνόματι, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ μεμισθωμένου ἐπὶ τῷ τὰ ἐνοίκια ἐκλέγειν, ἢ οἰκίας, ἢ συνοικίας, ὡς ὁ αὐτὸς ῥήτωρ δηλοῖ ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα.* De hac verbi *ναύκληρος* significatione cf. Boeckh. Oecon. civil. Athen. I. p. 329. Potuit autem orator eo loco *ναυκλήρων* mentionem facere, ubi de inquilinis agebat, qui domos conducere solebant, quum ipsi non haberent domorum possessionem. Cf. Xenoph. *περὶ πόρων* II, 6. Eadem verba, quae Harpocratio, etiam Photius et Suidas habent s. v. omissa orationis inscriptione.

Photius s. v. *ὅσιον. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονά φησι· καὶ τὰ χρήματα τά τε ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια.* Eadem Harpocrat. s. v. et Suidas. Schmidtius igitur cum dicit, a Photio laudari orationem Hyperidis *κατ' Ἀριστογείτονος*, a reliquis *πρὸς Ἀριστογείτονα*, certe Photii exemplar Porsonianum non inspexit. De discrimine orationum *πρός τινα* et *κατά τινος* cf. praeter F. A. Wolfium Prolegom. ad Demosth. Leptin. p. CLII. Meierum de re iudic. Athen. p. 167. n. 12. De *ἱεροῖς καὶ ὁσίοις* nolo post Platnerum et Schoemannum plura disserere. Cf. quae Schmidtius citavit p. 116. not. 59. Suasisse videtur Hyperides, ut omnes res, tum quae ad cultum et sacra pertinerent, tum quarum civilis et quodammodo profanus usus esset, in Piraeeum, utpote tutissimum locum, conferrentur, scilicet eae, quae transportari possent.

Schol. Plat. Phileb. 140. 8. *Μὴ κινεῖν κακὸν εὖ*

κείμενον, ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς ἐξ ἀγνοίας (apud Beck. edit. Tauchnitz. Vol. III. est ἀνοίας), πράγματα ἐγειρόντων, ταύτης μέμνηται καὶ Ὑπερίδης ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα· Καὶ οὐδὲ ἐκ τῆς παροιμίας δύνασαι μανθάνειν τὸ μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον. Quod potuit dictum esse ab Hyperide, vel quod Aristogito cladem Chaeroneensem in accusatione non ita commemorarit, uti Atheniensium et conditio et honos flagitabat, vel quod ἀτίμων restitutionem Hyperidi crimini dederit ipse quondam ἄτιμος. Proverbio autem, quod etiam apud Suidam reperitur et cuius origo et sententia explicatur a Scholiasta l. c., magis videtur convenire ἀνοίας. Ceterum cf. Erasmi Adag. p. 45.

Praeterea I. Meursio fragmentum unum deberemus, nisi virum alioquin diligentissimum oculorum acies fefellisset. Voluit enim ad hanc orationem traduci Ulpian. ad Olynth. II. Edit. Wolf. Vol. V. p. 264. in accessionibus ex Lutetiana Ulpiani editione petitis. Ubi postquam dictum est de διαθέσθαι pro συνθέσθαι posito, haec sequuntur: ὡς Ὑπερίδης καὶ Δημοσθένης ἐν τοῖς ἑξῆς. ἑκατέρα δὲ τούτων κεῖται καὶ ἐπὶ τὰς διαθήκας γράφειν. Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα. Huius igitur erroris originem Schmidtius falso a Fabricio (Biblioth. Graec. Vol. II. p. 876. ed. Harl.) repetiit. Isaei orationem πρὸς Ἀριστογείτονα praeter Ulpianum commemorat Dionysius Halicarnasseus in iudicio de Isaeo (Vol. V. p. 613. Reisk.) et Harpocrat. s. v. Ἐνεσκευασμένην. Abusus est autem illo Ulpiani loco etiam Reiskius adnotat. ad Demosthen. p. 1199., quum Hyperidi vindicare vellet Demosthenicarum adversus Aristogitonem priorem, qua in re miror, quod Bernhardy, V. Clar., ei adstipulatur (Wissenschaftliche Syntax der griech. Sprache p. 27. n. 49.) Cf. Schmidtii Excurs. ad Dinarch. p. 113.

De Hyperide oratore Attico

commentatio III. *)

ΥΠΕΡ ΚΑΛΛΙΠΠΟΥ ΠΡΟΣ ΗΛΕΙΟΥΣ.

Ex eis quae Longinus de sublim. sect. XXXIV. de Hyperidis virtute oratoria disputat, eum dicit: *εἰ δ' ἀριθμῷ, μὴ τῷ ἀληθεῖ, κρίνοιτο τὰ κατορθώματα, οὕτως ἂν καὶ Ὑπερίδης τῷ παντὶ προέχοι Δημοσθένους. Ἔστι γὰρ αὐτοῦ πολυφωνότερος καὶ πλείους ἀρετὰς ἔχων καὶ σχεδὸν ὕφαιρος ἐν πᾶσιν, ὡς ὁ πένταθλος, ὥστε τῶν μὲν πρωτείων ἐν ἅπασι τῶν ἄλλων ἀγωνισχῶν λείπεσθαι, πρωτεύειν δὲ τῶν ἰδιωτῶν·* facile quispiam coniiciat, quomodo factum sit, ut Hyperidi generis varii causae publice mandarentur, in his a fori usu conciouumque consuetudine alienae. Hyperidis enim multiplex eloquentia fere unicuique caussarum generi par habebatur. Praeterea etiam multum videtur versatus fuisse in priscorum temporum historia, in fabularum vetustate, in rerum sacrarum orginibus aliisque id genus rebus. Hoc quum appareat ex insignis Deliacae orationis fragmentis, etiam in eam quadrat orationem, quam *ὑπὲρ Καλλίππου πρὸς Ἠλείους* oravit. Huius orationis mentionem fecit Plutarchus, qui fertur, in vita Hyperidis p. 87. Westerm. his verbis: *ἐπέμφθη δὲ καὶ πρὸς Ἠλείους ἀπολογησόμενος ὑπὲρ Καλλίππου τοῦ*

*) Praemissa progr. Posnaniensi a. 1846.

ἀθλητοῦ ἔχοντος αἰτίαν φθεῖραι τὸν ἀγῶνα' καὶ ἐνίκησε. Eandem caussam aliquanto accuratius et plenius significavit Pausanias lib. V, 21, 5: Εὐπώλου δὲ ὕστερόν φασιν Ἀθηναῖον Κάλλιππον ἀθλήσαντα πένταθλον ἐξωνήσασθαι τοὺς ἀνταγωνιουμένους χρήμασι, δευτέραν δὲ ἐπὶ ταῖς δέκα τε καὶ ἑκατὸν Ὀλυμπιάδα εἶναι ταύτην. ἐπιβληθείσης δὲ τῷ Καλλίππῳ καὶ τοῖς ἀνταγωνισαμένοις ζημίας ὑπὸ Ἠλείων, ἀποστέλλουσιν Ὑπερίδην Ἀθηναῖοι πείσοντα Ἠλείους ἀφεῖναί σφισι τὴν ζημίαν. ἀπειπόντων δὲ Ἠλείων τὴν χάριν, ἐχρῶντο ὑπεροψίᾳ τοιᾷδε ἐς αὐτοὺς οἱ Ἀθηναῖοι, οὔτε ἀποδιδόντες τὰ χρήματα καὶ Ὀλυμπίων εἰργόμενοι, πρὶν ἢ σφισιν ὁ θεὸς ὁ ἐν Δελφοῖς οὐ πρότερον ἔφησεν ὑπὲρ οὐδενὸς χρήσειν πρὶν ἢ τὴν ζημίαν ἀποδοῖεν Ἠλείοις. οὕτω δὲ ἀποδόντων ἐποιήθη τῷ Διὶ ἀγάλματα, ἓξ μὲν καὶ ταῦτα. γέγραπται δὲ ἐπ' αὐτοῖς ἐλεγεῖα οὐδέν τι δεξιώτερα ἐς ποίησιν ἢ τὰ ἔχοντα τὴν ζημίαν τὴν Εὐπώλου. γνῶμαι δέ εἰσι τῶν ἐπιγραμμάτων, πρῶτον μὲν ἀνατεθῆναι τὰ ἀγάλματα μαντείᾳ τοῦ θεοῦ τιμήσαντος τὰ ἐς τοὺς πεντάθλους δόξαντα Ἠλείοις. τὸ δὲ ἐπὶ τῷ δευτέρῳ καὶ ὡσαύτως ἐπὶ τῷ τρίτῳ Ἠλείους ἐπαινοῦντά ἐστιν ἐπὶ τῶν πεντάθλων τῇ ζημίᾳ. τὸ τέταρτον δὲ ἐθέλει λέγειν τὸν Ὀλυμπίασιν ἀγῶνα ἀρετῆς εἶναι καὶ οὐ χρημάτων. τὰ δὲ ἐπιγράμματα ἐπὶ τῷ πέμπτῳ τε καὶ ἕκτῳ τὸ μὲν αὐτῶν δηλοῖ, καθ' ἥντινα αἰτίαν ἀνετέθη τὰ ἀγάλματα, τὸ δὲ ἀναμιμνήσκει τοῦ χρησμοῦ τοῦ Ἀθηναίοις ἐλθόντος ἐκ Δελφῶν.

Pausaniae debemus primum temporis designationem. Callippus enim illud scelus adversariorum a se corruptornm commiserat Olympiade CXII. et quum primo quoque Olympiadum anno Olympia celebrarentur, primo huius Olympiadis anno, ut falsa sit Westermanni memoria Plut. p. 87 not. 25 istam rem alteri anno Olymp. CX. tribuentis. Videtur autem Hyperides statim post detectam fraudem Elidem missus esse, ut Callippi caussam defenderet. Quae defensio

quum

quum prospero eventu caruisset, una certe Olympiade videntur Athenienses a celebrandorum Olympiorum communione exclusi fuisse, donec Delphici oraculi auctoritati obsecundantes irrogatam mulctam solverunt. Facta haec sunt in Graecia, dum Alexander in Asia et Africa occupatus est bello Persico. Sed Pausaniae etiam plura debentur. Huius enim scriptoris quum certa sit auctoritas ac fides in eis rebus quas ipse viderat, in artis potissimum monumentis enumerandis et describendis, palam fit Plutarchum istum personatum parum ad rei veritatem apposite tradidisse, Hyperidem cum felici successu pro Callippo ad Eleos verba fecisse. Dicuntur enim Elei ἀπεπεῖν τὴν χάριν ac postquam Athenienses frustra a sacrorum usu exclusi fuerunt, Delphici demum oraculi iussu effectum est, ut Athenienses Eleis irrogatam poenam solverent. Idque eo certius est, quo maiorem fidem Pausaniae verbis conciliant monumenta ista publice erecta, quae Pausanias ipse videtur coram adspexisse. Possimus sane in Pausaniae fide acquiescere ac Plutarchea nihili facere, quandoquidem hoc in scriptore multi hoc de genere errores resident. Sed videtur quod hoc loco commissum est vitii, non tam scriptoris quam librariorum esse. Ut enim Plutarchus et Pausanias sibi concilientur, effici potest facili quadam mutatione. Quid, si coniicias scriptum fuisse apud Plutarchum antiquitus φθεῖραι τὸν ἀγῶνα καὶ νικῆσαι. Hac mutatione admissa sententiam habemus rei veritati prorsus consentaneam. Callippus enim non solum corruperat τοὺς ἀνταγωνιουμένους, quod ipsum per se turpe et criminosum fuit, sed per foedam istam largitionem etiam victoriam reportaverat. Crimen igitur duplex quodammodo fuit. Quod quum a librario non perspiceretur, eo proclivius fuit ἐνίκησε scribere, quo propius adstat, quod statim in

fine vitae Hyperidiae subsequitur γραψάμενος δὲ ἡττήθη. Solet enim in recensendis orationum caussis haud raro addi, quem eventum oratoris eloquentia habuerit. Sed neque hoc ubivis fieri solet, quo de comparas mode Plut. vit. Hyper. p. 86. Lycurg. p. 66. Westerm., et ne convenire quidem videtur illud ἐνίκησε praegresso ἐπέμφθη ἀπολογησόμενος. Quare etiamsi quis ἡττήθη scribi velit, ut ne haec oratio eventus testimonio careat, id non probaverim. Quod denique ἐνίκησε in νικῆσαι mutavi sententiae pondere commotus, id si ad litterarum similitudinem revocandum est nemini audacius factum videbitur. Minus certe placet, quod Meierus, praeceptor meus dilectissimus, in Encyclopaedia universali, quae dicitur, quo loco de ludis Olympicis disputat — pag. 313 not. 49 —, scriptum fuisse suspicatus est καὶ οὐκ ἐνίκησε.

Sed quaeritur, in quonam iudicio caussa ista agitata sit, quoniam Eleorum appellatio in inscriptione orationis addita non tam certa ac perspicua est, ut nulla possit oboriri dubitatio. Ac Siebelisius quidem, Pausaniae editor, suspicatus est eiusmodi caussas ad Senatum Olympicum relatas fuisse a Pausania lib. V, 6, 4. et lib. VI, 3, 3. commemoratum. Ex horum locorum priore apparet, Xenophontem, quum Athenis exsilio electus Scilluntem urbem Eleis ereptam dono accepisset, maiestatis in Olympico consilio postulatum caussam dixisse et παρὰ Ἠλείων συγγνώμης τυχόντα dein impune Scillunte domicilium habuisse. Qui enim apud Eleos antiquitatis memoriam conservabant, receptum fuisse a suis Scilluntem memorabant, aegre ferentes, quod in suam terram Xenophon peregrinus Lacedaemoniorum iussu immissus fuisset. Antequam autem huius narrationis usus quidam fiet, defendendus esse videtur Pausanias contra Kruegeri obiectionem quandam Quaestion. critic

de Xenophontis vita pag. 28. statuentis, finxisse Eleos istos antiquitatis indagatores, Xenophontem diutius Scillunte commoratum eiusque sepulcrum statua ornatum esse, quoniam exploratum sit Xenophontem non Scillunte mortuum esse. Nam si vere demonstravit Kruegerus Olymp. CII, 2. Scilluntem ab Eleis receptum esse, et Xenophontem non ante Olymp. CVI, 2. decessisse (Quaest. crit. pag. 30.), ac si fides habenda est Diogeni Laertio, qui, ob id ipsum a Kruegero in subsidium vocatus, Xenophontem post Scilluntem ab Eleis recuperatum πρότερον εἰς Ἦλιν ὑπεξελθεῖν tradidit, non videtur adeo incredibile fuisse, quod narraverunt isti ἐξηγηταί Pausaniae, nam nihil constat de tempore, quo Xenophon ad filios Leprei commorantes se contulerit; quod fieri potuit, postquam ab Eleorum Senatu Scilluntem recepit. Neque sepulcrale illud monumentum morandum est, nam statuam in eo erectam non isti antiquarii Xenophontis esse dicebant, sed accolarum vulgus, diversum ab istis hominum genus. Quaenam autem in hac caussa partes fuerint consilii Olympici, quod ludos potissimum curasse credendum est, vix exploraveris. Xenophon enim in ius vocatus est, quod agrum Scillantium a Lacedaemoniis accepisset. Videntur igitur Elei ita in Xenophonte egisse, ut quem agrum Lacedaemoniorum beneficio possideret, eundem quasi iure quodam postliminii a se reciperet. Quod absolutus est Xenophon, eo redit, ut restitutus esse in agri Scillantii possessionem videatur. Sed quid haec ad Olympicum senatum? Aut credas agrum istum, qui prope abest ab Olympia, ad consilii munia pertinuisse, aut omnino omnem terram Eleorum eius tutelae ac curae fuisse demandatam. Neque discrimen quoddam Pausaniae videtur nosse, quo Olympicum consilium et Eleorum populus distinguerentur. Altero isto loco

Pausaniae lib. VI, 3, 3. narratur, quum ad curriculi metam hellanodicae tres assedissent, ex iis duos palmam Eupolemo Eleo dedisse, tertium Leonti Ambraciotae; Leontem eorum utrumque, quorum sententia inferior discesserat, quum ad Olympicum senatum provocasset, aere gravi condemnasse. Ex his apparet senatum Olympicum summum fuisse iudicium, quod appellabatur ab iis, qui hellanodicarum sententiam aegre tulissent. Atque idem contestatum est Aeliani quadam historia Var. hist. lib. X, 1, qui tradit Pherenicen, quum hellanodicae eam a spectaculo ludorum prohiberent, ad ius cum ipsis descendisse et superasse et legem et populum i. e. τῶν Ἠλείων. Quem ad locum Aeliani quae adnotavit Perizonius, in eandem sententiam dicta sunt. Sed illud non possum probare, quod Perizonius ex iis quae apud Pausaniam de Xenophontis caussa Olympica narrata sunt collegit, diversam fuisse τὴν Ὀλυμπιακὴν ab Eleorum populo. Persuasit enim sibi, Xenophontem quum in Olympico senatu iudicatus esset, dein ab Eleis veniam accepisse; sed κριθῆναι quod dictum est apud Pausaniam, non est iudicatum esse sed reum esse actum. Iam vero si definiendum est, quonam in iudicio Hyperidis oratio pro Callippo habita sit, sequendi sunt Plutarchus, Pausanias et cuius testimonium statim afferam, Harpocratio, qui omnes πρὸς Ἠλείους locutum esse Hyperidem testantur. Ad Eleorum populum autem ista res relata est, non quod ea maioris momenti esse videretur, quod Perizonius voluit, sed quoniam ludorum tempore praeterito litium in ludis conflatarum diiudicatio ad Eleorum populum redibat. Neque opus esse videtur, quod Meierus p. 313. significavit, in Pausaniae verbis ἐπιβληθείσης δὲ τῷ Καλλίππῳ καὶ τοῖς ἀνταγωνισαμένοις ζημίας ὑπὸ Ἠλείων (lib. V, 21. 3.) Eleorum nomine declaratos esse hel-

lanodicas, nam ista mulcta et ab hellanodicis et a populi iudicio potuit Callippo eiusque adversariis irrogari. Quomodo autem factum sit, ut Atheniensium populus Callippi mulctam in se susciperet, neque e Pausaniae verbis neque ex Plutarcho fit perspicuum. Credendum est civitates graecas, uti victorum laudes et honores sibi vindicabant, ita damna quoque eorundem publice compensasse.

In oratione ipsa orator commemoravit hellanodicas, quod Harpocratio testatur s. v. *Ἑλλανοδίκαι. Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ Καλλίππου πρὸς Ἠλείους κ. τ. λ.* Non potuit enim in eiusmodi caussa nullam illius magistratus mentionem iniicere.

Dein aliud commemorandum est Harpocrationis lemma hocce: *Ἐλευσίνια· Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ Καλλίππου. τοῖς νικῶσι τὰ Ἐλευσίνια ἐδίδοτο ἆθλον. ὠνομάσθη δὲ ἡ πόλις Ἐλευσὶς ἀπὸ Ἐλευσίνου τοῦ Ἑρμοῦ.* Post *Ἑρμοῦ* addunt DE (codd. Bekkeri) *ἄλλοι δὲ ἄλλας αἰτίας φασὶ καὶ ἑορτὴν εἶναι μόνον τὰ Ἐλευσίνια.* Ut Eleusinia commemoraret orator, adductus est haud dubie eo, quod Eleusiniorum festo etiam ludi agonales celebrabantur, de quibus cf. Lobeck. Aglaoph. I. p. 206. Ludi Eleusinii antiquissimi fuisse dicuntur in Graecia ap. Aristidem Panathen. Vol. I. p. 168. Dind. *τίθησι δὲ καὶ ἀγῶνας πρώτη πόλεων ἁπασῶν*, et Eleusin. Vol. I. p. 417. Dind. *ἀγῶνά τε γυμνικὸν γενέσθαι πρῶτον Ἐλευσίνι τῆς Ἀττικῆς καὶ τὸ ἆθλον εἶναι τοῦ καρποῦ τοῦ φανθέντος.* Suspiceris Hyperidem, qui versatissimus erat in priscorum temporum historia, Atheniensium qui primi ludos fecissent merita in hoc sacrorum genere Eleis collaudasse, vel comparasse utrosque ludos, vel priorem quandam Callippi victoriam in Eleusiniis ludis reportatam ad reum iudicibus commendandam commemorasse.

Removenda denique ab hac oratione coniectura quaedam Kuehnii est, qui quum ap. Pollucem Onom.

VII, 191. scriptum repperisset: Ὑπερίδης δὲ ἐν τῷ ὑπὲρ Μηνάλου ἔφη, ἐμισθώσατο τυλυφάντας· et lib. X, 39.: ὧν καὶ τοὺς τεχνίτας ἔοικεν Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ μίκας ὀνομάζειν εἰπὼν ἐμισθώσατο τυλυφάντας· neque aliunde hos titulos cognitos haberet, quos patet ad unam orationem pertinuisse sibi et quod pluris est Hemsterhusio persuasit, significari a Polluce hanc orationem ὑπὲρ Καλλίππου idque probabile reddere studuit mutata inscriptione in ὑπὲρ νικᾶς, quum Hyperides Callippum in Eleorum iudicio non potuerit nisi Doxica dialecto defendere. Sed si unquam nomina omen habent, certe hic Kuehnium iusto audaciorem fuisse dixeris. Toupius Emend. in Suid. IV. pag. 386. aut περὶ αἰκίας aut περὶ οἰκίας scribendum esse censuit, quorum alterum ad Hyperidis orationem κατὰ Μαντιθέου αἰκίας, alterum ad eiusdem orationem πρὸς Ἐπικλέα περὶ οἰκίας referendum esset, si vere Toupius coniecisset. Sed neque haec placent, ut nimis aliena a verbis scriptoris. Corruptum esse hunc titulum perspici potest ex scripturae varietate, quae dicitur. Lib. VII, 191. enim scriptum est Μηνάλου, lib. X, 39. autem in codice Vossiano exaratum est ὑπὲρ Μίνας, in cod. Iungerm. ὑπερμικᾶς, ex quo praeter νικᾶς etiam μιμικᾶς fictum est ab editoribus. Aut igitur illud, aut hoc corruptum esse necesse est, idque Westerm. hist. eloq. Graec. Vol. I. pag. 309. n. 37. iure censuit. Mihi, ut meam aperiam sententiam, verioris scripturae vestigia in lib. X. loco inesse videntur. Μίκκα quum fuerit feminarum nomen apud Athenienses, commemoratum ab Aristophane Thesmoph. vs. 760 Fritzsch., non est quod prohibeat quominus nomen fuisse statuamus mulieris cuiusdam ab Hyperide in iudicio defensae. Constat dixisse Hyperidem orationem ὑπὲρ Φρύνης et κατ' Ἀριστογόρας eumque fuisse πρὸς τὰ ἀφροδίσια κατηγορῆ. cf. Plut. vit. Hyper. pag. 85. Westerm.

Modo scribatur *Μίκκα*, quod Aristophanis loco Fritzschius iure reposuit, praeeunte Lobeckio ad Phrynich. pag. 718. Itaque Miccae mulieris nomen servandum esse videtur, ita ut scribatur *ὑπὲρ Μίκκας*, de qua genitivi forma cf. Mehlhorn. Grammat. gr. I., 136. Quod est in cod. Iungerm. *ὑπερμικᾶς*, inde profectum est, quod lineola qua $\overline{\kappa}$ duplex significatur accentus circumflexus librario esse videbatur. Cum hoc autem titulo ut etiam, quod in priore Pollucis loco apparet scribendi genus, *Μηκάλου* vel *Μυκάλου*, concilietur opus est. Quamquam *Μίκκαλος* nomen est graecum (Arrian. VII, 19, 5.), tamen tenenda est orationis inscriptio etiam hoc loco et scribendum: *ἐν τῷ ὑπὲρ Μίκκας που ἔφη κ. τ. λ.* id est: in oratione pro Micca nescio quo loco. Ita solere *ποῦ* voculam a grammaticis adhiberi orationibus citandis duobus exemplis monstravi ad Lycurg. fragm. pag. 109. Quod iste titulus in Hyperidiis orationibus enumerandis alibi usquam non apparet, id neminem offendet, quum reputaverit idem incommodum multarum orationum esse proprium. Ceterum vocabulum ipsum a Pollucе servatum certe non abhorrentem a mulierum operibus rem denotat, *τυλιφάντας* enim sunt calcitarum textores. Cf. Lobeck. ad Phryn. p. 173., Meinek. fragm. Com. Graec. Vol. II. p. 496.

ΠΡΟΣ ΘΑΣΙΟΥΣ.

Hyperidem ad Thasios orationem dixisse, ex uno tantummodo Pollucis testimonio compertum habemus, qui Onom. lib. VII, 149. memorabile quoddam vocabulum ex ea oratione notavit. Nec tamen alienum esse videtur, causas et rationes indagare, quae inter Atheniensium populum et Thasios intercesserint, ut si fieri possit Pollucis memoriam ad veri similitudinem prope accedere demonstremus. Praetermissis iis quae ad belli peloponnesiaci tempora pertinent, de quibus cf. accurate disserentem Poppone m Prolegg. ad Thucyd. Vol. II. p. 342 — 344, ea tempora attingam, quae Demosthenicae et Hyperidiae aetati propiora sunt. Tum Thasus cum adiacentibus insulis Atheniensium imperio parebat. Cf. Boeckh. Oecon. civ. Athen. I. p. 447 sq. Apparet hoc etiam ex Demosth. Philipp. I. §. 32. p. 49: *ὑπάρχει δ' ὑμῖν χειμαδίῳ μὲν χρῆσθαι τῇ δυνάμει Λήμνῳ καὶ Θάσῳ καὶ Σκιάθῳ καὶ ταῖς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ νήσοις.* Non potuisset enim Thasus insula classi Atheniensium per hibernum tempus opportunam stationem praebere, nisi Atheniensium fuisset. Appetebat eam Philippus, Macedonum rex, ideoque exsules inde eiectos in suam tutelam receperat, quos opportuna occasione restitueret, hoc beneficio asseclas sibi inter insulae incolas paraturus. Cf. Demosth. de Halonnes. p. 80. Conquestus est in epistola ad Athenienses data pag. 159, quod Thasii pacem violassent navibus Byzantiis et praedonibus ma-

ritimis apud se refugio praebito. Atque quod cum maxime huc quadrare videtur, in eadem illa epistola pag. 163. controversiam quandam Thasiorum et Maronitarum commemorat his verbis: *καὶ λογίζεσθ' ὡς ἄλογόν ἐστιν Ἀθηναίους καὶ Θασίους μὲν καὶ Μαρωνείτας ἀναγκάσαι περὶ Στρύμης διακριθῆναι λόγοις, αὐτοὺς δὲ πρὸς ἐμὲ μὴ διαλύσασθαι. περὶ ὧν ἀμφισβητοῦμεν.* Ad hanc caussam pertinuisse videtur Hyperidis ad Thasios oratio, quam eo consilio habitam esse suspiceris, ut Thasios cum Maronitis reconciliaret. Disceptabatur autem de Stryme urbe, Thasiorum colonia, quae sita fuit in Thraciae ora (cf. Herodot. lib. VII, 108 sq. Steph. Byzant. s. v. *Στρύμη*.) et confinis fuit Maronitarum agro, nonnisi Lisso flumine et lacu Ismaride ab eo dirempta. (Parum accurate Harpocrat. s. v. *Στρύμη* ex Heraclide et Suidas s. v. Strymen insulam fuisse dicunt.) Strymenos Maroneam urbem obtinuisse aut certe appetivisse e Demosth. orat. adv. Polyclem p. 1213 disci potest. Ibi Apollodorus narrat Timomachum, imperatorem Atheniensium, postquam Thasum cum classe pervenisset, cum Thasiis Strymen frumentum et peltastas perduxisse, ut ipse hoc oppidum occuparet. Quum vero Maronitae classe instructa de eo loco cum Atheniensibus dimicaturi viderentur, necesse fuisse in ancoris in alto fluctuare et cavere ne Maronitarum triremes noctu impetum in Athenienses facerent. Haec gesta sunt Olymp. CIV, 3 vel 4. Philippi epistola Olymp. CIX, 2. ad Athenienses data est. Hinc apparet, istam Maronitarum et Thasiorum de Stryme urbe contentionem, quae Olymp. CIV. etiam tum flagrabat, ante Olymp. CIX, 2. compositam fuisse. Quae temporis ratio optime convenit Hyperidis aetati. Illius controversiae mentionem etiam Philochorus fecerat in quinto rerum Atticarum libro, adducto in testimonium Archilocho

quodam. Cf. Harpocrat. s. v. *Στρύμη*. Ne quis tamen forte miretur, quod Maronitae a rhetoribus propter virium tenuitatem et imbecillitatem ludibrio habiti cum Thasiis opulentae insulae dominis decertare valuerint, Scholiastarum ad Hermogenis locum *περὶ στάσεων* (ed. Colon. a. 1614. pag. 7.) commentarios adeat ap. Walz. Rhet. Vol. IV. p. 160. 161. 715. V. p. 67.*68. VII, p. 150. 151. 605.

Pollucis locum, in quo supra diximus huius orationis inscriptionem servatam esse, hic exscribendum curavimus: *καὶ τὸ μὲν καρποῦσθαι, κάρπωσιν λέγει Ξενοφῶν, ἣν οἱ νῦν καρπίαν. αὐτὸ δὲ τὸ καρποῦσθαι, καὶ καρπίσασθαι Θουκυδίδης λέγει. καὶ τὸ ῥῆμα καρπεύειν. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Θασίους, εὐθὺς δὲ καρπεύειν ἀγαθὴν καὶ πλείστην χώραν. τὰ δὲ καρπεῖα ἐν τῷ Γηρυτάδῃ Ἀριστοφάνης εἶπε. τὸ δὲ εὐκαρπεῖν ἐν Ταγηνισταῖς καρπεύειν.* His addamus quae de scripturae admirabili diversitate ab interpretibus adnotata sunt. Salmasii MSS. ante *νῦν* omittunt articulum *οἱ*. Verba: *αὐτὸ δὲ τὸ καρποῦσθαι, καὶ καρπίσασθαι Θουκυδίδης λέγει. καὶ τὸ ῥῆμα, καρπεύειν·* marginale esse notavit Kuehnius. *Θουκυδίδης λέγει* verba absunt a Codice A (Antwerpiano). In Cod. V. (Vossiano) post *Θουκυδίδης* haec verba sequuntur: *Ὑπερείδης ἐν τῇ πρὸς Ἀλυσίδημον* et post *Ὑπερίδης* haecce: *λέγουσι γοῦν ἐν τῷ πρὸς Θασίους, καὶ εὐθὺς κ. τ. λ.*, quibuscum conspirat Cod. A. Ex quibus si licet eam fingere loci conformationem, quae in utroque codice apparere videatur, Codicis A haec habeto: — *ἣν οἱ νῦν καρπίαν. αὐτὸ δὲ τὸ καρποῦσθαι καὶ καρπίσασθαι. καὶ τὸ ῥῆμα καρπεύειν Ὑπερίδης. λέγουσι γοῦν ἐν τῷ πρὸς Θασίους, καὶ εὐθὺς κ. τ. λ.* Codicis vero Vossiani haecce: — *ἣν οἱ νῦν καρπίαν. αὐτὸ δὲ τὸ καρποῦσθαι καὶ καρπίσασθαι Θουκυδίδης. Ὑπερείδης ἐν τῇ πρὸς Ἀλυσίδημον λέγει καὶ τὸ ῥῆμα καρπεύειν. Ὑπερίδης λέγουσι γοῦν ἐν τῷ πρὸς Θασίους, καὶ εὐθὺς*

κ. τ. λ. Quem locum haud dubie inprimis corruptum, nisi audaciorem quandam medelam adhibueris, vix sanabis. Nam ut ordine rem persequamur, ipsum initium vitio videtur laborare. Xenophon enim et καρποῦσθαι et κάρπωσιν dixit, illud multis locis, hoc Cyrop. IV, 5, 8, nunquam καρποῦσθαι κάρπωσιν. Itaque non potest haec esse sententia: pro eo quod alias καρποῦσθαι dicitur, Xenophon κάρπωσιν usurpavit, quum utroque usus fuerit. Voluit igitur H. Stephanus καί particulam ante κάρπωσιν inseri, qua in re neminem habuit consentientem. Mihi alia mens est. Quod deinceps sequitur αὐτὸ δὲ τὸ καρποῦσθαι, significat antea aliam quandam huius vocabuli rationem esse habitam. Illo enim loco spectatum videtur esse vocabulum κάρπωσις a καρποῦσθαι verbo derivatum, hoc autem loco verbum καρποῦσθαι ipsum. Quocirca ita scripserim: καὶ ἀπὸ τοῦ μὲν καρποῦσθαι κάρπωσιν λέγει Ξενοφῶν, ἣν οἱ νῦν καρπίαν. αὐτὸ δὲ τὸ καρποῦσθαι κ. τ. λ. In sequentibus offendimur Thucydidis auctoritate. Apud Thucydidem enim καρπίσασθαι frustra quaeritur, καρποῦσθαι vero bis reperitur, quod non fugit Valckenarium ad Eurip. Hippolytum pag. 211. Commode igitur Codicis Antwerpiani scriptura occurrit, Thucydidis nomen omittentis. Quam si sequimur restat: καρποῦσθαι καὶ καρπίσασθαι, quae verba antecedentibus arctius sunt adstringenda, ita ut haec oriatur sententia: a καρποῦσθαι verbo derivatum κάρπωσιν vocabulum dixit Xenophon, quam nostrates καρπίαν dicunt; pro ipso autem καρποῦσθαι verbo etiam καρπίσασθαι dicunt. Hoc vel magis probatur, quod καρπίσασθαι inter voces ab severa Atticae dialecti lege abhorrentes refertur ab Antiattic. Bekk. pag. 104. l. 5.: καρπίσασθαι: ἀντὶ τοῦ καρπώσασθαι: quod cum similibus contendit Lobeck. ad Phrynich. pag. 361. Fortasse pro αὐτὸ illud ipsum ἀντὶ scribendum est,

ut sit ἀντὶ δὲ τοῦ καρπώσασθαι καὶ καρπίσασθαι. Iam vero si ulterius progredimur, item Codicis Antwerpiani scriptura servanda nobis videtur. Quae enim in Vossiano comparent, si quidem Kuehnius eum accurate excussit et reperta perspicue declaravit, intolerabilia videntur et propter duplicem Hyperidis commemorationem, quam unius eiusdemque verbi causa factam esse apparet, et propter orationis Hyperidiae titulum corruptissimum, et propter λέγουσι γοῦν eo loco intrusum, quo omnia turbantur. Quae Kuehnius inde effinxit, nullius sunt pretii, neque Hemsterhusius in textu Pollucis exhibendo ea moratus est. Quare hic nolui repetere ea aut refutare. Sed unum Cod. Vossiani verbum animum advertit Ἀλυσίδημον. Hoc corruptum possit videri ex Θασίων δῆμον. Denique in ultimo Pollucis verbo καρπεύειν haerendum est, quod ex Aristophanis Tagenistis depromptum est. Iungermannus ita: καρπεύειν quid hic agat, non ego liquido exponam: et vix unum per alterum mihi persuadeam exponendum verbum, sed potius locum mendosum esse, si istud non plane delendum est, quasi iteratum per exscriptoris negligentiam. Ms. noster nos vero hoc in loco destituit." Quae mihi rectissime disputata esse videntur; nam εὐκαρπεῖν quum sit bonas fruges edere, et καρπεύειν fructus colligere, nequit alterum priori interpretamento esse. Irrepsit igitur haud dubie καρπεύειν e margine in verborum contextum, vel quum bis scriptum fuisset εὐκαρπεῖν in eodem enunciato, illud quod claudit verborum agmen facillima vocum transpositione in καρπεύειν permutatum est. G. Dindorfius, fragmentorum Aristophanis editor, vulnus verbis Pollucis inflictum non sensit fragm. Arist. pag. 182. Itaque si probabiliter de Pollucis loco disputavimus, ita refingendus esse videtur: καὶ ἀπὸ τοῦ μὲν καρποῦσθαι κάρπωσιν λέ-

γει Ξενοφῶν, ἣν οἱ νῦν καρπίαν· αὐτὸ δὲ τὸ (vel ἀντὶ δὲ τοῦ) καρποῦσθαι καὶ καρπίσασθαι. καὶ τὸ ῥῆμα καρπεύειν Ὑπερείδης λέγει ἐν τῷ πρὸς Θασίους (vel Θασίων δῆμον). εὐθὺς δὲ καρπεύειν ἀγαθὴν καὶ πλείστην χώραν. τὰ δὲ καρπεῖα ἐν τῷ Γηρυτάδῃ Ἀριστοφάνης εἶπε. τὸ δὲ εὐκαρπεῖν ἐν Ταγηνισταῖς. Ceterum nihil mihi poterit fieri gratius, quam si in I. Bekkeri editione, quae dudum exspectatur, Pollucis verba clarissima in luce collocata apparebunt.

Quod si vere suspicati sumus, Hyperidem de Maronitarum et Thasiorum contentione dixisse, ista ἀγαθὴ καὶ πλείστη χώρα Strymenorum fuisse putanda est. Simile dicendi genus videas in Theopompi fragmento, quod servavit Athenaeus pag. 261.: τοὺς ἑταίρους οὐ πλείονας ὄντας κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὀκτακοσίων, οὐκ ἐλάττω καρπίζεσθαι γῆν ἢ μυρίους τῶν Ἑλλήνων τοὺς τὴν ἀρίστην καὶ πλείστην χώραν κεκτημένους.

ΥΠΕΡ ΑΚΑΔΗΜΟΥ.

Harpocrat. s. v. Ἡφαιστία. Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ Ἀκαδήμου. ὅτι β' πόλεις ἦσαν τῆς Λήμνου, Μύρρινά τε καὶ Ἡφαιστία, δηλοῖ καὶ Διονύσιος ὁ Χαλκιδεὺς ἐν γ' κτίσεων. Neque de Academo, cuius defensor fuit Hyperides, neque de caussae ratione alionde quicquam exploratum est. Nomen Academi, memoriae vetustate in Atheniensium historia clarissimum, etiam posteris temporibus in Atticis inscriptionibus comparet. Cf. Boeckh. Corp. Inscr. I. n. 115. Lemnum insulam inde a Miltiadis aetate habitarunt Attici κληροῦχοι, quos Atticam civitatem retinuisse constat. Cf. Schoemann. ad Isaeum p. 329. 330. Prope Hephaestiam urbem, de qua cf. Rhodium de rebus Lemnicis pag. 13., terra Lemnia quae dicitur sive sigillata (μίλτος) exstabat, ex qua vendenda Lemniis multum pecuniae redibat. Ex Harpocrationis verbis colligi potest, Hyperidem in oratione ὑπὲρ Ἀκαδήμου item dixisse duas esse in Lemno insula urbes Myrrinam et Hephaestiam, potissimum autem de altera urbe disseruisse. De Dionysio Chalcidensi cf. Voss. histor. gr. ed. Westerm. pag. 422. Aetate prior fuit Dionysio Halicarnassensi.

ΚΑΤ' ΑΘΗΝΟΓΕΝΟΥΣ.

Hyperidis duae contra Athenogenem orationes in antiquitate circumferebantur, quarum neutra servata est. Priorem excitavit Harpocr. s. v. *κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν.* et s. v. *βουλεύσεως*, alteram idem Harpocratio s. v. *τὰ τῶν φώρων κρείττω*, s. v. *ἀπρόσκλητον* et Apostol. Prov. XVIII, 11. Non addita numeri significatione orationem Hyperidis contra Athenogenem commemoraverunt Longinus de sublim. XXXIV, 3. et Harpocratio s. v. *ὁμόσε ἰέναι* et s. v. *ποδοστράβη*. Usitatum fuisse in Atheniensium re iudiciaria morem, ut in una caussa actor pluries diceret, Schoemannus monstravit de iudic. Athen. pag. 711. sqq. Tales orationes appellabantur *λόγοι πρῶτοι, δεύτεροι*, quas cave ne cum *δευτερολογίαις* et *συνηγορίαις* confundas. Quoniam autem utraque oratio ad eandem pertinebat caussam, fieri potuit, ut quae essent revera duae tanquam una citarentur oratio. Atque hoc modo complexus est utramque orationem Longinus de sublim. XXXIV, 3. hisce verbis: *Τό γέ τοι περὶ Φρύνης ἢ Ἀθηνογένους λογίδιον ἐπιχειρήσας γράφειν, ὅτι μᾶλλον ἂν Ὑπερίδην συνέστησεν* (Demosthenes). Haec verba ex codd. Par. Ambros. Vat. utr. Dudith. et edit. princ. inseruit Pearcius, quem secutus est Weiskius. Quod in codd. exaratum est *Φρυγίης, Φρυγός* et *Φρυγίας* iam Schurzfleischius vidit mutandum esse in *Φρύνης*. Fuerunt autem, qui haec verba e margine in verborum quem dicunt contextum irrepsisse crederent, cui iu-

dicio etiam Morus adstipulatus est. Weiskius haec adnotavit: Me quidem auctoritas librorum, sententiae gravitas cum significatione doctrinae coniuncta, eiusque locus, tum particulae ab initio positae, quae arctum cum antecedentibus nexum innuunt, et errores quidam etiam scripturae dubitare non sinunt, quin illa verba Longinum habeant auctorem. De gravitate sententiae hoc addo, nihil excogitari potuisse aptius ad extollendum quadam ex parte Hyperidem deprimendumque similiter Demosthenem. Ea igitur admirabilem vim habet in fine posita et magnum pondus ante dictis addit. Sed agnoscimus in eo Demosthenis non minus admiratorem quam imitatorem. Nam si ille, qui certas caussas longe deterius quam Hyperides tractaturus eiusque laudes infelici suo conatu illustraturus fuisset, eundem tamen, sicut omnes pariter omnium temporum oratores (id quod statim dicitur) divina sua vi et sublimitate superat: quanta tamen illa verborum tonitrua fuerunt, quorum fragore vocem eorum vicit, quae illa fulmina, quibus oculos eorum praestrinxit.“ Collaudaverat antea Longinus Hyperidis facetum et venustum dicendi genus, eius orationem commiseratione excellentem, et in fabulis molliter enarrandis virtutem. Demosthenem vero illarum artium expertem esse dixerat, huiusque rei documento esse vult, quod Demosthenes, si caussas istas Hyperidias tractaturus fuisset, multo magis Hyperidis virtutes ostensurus fuerit. γέ τοι particulae talem adfirmationem denotant, quae oppositionem in se habeat. cf. Klotz. ad Devar. II. pag. 346. Ceterum ex Longini loco colligitur orationes pro Phryne et contra Athenogenem quamquam re diversas, genere tamen simillimas fuisse et festivitate quadam dicendi excelluisse, Id ipsum autem Longinus vocabulo λογίδιον significavit, quod de brevitate oratio

tionum accipi nequit, quum tres complectatur orationes.

Ex priore oratione haec servata sunt. Harpocrat. s. v. *βουλεύσεως* — *τὸ δ' ἕτερον ὅταν ἐγγεγραμμένος ὡς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ αὐτὸς δικάζηταί τινι ὡς οὐ δικαίως αὐτὸν ἐγγεγραφότι.* — *περὶ δὲ τοῦ ἑτέρου ἐγκλήματος Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος α'. Ὑπερίδης δ' ἐν τῷ κατ' Ἀθηνογένους α' ἐπὶ ἐνέδρας καὶ ἐπιβουλῆς τῆς εἰς χρήματα ἰδίως κέχρηται τῷ ὀνόματι.* Ex Harpocratione Suidas sua hausit s. v. *βουλεύσεως· ὁ μέντοι Ὑπερίδης ἰδίως τὸ τῆς βουλεύσεως ὄνομα ἐπὶ ἐνέδρας καὶ ἐπιβουλῆς τῆς εἰς χρήματα λαμβάνει.* Hyperides igitur *ἰδίως βουλεύσεως* vocabulum usurpavit, non ad morem in iudiciis receptum, de quo cf. Meierum de re iudic. Athen. pag. 313. seq. et pag. 337. seq. Videntur autem etiam in duobus usitatis *βουλεύσεως* generibus meditatae insidiae fuisse, a quibus caussae nomen acciperent. Nam quum ad diversa delictorum genera pertinerent, non potuerunt eodem nomine nuncupari, nisi similitudine ac cognatione quadam in rei gerendae modo perspicua inter se continebantur. Hyperidis exemplum nemo posteriorum scriptorum videtur secutus esse.

Harpocrat. s. v. *κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀθηνογένους πρώτῳ. ὁ μὲν τοίνυν νόμος κελεύει ἀψευδεῖν ἐν τῇ ἀγορᾷ. ἔοικεν ὁ νόμος περὶ τῶν ὠνίων κεῖσθαι. Θεόφραστος γοῦν ἐν τοῖς περὶ νόμων φησὶ δυοῖν τούτων ἐπιμελεῖσθαι δεῖν τοὺς ἀγορανόμους, τῆς τε ἐν τῇ ἀγορᾷ εὐκοσμίας καὶ τοῦ ἀψευδεῖν μὴ μόνον τοὺς πιπράσκοντας ἀλλὰ καὶ τοὺς ὠνουμένους.* Cum Harpocratione convenit Photio et Suidae s. v., qui tantum in eo differunt ab Harpocratione, quod Hyperidiae orationis mentionem faciunt nullam et inde a verbo *ἀψευδεῖν* ita pergunt: *ἔοικε νόμος περὶ ὠνίων κεῖ-*

σθαι, ὃς κελεύει ἀψευδεῖν ἐν τῇ ἀγορᾷ. Verba: ὁ μὲν τοίνυν νόμος κελεύει ἀψευδεῖν ἐν τῇ ἀγορᾷ ex Hyperidis oratione deprompta esse apertum est, quamquam pro ἐν praepositione κατά potius exspectaveris, quod in lemmate est. Sed etsi κατὰ τὴν ἀγοράν in lege scripta erant, potuit tamen Hyperides, postquam lex in iudicio publice recitata est, ita pergere: ὁ μὲν τοίνυν κ. τ. λ. Quorsum spectaverint Hyperidis verba haud dispicias; si memineris, Longinum hanc orationem cum Phrynae defensione comparasse, facile adduceris ut ex agoranomorum commemoratione in Harpocrationis loco obvia colligas, res meretricias in ista oratione tractatas fuisse. Suidas enim s. v. διάγραμμα haec habet: διέγραφον γὰρ οἱ ἀγορανόμοι, ὅσον ἔδει λαμβάνειν τὴν ἑταίραν ἑκάστην. Nec disconveniret huic opinioni vocabulum βουλεύσεως supra tractatum.

Alteram Hyperidis orationem contra Athenogenem refert Apostol. Cent. XVIII, 11. pag. 223.: τὰ τῶν φόρων κρείττω. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Εὐθυνογένους δευτέρῳ. παροιμία λεγομένη. πλείω δὲ φερόμενοι ὧν ἠδίκησαν. Haec ex Harpocratione corrigenda sunt s. v. τὰ τῶν φώρων κρείττω. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀθηνογένους β'. παροιμία ἐστὶ λεγομένη κατὰ τῶν πλείω φερομένων ὧν ἠδίκησαν. Eadem habet Suidas s. v., sed non addito Hyperidis nomine. Westermanno (hist. eloqu. gr. pag. 307.) verba apud Apostolium πλείω κ. τ. λ. ab ipso Hyperide profecta esse videntur. Mihi secus videri iam significavi. Proverbio ipso usus fuerat Hyperides, uti Demosthenes in fine orationis περὶ εἰρήνης proverbium de asini umbra in rem suam convertit. Neque dicendi genus παροιμία λεγομένη tolerari potest et a paroemiographorum usu alienum est. Solent enim proverbiorum explicationes ita adnecti proverbiis: παροιμία ἐπὶ τῶν —, vel λέγεται ἐπὶ —,

vel ἐλέγετο —, vel ἦν ἔλεγον —, vel τάττεται ἐπὶ —, vel παροιμία δέ ἐστιν ἐντεῦθεν —, vel τατταμένη ἐπὶ —. Mirer I. Bekkerum in Harpocratione exarandum curasse φώρων pravo accentu, quum ipse Demosth. pag. 932. l. 13. et Lex. Seguer. pag. 315. recte posuisset φωρῶν. Fures enim notari (φῶρες), non speculatores (φῶροι. Hesych. Suid. s. v.), proverbium ipsum testatur, quod de iis dicitur, qui ex malefactis et iniuriis suis commodum percipiunt. Quod denique scriptum est apud Apostolium l. c. Εὐθυνογένους, nos commonefacit loci cuiusdam, qui exstat apud Cramer. Anecdot. Graec. Vol. I. pag. 52. 10., ubi haec scripta sunt: Δείναρχος δὲ ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ περὶ Εὐθυνογένους λόγῳ μόνος τῶν παλαιῶν τὸ ἐνεργητικὸν εὐθείᾳ συνέταξεν, οὐ κατὰ νόμον τῶν παλαιῶν, ἀλλὰ κατὰ λόγον τῆς ἀλόγου συνηθείας εἶπε· „ἀνέῳγεν πᾶς ὁ τόπος“ ἐχρῆν γὰρ εἰπεῖν ὁ τόπος πᾶς ἤνοικτο. Quum nulla habeatur Dinarchi oratio περὶ Εὐθυνογένους neque Euthynogenis nomen aliunde notum sit, proclivis est coniectura Hyperidi ista verba adscribenda esse. Neque obstat περί praepositio, cuius latius patet significatio. Hyperidi potius tribui velim, quam Dinarchi agnoscere orationem defensoriam pro Athenogene habitam. Scite huc retulit Sauppius in Zimmermanni annalibus a. 1835. pag. 678. Calliergae glossam Thomae Magistro pag. 31. l. 13. Ritschl. adglutinatam hancce: σημείωσαι δὲ καὶ τοῦτο· τὸ ἀνέῳγεν ἀντὶ τοῦ ἀνεῳχθη ἅπαξ εὑρίσκεται. De vocabulo cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 157.

Harpocrat. s. v. ἀπρόσκλητον τὴν οὐ προσκεκλημένην Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀθηνογένους β'. cf. Suidam s. v. Lex. Seguer. p. 440. Zon. p. 245. Addendum est δίκην. Intelligitur caussa ab actore per κλήτορας reo non denunciata. De re ipsa cf. Schoemann. de iudic. Athen. pag. 375. sq.

Addendi sunt denique duo loci, in quibus numerus orationum non designatus est. Harpocrat. s. v. *ποδοστράβη. Ὑπερίδης ἔν τε τῷ κατ' Ἀθηνογένους καὶ ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους. ποδοστράβας ἔλεγον μηχανήματά τινα ὑπὸ τῶν κυνηγετῶν κατασκευαζόμενα εἰς ἃ τὰ θηρία ἐμβαίνοντα ἡλίσκετο.* Cf. Suidas et Photius s. v. Petit. de legg. Att. p. 370. Et Harpocrat. s. v. *ὁμόσε ἰέναι. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀθηνογένους φησίν „ἀλλὰ ὁμόσε βούλομαι τῷ λόγῳ τούτῳ ἐλθεῖν“ ἀντὶ τοῦ ἐξ ἐναντίας εἰς τὸ αὐτὸ ἔρχεσθαι καὶ μὴ στρέφεσθαι μηδὲ φεύγειν.* Est comminus pugnare, concurrere, congredi. Exordio convenire videntur haec verba, quocirca Westermannus priori orationi ea tribuit. Etiam in alterius orationis exordio locum habuisse probabile est.

ΠΛΑΤΑΙΚΟΣ.

Plataicam orationem Hyperidi tribuit Plutarchus de glor. Athen. 8. Vol. VII. p. 380. Reisk. Qui postquam declaravit potiores et graviores esse res gestas ipsas, quam carmina in rerum gestarum laudem dicta, ita pergit: ἀλλὰ νὴ Δία παιδιὰ τὰ τῶν ποιητῶν· οἱ δὲ ῥήτορες ἔχουσί τι παραβαλλόμενοι πρὸς τοὺς στρατηγούς. ἐξ ὧν εἰκὸς ὡς Αἰσχίνης σκώπτων τὸν Δημοσθένην λέγειν φησὶν ὅτι γράφεται τῷ βήματι διαδικασίαν πρὸς τὴν στρατηγίαν. ἆρ' οὖν ἄξιον προκρῖναι τὸν Ὑπερίδου Πλαταϊκὸν τῆς Ἀριστείδου παραγγελίας (sic) νίκης; ἢ τὸν Λυσίου κατὰ τῶν τριάκοντα, τῆς Θρασυβούλου καὶ Ἀρχίνου τυραννοκτονίας; ἢ τὸν Αἰσχίνου κατὰ Τιμάρχου ἑταιρήσεως, τῆς Φωκίωνος εἰς Βυζάντιον βοηθείας, δι' ἧς ἐκώλυσε τοὺς τῶν συμμάχων υἱοὺς ἐνύβρισμά τε καὶ παροίνημα γενέσθαι Μακεδόνων; ἢ τοῖς κοινοῖς στεφάνοις, οὓς τὴν Ἑλλάδα ἐλευθερώσας ἔλαβε, τὸν Δημοσθένους περὶ τοῦ στεφάνου παραβάλωμεν, ἐν ᾧ τοῦτο λαμπρότατον καὶ λογιώτατον ὁ ῥήτωρ πεποίηκεν, ὀμόσας τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, οὐ τοὺς ἐν ταῖς σχολαῖς τὰ μειράκια προδιδάσκοντας. ἐφ' οἷς οὐ τοὺς Ἰσοκράτεις καὶ Ἀντιφῶντας καὶ Ἰσαίους, ἀλλὰ τούτους ἡ πόλις δημοσίαις ταφαῖς ἔθαψεν κ. τ. λ. In his quae commemoratur Hyperidis oratio Plataica quum aliunde cognita non esset, Valckenarius Δηλιακός scribendum esse censuit, qua in re Ruhnkenium hist. crit. orat. Gr. pag. LXX. habet sibi adsentientem. Sed

isti viri parum perspexerunt loci Plutarchei sententiam. Apertum est enim Plutarchum comparare orationes et res gestas, quae cognatione quadam argumenti, ut ita dicam, contineantur. Contulit igitur Lysiae orationem contra triginta viros (intelligenda est oratio κατ' Ἐρατοσθένους) cum generosa Thrasybuli et Archini fortitudine, qui triginta viros expulerunt, Demosthenis coronas, quas insigni Graecis libertatem restituendi studio meritus est, cum oratione de corona habita, Aeschinis orationem in Timarchum de impudicitia cum Phocionis expeditione Byzantia, qua filii sociorum a Macedonum lubidine defensi sunt. Unde consequitur, ut quae primo loco afferatur oratio, item Aristidis cuidam facto celeberrimo respondeat. Aristidis bellica laus e victoria Plataeensi nata erat, tenenda igitur etiam Plataica oratio est, quod recte iudicavit Boeckhius de inscript. Deliaca pag. 19. not. Sed videndum est, num Hyperidis fuisse ista oratio iure a Plutarcho dicatur. Isocratis enim exstat oratio Plataica, Hyperidis nulla circumfertur. Atque Westermannus quidem (hist. eloqu. gr. I. p. 310.) eo inclinare videtur, ut Isocratis nomen Plutarcho restituatur. Mihi secus videtur. Intelligendae enim sunt orationes revera habitae, non quae ostentandae artis gratia compositae fuere, qualis Isocratis fuit oratio Plataica. Comparantur inter se oratorum facta, quae orationibus continentur, et imperatorum, quae victoriis harumque fructibus. Itaque paullo post Plutarchus monet, non eos immortali gloria et publicis honoribus mactari, e quorum ludo et disciplina oratores proficiscantur, veluti Isocratem, Isaeum et Antiphontem, sed eos qui corporibus suis patriae salutem pepererunt. Opposuit igitur Plutarchus oratorum magistros oratoribus ipsis, Isaeum, Antiphontem, Isocratem Hyperidi, Lysiae, Aeschini et Demostheni.

Sed quaerendum est, quo factum videri possit, ut Hyperides Plataicam orationem publice diceret. Occurrit, quod intima fuit Atheniensium et Plataeensium necessitudo in bello Persico primo contracta, qua de re Isocratis Plataicum et Demosth. c. Neaer. pag. 1377. seq. conferas. Gratus Atheniensium erga Plataeenses animus post Plataeas a Thebanis Olymp. CI. 3. dirutas insigne humanitatis documentum edidit Plataeensibus qui tum erant in Atticam civitatem receptis. Nec postea beneficiorum Plataeensibus debitorum immemores fuerunt Athenienses. Quum enim de pace cum Philippo ineunda ageretur, operam dederunt Athenienses, ut etiam Plataeenses restituerentur eorumque urbs reficeretur. Ac Philippus, quo propensiores Atheniensium animos paci redderet, callide ita se gesserat, quasi vellet Atheniensium in Plataeenses benevolentiae gratum facere et Thebanos, socios suos, cogere, ut Plataeas et Thespias, similem sortem expertas, restituerent. Cf. Demosth. de pace pag. 59.: *ἡνίκα τοὺς ὅρκους τοὺς περὶ τῆς εἰρήνης ἀπειληφότες ἤκομεν οἱ πρέσβεις τότε Θεσπιάς τινων καὶ Πλαταιὰς ὑπισχνουμένων — καὶ τοιαύτας ἐλπίδας καὶ φενακισμοὺς, οἷς ἐπαχθέντες ὑμεῖς οὔτε συμφόρως οὔτ' ὤσως οὔτε καλῶς προεῖσθε Φωκέας· οὐδὲν τούτων ἐξαπατήσας οὔτε σιγήσας ἐγὼ φανήσομαι, ἀλλὰ προειπὼν ὑμῖν, ὡς οἶδ' ὅτι μνημονεύετε, ὅτι ταῦτ' οὔτ' οἶδα οὔτε προσδοκῶ, νομίζω δὲ τὸν λέγοντα ληρεῖν.* Ut Plataeae restituerentur iam antea multum Athenis agitatum esse, etiam e Demosth. or. pro Megalopolit. pag. 208. apparet, quae Olymp. CVI. 4. habita est. Quum nihil promissorum a Philippo factum esset, exprobrat Demosthenes Aeschini fraudulentam impudentiam, in commendandis Philippi vanis pollicitationibus luculenter declaratam. Cf. Demosth. de falsa leg. pag. 374 et 375. Post pugnam demum Chaeronensem Philippus Pla-

taeenses in urbem revocavit (cf. Boehnekii quaest. de orator. Att. I. pag. 497.) atque Alexander, eius filius, postea Plataeensium res sibi curae esse voluit (Boehn. p. 637.). En habes, unde probari possit, habitam fuisse ad Athenienses orationem Plataicam, qua instigarentur, ut Plataeensibus succurrerent. Quod quum Philippus cognovisset, vel studiosius se Plataeensium sospitatorem fore simulavit. Sed antequam a Plataica Hyperidis oratione ad ceteras orationes me convertam, opus est ut vitium, quo Plutarcheus locus supra exscriptus laborat, tollatur. *Παραγγελίας* enim vocabulum vitiosum esse nemo non videt. Quum Xylander *ἐν Πλαταιαῖς* correxisset, Reiskius, opinatus isto verbo significari nuncium ab Aristide ad Themistoclem allatum de Graecis ad Salaminem undique circumventis (Herod. VIII. 79. 81.), inseruit post *παραγγελίας* particulam *καί*. Meziriac adstipulante Wyttenbachio *παρὰ Πλαταιαῖς* scribi voluit. Sed si quid video neque Reiskii commentum admittendum, neque in Wyttenbachii sententiam concedendum est. Consuetus est enim praepositionis *ἐν* usus in proeliorum locis designandis. Quare si audacior videtur Xylandri emendatio, quae quidem in loci sententiam apprime quadrat, scribas vel *Πλαταϊκῆς*, vel *παραγγελθείσης νίκης*. Hoc quidem quod ultimo loco posui haec efficitur sententia: ergone dignum est praeferre Plataicam Hyperidis orationem Aristidis promulgatae victoriae? Comparatur oratio cum victoriae praeconio. Sed iudicium esto penes acutiores.

ΚΑΤ' ΑΥΤΟΚΛΕΟΥΣ.

Autocli diem dictum esse ab Hyperide, non uno veterum scriptorum testimonio certo est traditum. Nec ambiguum videtur esse, quis fuerit Autocles ab Hyperide accusatus. Etenim notus est celeberrimus quidam orator Atheniensis Autocles, Strombichidae eius qui a triginta viris interfectus est filius, qui legationem obiit ad Lacedaemonios, quum Olymp. CII. 2. Spartae de pace ageretur. (Cf. Sievers. histor. graec. pag. 235.; Ruhnk. hist. crit. orat. graec. pag. LVII. De Strombichida cf. Harpocrat. s. v. Lysiam in Nicomach. pag. 850. in Agorat. pag. 453. Lapsus est Hoelscherus de vita Lysiae pag. 145. illas de pace deliberationes Olymp. CI. 2. habitas esse affirmans.) Autoclem sollertissimum fuisse oratorem et Xenophon laudis quadam praedicatione testatus est, et oratio ipsa arguit, quam Xenophon Autocli attribuit Hellen. VI, 3. 7. Ex Autoclis oratione in Mixidemidem Aristot. Rhetor. lib. II. cap. XIII. verba nonnulla afferuntur, quae non alienum videtur hic exscribere. Postquam enim varia enthymematum genera descripta et exemplis illustrata sunt, etiam hoc additur: ὥςπερ τὸ εἰς Μιξιδημίδην εἶπεν Αὐτοκλῆς· εἰ ταῖς σεμναῖς θεαῖς καλῶς εἶχεν ἐν Ἄρεϊῳ πάγῳ δοῦναι δίκην, Μιξιδημίδῃ δὲ οὔπω; — in quibus verbis haesit Hoelscherus de vita Lysiae pag. 186., qui quum Lysiacae orationis πρὸς τὴν Μιξιδήμου γραφὴν εἰ γνήσιος fragmenta recenseret, Mixidemum contra quem Lysias

dicitur defensionem orasse, et Mixidemidem ab Autocle accusatum propterea confudit, quod *Μιξίδημος* et *Μιξιδημίδης* unius eiusdemque personae nomina esse opinatus est. Uti enim *Θούκριτος* et *Θουκριτίδης*, *Εὔδημος* et *Εὐδαμίδας*, *Θουγένης* et *Θουγενίδης* diversorum hominum nomina fuerunt, ita etiam Mixidemum Lysiae a Mixidemide Autoclis discernendum esse censeo. Videntur autem ex una eademque familia oriundi fuisse, nec absonum videri possit, Mixidemidem Mixidemi filium fuisse statuere, quum aequales fuisse Lysiam, Mixidemum et Strombichidam, et postero quodam tempore Autoclem et Mixidemidem apparet. Qua de causa Mixidemides Areopagi iudicium subire noluerit, prorsus incognitum est. Admodum autem probabiliter coniicitur, hunc Autoclem oratorem non diversum esse ab imperatore cognomini, de cuius rebus haec habete. Alexander Pheraeus, quum a Thebanis valde premeretur, quod Pelopidam et Ismeniam insigni calliditate captivos tenebat, Atheniensium imploravit opem, qui triginta naves cum mille armatis Autocle duce miserunt Alexandro epitulatum. Cf. Diodor. XV. cap. 71. et Plut. Pelopid. cap. XXVII — XXX. Commeminit auxilii ab Atheniensibus Alexandro comparati Demosth. c. Aristocr. pag. 660. his verbis: *τί δ'; Ἀλέξανδρον ἐκεῖνον τὸν Θετταλόν, ἡνίκ' εἶχε μὲν αἰχμάλωτον δήσας Πελοπίδαν, ἀχθρὸς δ' ὡς οὐδεὶς ἦν Θηβαίοις, ὑμῖν δ' οἰκείως διέκειτο οὕτως ὥστε παρ' ὑμῶν στρατηγὸν αἰτεῖν, ἐβοηθεῖτε δ' αὐτῷ καὶ πάντ' ἦν Ἀλέξανδρος κ. τ. λ.* Eandem rem attigit Harpocratio s. v. *Ἀλέξανδρος*· — *ἄλλος δ' ἐστὶν Ἀλέξανδρος Θετταλός, περὶ οὗ πάλιν ὁ Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους, τί δ' Ἀλέξανδρον ἐκεῖνον τὸν Θετταλόν; οὗτος δὲ Φεραῖος μέν ἐστι, συνεμάχησαν δ' αὐτῷ Ἀθηναῖοι κατὰ Θηβαίων, ὅτε δέσμιος ἦν παρ' αὐτῷ Πελοπίδας.* Cf. Weber. ad Dem. c. Aristocr. p. 313. Haec autem expe-

ditio suscepta est Olymp. CIII. 1. (Sievers. hist. graec. pag. 330.) Postea in bellorum ab Atheniensibus in Thracia gestorum historia Autoclis imperatoris Atheniensis fit mentio. Athenienses enim postquam pace Antalcidica Chersonesum Thraciam amiserunt, factum est Timothei potissimum virtute bellica, ut ad recuperandam Thraciae oram animos adverterent. Prime Athenienses cum Thraciae rege, Cotye, amice ac placide transegerunt, sed cum Miltocythes ab eo defecisset, et ipsi regi bellum intulerunt, quo Miltocythem sustentarent, et exercitus in Thraciam miserunt. His praefuerunt primum Ergophilus, post hunc Autocles. Cf. Demosth. c. Aristocr. pag. 655.: ὅτε *Μιλτοκύθης ἀπέστη Κότυος, συχνὸν ἤδη χρόνον ὄντος τοῦ πολέμου καὶ ἀπηλλαγμένου μὲν Ἐργοφίλου, μέλλοντος δ' Αὐτοκλέους ἐκπλεῖν στρατηγοῦ, ἐγράφη τι παρ' ὑμῖν ψήφισμα τοιοῦτον, δι' οὗ Μιλτοκύθης μὲν ἀπῆλθε φοβηθεὶς καὶ νομίσας ὑμᾶς οὐ προσέχειν ἑαυτῷ, Κότυς δ' ἐγκρατὴς τοῦ τε ὄρους τοῦ ἱεροῦ καὶ τῶν θησαυρῶν ἐγένετο. Καὶ γάρ τοι μετὰ ταῦτα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Αὐτοκλῆς μὲν ἐκρίνετο ὡς ἀπολωλεκὼς Μιλτοκύθην, οἱ δὲ χρόνοι κατὰ τοῦ τὸ ψήφισμα εἰπόντος τῆς γραφῆς ἐξεληλύθεσαν, τὰ δὲ πράγματα ἀπολώλει τῇ πόλει.* Cf. Weber. prolegg. ad orat. c. Aristocr. pag. LXIV et XXXVI. Brückner. histor. reg. Phil. pag. 38. Iman. Herrmann. de tempore, quo orationes quae feruntur Demosthenis pro Apollodoro et Phormione scriptae sint. Erford. 1842. pag. 9. cuius computationes temporum non probantur Rehdantzio de vitis Chabriae, Iphicratis, Timothei Atheniensium. Autocli post octo menses imperium abrogatum esse apud Demosth. traditur adv. Polycl. p. 1210.: *καὶ ἐνθένδε πάλιν προσταχθέν μοι* (Apollodori personam agit Demosthenes) *ὑπὸ τοῦ δήμου Μένωνα τὸν στρατηγὸν ἄγειν εἰς Ἑλλήσποντον ἀντὶ Αὐτοκλέους ἀποχειροτονηθέντος ἐχέ-*

μην ἀναγόμενος διὰ τάχους. Litem esse intentam Autocli Demosth. pro Phorm. testatur pag. 961.: οὐχὶ Τιμομάχου κατηγόρεις; οὐχὶ Καλλίππου τοῦ νῦν ὄντος ἐν Σικελίᾳ; οὐ πάλιν Μένωνος; οὐκ Αὐτοκλέους; οὐ Τιμοθέου; οὐκ ἄλλων πολλῶν; καίτοι πῶς ἔχει λόγον, σὲ Ἀπολλόδωρον ὄντα πρότερον τῶν κοινῶν, ὧν μέρος ἠδικοῦ, δίκην ἀξιοῦν λαμβάνειν, ἢ τῶν ἰδίων ὧν νῦν ἐγκαλεῖς, ἄλλων τε καὶ τηλικούτων ὄντων, ὡς σὺ φῄς; — Eodem pertinent, quae Demosth. de falsa legat. p. 398. disputat: τοῦτο τοίνυν αὐτὸ ἄνευ τῶν ἄλλων, ἡλίκον ἔστ' ἀδίκημα τὸ Θρᾴκην καὶ τὰ τείχη προέσθαι, μυρί' ἂν εἴη λέγειν, καὶ ὅσοι διὰ ταῦτ' ἀπολώλασι παρ' ὑμῖν, οἱ δὲ χρήματα πάμπολλ' ὠφλήκασιν, οὐ χαλεπὸν δεῖξαι, Ἐργόφιλος, Κηφισόδοτος, Τιμόμαχος, τὸ παλαιόν ποτε Ἐργοκλῆς, Διονύσιος, ἄλλοι, οὓς ὀλίγου δέω σύμπαντας εἰπεῖν ἐλάττω τὴν πόλιν βεβλαφέναι τούτου. Quamquam Autoclis nomen hic desideratur. Sed priusquam ulterius progrediamur, monstrandum est Autoclem et oratorem et imperatorem esse unum eundemque. Per aetatem hoc licet statuere. Autocles enim orator Lacedaemone fuit Olymp. CII. 2., Autocles imperator in Thessaliam missus est Olymp. CIII. 1.; in Thracia copiis Atheniensium praefuit, donec ei imperium abrogaretur, Olymp. CIV. 3. (cf. Boehnek. quaest. de orator. Att. I. pag. 725.) Autocli oratori patris nomen Strombichidae additum est, imperatori non item. Sed id non est mirandum, quum apud unum modo scriptorem, Xenophontem, id factum esse reperiatur. Dein aliorum Atheniensium ea aetate viventium exemplis comprobatum est, multos oratoriam laudem cum bellica virtute conciliasse, veluti Iphicratem, Callistratum et, si recte opinatus sum ad Lycurg. fragm. pag. 114., Cephisodotum. Haud ita multo post oratorum et imperatorum studia in diversas discesserunt partes. Cf. Plut. Phoc. cap. VII. Sed ex ipsis Hy-

peridiae orationis fragmentis quibusdam effici posse videtur, ut idem homo fuerit et orator Strombichidae filius et imperator. Hyperides enim in oratione *κατ' Αὐτοκλέους* triginta virorum dominatum commemoravit. Cf. Harpocrat. s. v. *Μηλόβιος*. Quid, quaeso, caussae fuerit in Autoclis Thracicae expeditionis ducis accusatione, ut illorum temporum memoriam repeteret? Sed si tenemus Autoclem filium fuisse Strombichidae a triginta viris trucidati, nihil oratori potuit esse proclivius, quam ut in vitam rei anteactam excurreret. Itaque si quid video Autocles Strombichidae filius idem fuit, qui postea in Thessaliam et Thraciam cum exercitu est missus. Sed plurium orationum adversus Autoclem habitarum tituli servati sunt. Pollux Onom. VII. 200. haec habet: *εἰ δὲ Λυσίου ὁ κατ' Αὐτοκλέους λόγος, ἐν ᾧ γέγραπται „ψηφοπαικτοῦσι τὸ δίκαιον“ εἴη ἂν ὁ ψηφοπαίκτης ἐν τέχνῃ.* In quibus Lobeck. ad Phrynich. pag. 231. ex quibusdam codicibus a Iungermanno indicatis *ψηφοπαιστοῦσι* scribi vult. Qualis fuerit oratio, quae Lysiae a quibusdam tribuebatur, certe ex Pollucis verbis disci nequit, sed vix crediderim *ψηφοπαιστεῖν* vocabulum a Lysia usurpatum fuisse. Nam si audimus Dionys. Halic. in iudicio de Lysia Vol. V. pag. 282., proprium fuit Lysiae *τὸ καθαρὸν τῶν ὀνομάτων, ἡ ἀκρίβεια τῆς διαλέκτου, τὸ διὰ τῶν κυρίων καὶ μὴ τροπικῶν κατασκευῶν ἐκφέρειν τὰ νοήματα κ. τ. λ.*, illud translatum dicendi genus, quod e Lysiae oratione notavit Pollux, argutius videtur esse, quam ut Lysiae simplicitati et tenuitati conveniat. Nec probanda est Iungermanni suspicio ad Polluc. VII. 200. declarata, qui apud Harpocrat. s. v. *ἐβδομευομένου· Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Ἐτεοκλέα περὶ χρημάτων, εἰ γνήσιος·* Autoclis nomen restituendum putavit. Quod si vere coniecisset, aut Lysias duas orationes contra Autoclem

dixisse censendus esset, et defensoriam et accusatoriam, quod mera coniectura nititur, aut in Iungermanno error quidam gravissimus exagitandus esset, ex confusione praepositionum κατὰ et πρὸς profectus. Sed praeter Lysiae supra commemoratam suspectae fidei orationem κατ' Αὐτοκλέους etiam Lycurgo oratio κατ' Αὐτοκλέους tribuitur, de qua ad Lycurg. fragm. pag. 16. seq. non ita disputavimus, ut absolvisse quaestionem nobis videamur. Quare quum nequeat de Hyperidia oratione certo iudicari, nisi simul in Lycurgeam κατ' Αὐτοκλέους orationem inquisitum fuerit, liceat hic utramque rem coniungere. Lycurgi orationem κατ' Αὐτοκλέους in vocabulis μηλόβοτος χώρα explicandis usurpavit et commemoravit Suidas his verbis: μηλόβοτος χώρα· ὑπὸ πολεμίων ἐξερημωθεῖσα, ἣν κατανέμεται τὰ τετράποδα. κεῖται δὲ τοῦνομα καὶ παρὰ τῷ Λυκούργῳ ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους. Ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε. βουλευομένου δὲ ὅπως τῇ πόλει χρήσηται, Ἀθηναῖοι μὲν μηλόβοτον ἀνεῖναι συνεβούλευον, Φωκεῖς δὲ ἀντεῖπον σῶσαι. Haec verba, ut apud Suidam exhibentur, non potuisse ex uno eodemque Lycurgeae orationis loco depromi, in aperto est positum, et ex parte comprobavit Bernhardyus ad Suidam s. v. nostrum de eo loco in Lycurgeis prolatum iudicium. In eo enim nobis ille vir adstipulatus est, quod Lycurgi commemoratione Leocratene locum, qui est cap. XXXVI. significari opinati sumus, sed quae praeterea suasimus ut audaciora reiecit, sufficere ratus, ut Lycurgi sententia verbo modo perstringatur et post Λυκούργῳ inseratur παρὰ τῷ Ὑπερίδῃ. Alterum vero enunciatum, quo Suidae lemma terminatur, ab historico quodam profectum ei videtur, qui consilia Peloponnesiorum post expugnationem Athenarum explicaret, quocirca Kusteri coniecturam amplexus est, Θηβαῖοι pro Ἀθηναῖοι refin-

gentis. Sed ut meam aperiam sententiam, quamquam nunc quidem mihi verissimum videtur Θηβαῖοι pro Ἀθηναῖοι reponere, omne mihi videtur argumentum deesse, quo historici omissio apud Suidam probetur. Si vero recte demonstravimus Autoclem ab Hyperide accusatum Strombichidae fuisse filium, haud aliena ab illa oratione fuisse videtur eorum temporum commemoratio, quae post Athenarum urbem a Lysandro expugnatam insecuta sunt. Etenim quum ex Harpocrationis locis constet, Hyperidem triginta virorum dominatum attigisse, quidni etiam tristissimam illam cladem ipsam in eadem oratione commemoraverit? Quapropter quae apud Suidam inde ab verbo βουλευομένου exstant, ex Hyperidis oratione κατ' Αὐτοκλέους videntur petita esse. Sed quae praecedunt verba, in iis etiamnunc Leocrateae locum agnosco ac video etiam Baiterum Orator. Att. p. 387. in eandem incidisse coniecturam, quam Lycurg. fragm. pag. 17. proposueram, ἀνεῖναι pro εἶναι scribendum esse opinatus. Facile autem potuisse fieri, ut in oratione quadam κατ' Αὐτοκλέους excitanda Lycurgi et Hyperidis oratorum confunderentur nomina, inde fit credibilius, quod de qua multum est dubitatum revera Lycurgi oratio in Autoclem dicta videtur fuisse. In scholiis enim Maximi Planudae ad Hermogenem de inventione Rhet. gr. ed. Walz. Vol. V. pag. 407., quem locum Hoelschero debeo de Lys. vita pag. 145., haec exhibentur: ἐλεγκτικὰ (ἐνθυμήματα) δὲ τὰ κατ' ἔμφασιν μάχης, οἷον οὐ γὰρ ἂν Σόλων μὲν αὐτὸ παρέλιπεν, Αὐτοκλῆς δὲ εὗρεν. Quae item apparent in Anonymi scholiis apud Walzium Vol. VII. pag. 766. praemissis his verbis: ὡς ἔχει ἐπὶ τοῦ Λυκούργου. In his vitiosum est ἐπὶ ac scribendum videtur παρὰ τῷ Λυκούργῳ. Verba autem ipsa κατ' ἔμφασιν μάχης i. e. repugnantiae dicta non potuerunt aliunde repeti, nisi ex Lycurgi quadam

κατ' Ἀντοκλέους oratione. Lysiae autem opinor orationem κατ' Ἀντοκλέους tributam esse ab rhetoribus vel lexicographis iccirco, quod in notissima, quae circumferebatur, κατ' Ἀντοκλέους oratione eorundem temporum tractabatur historia, in quibus fere habitare videtur orator Lysias. Quum res tractatae Lysiam auctorem arguere viderentur, dicendi autem genus respuere, factum est, ut cum dubitationis significatione Lysias auctor perhiberetur. Sed unius modo accusationis Autocli intentae testimonium exstat apud Demosth. pro Phorm. pag. 961., quo loco Apollodorus, Pasionis filius, Autoclem accusasse traditur. Qua in re neque certo demonstrari potest, utrum Hyperides an Lycurgus Apollodoro orationem conscripserit, neque omnino probaveris, ab alterutro oratoriam operam Apollodoro esse praestitam. Tenendum modo est, adversariorum accusationibus obnoxium fuisse Autoclem, id quod clarissime est declaratum. Parum aute Rehdantz. de vitis Chabriae Iphicratis Timothei Atheniensium pag. 139. not. 62. Hyperidis orationem κατ' Ἀντοκλέους in ὕβρεως actione habitam esse contendit. Nam quem attulit Harpocrationis locum s. v. ἐπὶ κόρρης, is ad Hyperidis sive Philini orationem κατὰ Δωροθέου pertinet, in cuius fragmento ab Harpocratione servato Autocles quidam commemoratur, qui Hipponici γνάθον ἐρράπισε. Sed Hyperidis orationem dictam fuisse in προδοσίας actione ex Photii loco infra commemorando apparebit. Ut denique quae certa mihi videantur esse hic summatim complectar, Lysiae nulla fuit oratio κατ' Ἀντοκλέους, Lycurgi oratio scholiorum ad Hermogenem auctoritate contestata est, et apud Suidam praeter Leocrateam Lycurgi Hyperidis κατ' Ἀντοκλέους oratio commemorata est, quae e multis quoque aliorum scriptorum testimoniis abunde est cognita. Ceterum cf. Nissen.

sen. de vita Lycurgi oratoris pag. 61. 62., qui quamquam recte repudiavit Osanni coniecturam *Αὐτολύκου* scribi iubentis, in eo errat, quod *Αυσικλέους* emendandum esse statuit, ac negat ullam fuisse Lycurgi contra Autoclem orationem. Dein cf. praeter Hoelscherum l. cit. etiam Westermann. in Paully. Lex. antiquit. graec. et roman. Vol. IV, pag. 1274, qui in Lycurgi rebus accurate enarrandis versatus apud Suidam s. v. *μηλόβοτος χώρα* Hyperidis *κατ' Αὐτοκλέους* orationem iure agnosci censet.

Iam vero ad fragmenta Hyperidiae orationis illustranda accedamus.

Harpocrat. s. v. *Μηλόβιος· Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους. ἔστι δὲ εἷς τῶν λ' παρ' Ἀθηναίοις τυραννησάντων.* Eadem habet Suidas s. v. Melobium in triginta virorum numero refert Xenophon Hellen. II. 3, 2. ac multus est in eo commemorando Lysias in oratione contra Eratosthen., quem sequitur Scheibius in rerum Atticarum circa finem belli peloponnesiaci gestarum historia pag. 80. Quod Harpocratio Melobium fuisse dicit *ἕνα τῶν λ' παρ' Ἀθηναίοις τυραννησάντων*, posterioris aetatis scriptorem declarat; isti enim triginta viri a Diodori Siculi demum aetate tyrannorum odiosum cognomen nacti sunt, quum antea οἱ *τριάκοντα* audissent. Cf. hac de re Scheibium l. c. pag. 57. not. 8. Harpocratio, prouti antiquiorem vel recentiorem secutus est scriptorem, alterutra usus est appellandi ratione. Ita tyranni appellantur Harpocrat. s. v. *Πείσων· — εἷς τῶν τριάκοντα παρ' Ἀθηναίοις τυραννησάντων*, et s. v. *Θεόγνις· — οὗτος εἷς ἦν τῶν παρ' Ἀθηναίοις τριάκοντα τυράννων.* Contra nec abhorruit Harpocratio ab antiquiore ista appellatione s. v. *Θηραμένης· — ὃς ἀνῃρέθη κατηγορήσαντος αὐτοῦ Κριτίου ἐπὶ τῶν τριάκοντα·* s. v. *Μόλπις· — οἱ δ' ἄρα κατὰ τοὺς τριάκοντα δέκα ἄρχοντες·* et s. v.

Δρακοντίδης· εἷς τῶν τριάκοντα. Ὑπερίδης. Dracontidae autem commemoratio proclivi coniectura ex Hyperidis κατ' Αὐτοκλέους oratione petita esse videtur. De Dracontidae rebus adeas Scheibii libellum pag. 56. sq. Dein si recte de Suidae loco s. v. μηλόβοτος χώρα· disputavimus, ultima lemmatis verba ex eadem nostra oratione deprompta sunt. In eo igitur, qui illic dicitur βουλευόμενος, Lysandrum agnoveris, de cuius deliberatione post expugnatas Athenas instituta cf. Scheibium lib. cit. pag. 44. seq. Magna autem pars orationis in rebus ab Autocle imperatore in Thracia gestis versata fuisse videtur. Harpocr. s. v. στρατηγοί. Δημοσθένης Φιλιππικοῖς. οἱ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν χειροτονούμενοι στρατηγοὶ ι' ἦσαν, ὡς μαθεῖν ἔστιν ἔκ τε τῶν Ὑπερίδου κατ' Αὐτοκλέους καὶ ἐκ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας Ἀριστοτέλους. In his I. Bekkerus ἔκ τε ex vulgato Harpocrationis textu retinuit, quum melius sit, quod Cod. Vratislav. praestat τοῦ. Aut enim statuendum esset, duas vel plures fuisse Hyperidis κατ' Αὐτοκλέους orationes, aut supplendum εἰρημένων, quod non aptum foret ad Aristotelii libri commemorationem. De strategis Atheniensium omnia sunt pervagata. Fortasse etiam Harpocrat. s. v. Ἐργόφιλος· καὶ οὗτος στρατηγὸς Ἀθηναίων ad Hyperidis orationem pertinet; Ergophilum enim Autoclis fuisse decessorem Demosthenis locus, qui est in Aristocrat. p. 655., docuit. Iuveniliter autem rem suam gessisse Autoclem, e proverbio colligas, quod Harpocratio servavit s. v. ἔργα νέων. τοῦτο καὶ Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους Ἡσιόδου φησὶν εἶναι. παροιμία τίς ἐστιν, ἣν ἀνέγραψε καὶ Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς οὕτως ἔχουσαν· ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. Vetustum hoc proverbium quum pluribus auctoribus videatur in antiquitate tributum fuisse, Hyperides cum quibusdam aliis ad Hesiodum retulit

auctorem. Antiquissimum fuisse proverbium illud ex fragmento Euripidio discitur hocce (fragm. 23. Matth.), quod apud Stobaeum in Florilegio servatum est:

Παλαιὸς αἶνος· ἔργα μὲν νεωτέρων,
Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος.

Idem proverbium notavit Apostolius Proverb. Centur. IX. 6. pag. 105., apud quem vitiose exaratum est *Ἀντοκλέους*, et exstat idem in Appendice Paroemiographorum ab Schneidewino et Leutschio editorum p. 436. ita scriptum: *Νέοις μὲν ἔργα, βουλὰς δὲ γεραιτέροις·* quae verba etsi versus iambici senarii speciem prae se ferunt, nihil tamen aliud videntur esse, nisi repetitio quaedam proverbii ex Euripidiis versibus cum delectu verborum deducta, ut scribi oporteat: *Νέων μὲν ἔργα, βουλαὶ δὲ γεραιτέρων.* Dativi enim nulla est ratio. Sententia autem hoc proverbio significata ex Plutarchi verbis patet pag. 789. E. (an seni sit gerenda respublica): *πειθαρχικὸν γὰρ ἡ νεότης, ἡγεμονικὸν δὲ τὸ γῆρας, καὶ μάλιστα σώζεται πόλις, ἔνθα βουλαὶ γερόντων καὶ νέων ἀνδρῶν ἀριστεύουσιν αἰχμαί* (Pind. fragm. 213. B.). Idem proverbium inficetius immutatum exstat apud Macarium ab Walzio editum pag. 241.: *ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, πορδαὶ δὲ γερόντων· τὸ δὲ λέγειν εὐχαὶ δὲ γερόντων κρεῖττον καὶ εὐφημότερον*, cuius spurcae interpolationis origo repetenda est ex Strab. lib. XIV. 4, 14. pag. 674. Ceterum *ἔργα* et *βουλαί* vocabula a Graecis saepe contendi Dissenius docuit ad Pindar. Nem. I. 29., quem excitavit Schneidewinus loco supra indicato. Similis autem videtur caussa fuisse, cur Eueni poetae mentionem iniiceret orator. Harpocrat. s. v. *Εὔηνος· Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀὐτοκλέους.* Eueni enim apud Stob. LI. 17. (Bergk. poet. lyr. Graec. pag. 436.) exstat distichon hocce:

Πρὸς σοφίᾳ μὲν ἔχειν τόλμαν μάλα σύμφορόν ἐστιν,
Χωρὶς δὲ βλαβερὴ καὶ κακότητα φέρει.

quae apprime quadrant in imperatorem ob rem male gestam accusatum.

Insigne autem de hac oratione testimonium in Appendice Porson. ad Photium pag. 589. servatum est hocce: *Ῥ]ητορική: Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην περὶ χωρίου· τὰς γνώμας ἃς εἰσῆγον εἰς τὸ δικαστήριον μεταψηφίσματος· καὶ Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους προδαΐας* (scribe cum Dobreo *προδοσίας*)· *ῥητορικῆς ἐκ δήμου· ἔστι γὰρ καὶ ἐκβολή· οἷον εἰ τοιαῦτα ἔδοξε τῷ δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ.* Quem locum Meierus in fragm. lex. rhetor. pag. XXXIV. sic purgavit: *ῥητορικὴ [γραφή] Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην περὶ χωρίου „[διὰ ταύτας] τὰς γνώμας, ἃς [εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ, ῥητορικὴν γραφὴν] εἰσῆγον εἰς τὸ δικαστήριον μετὰ ψηφίσματος [τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου.] καὶ Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους προδοσίας [μέμνηται γραφῆς] ῥητορικῆς ἐκ δήμου. ἔστι γὰρ καὶ ἐκ βουλῆς, οἷον εἰ τὰ αὐτὰ ἔδοξε τῷ δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ.* Quae quamquam satis audacter ad sanum ordinem revocata sunt, tamen quantum quidem de Hyperidiis iudicare licet admodum probabilia esse videntur. De hoc caussarum genere cf. Meierum de lite Attica pag. 209. sq. Gravissimus est locus ap. Harpocrat. s. v. *ῥητορικὴ γραφή· — ἔοικε ῥητορικὴ γραφὴ καλεῖσθαι ἡ κατὰ ῥήτορος γράψαντός τι ἢ εἰπόντος ἢ πράξαντος παράνομον, ὥςπερ λέγεται καὶ πρυτανικὴ ἡ κατὰ πρυτάνεως καὶ ἐπιστατικὴ ἡ κατ' ἐπιστάτου. ἴσως δὲ καὶ κατὰ τοῦτο ῥητορικαὶ γραφαί τινες καλοῦνται, ὅτι κατὰ διαφόρους νόμους αἱ κατὰ τῶν ῥητόρων γραφαὶ εἰσάγονται, ὡς Ἀντιφῶν ἐν τῷ κατὰ πρυτάνεως, εἰ γνήσιος, ὑποσημαίνει.* Duplex *γραφῶν ῥητορικῶν* genus ita videtur diversum fuisse, ut alterum in oratores valeret, qui sive rogando sive dicendo sive agendo leges reipublicae migrassent, alterum in aliis magistratibus exer-

ceretur, eodem legitimo more, quo oratores publici accusarentur. Itaque Antipho putandus est caussam, qua prytanem aggressus est, item γραφὴν ῥητορικὴν appellasse. Sed ex Append. loco supra exscripto item patet bipartitum fuisse caussarum oratoriarum genus, ἐκ δήμου et ἐκ βουλῆς. Quas partes egerit hac in re populi concio Meierus docet l. c. pag. 212. In comitiis enim populi oratori lis denunciabatur ac dein ad iudicium deferebatur. Haec igitur fuisse videtur γρ. ῥητορικὴ ἐκ δήμου. Alterum genus illud erat, in quo senatus et populus Athenienses idem sentirent de actione oratori intendenda. Quorsum spectaverit γραφῆς ῥητορικῆς ἐκ δήμου commemoratio, difficile est diiudicatu. Si digressus fuerat Hyperides in Autoclis vitam ante actam ac iudicium quoddam commemoraverat, quod Autocles antea subierat, multo probabilius fit, quod supra coniecimus, Autoclem imperatorem eundem esse et oratorem. Sin hanc ipsam a se susceptam accusationem isto nomine appellarat, ea usus est denominatione in γραφῇ στρατηγικῇ, ut ita dicam, quam ex Antiphonte supra notavimus. Προδοσίας fuisse hanc actionem, ex hoc uno loco compertum habemus. De hoc caussarum genere et similibus cf. Meierum de lite attica p. 341 sq., qui Lysiae orationes περὶ τῆς Ἰφικράτους προδοσίας et κατὰ Τιμοθέου προδοσίας perditas commemoravit, quibus Hyperidis in Autoclem dicta oratio adnumeranda est. Ad res iudiciales pertinet Harpocrat. s. v. ποδοστράβη. Ὑπερίδης ἔν τε τῷ κατ' Ἀθηνογένους καὶ ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους. Erat quoddam genus vinculorum, quod item ποδοκάκκη appellabatur. Cf. Vales. ad Harpocrat. Vol II. pag. 493. ed. Lips. Nec abhorret ab his rebus Harpocrat. s. v. κατέλευσαν· λίθοις κατέβαλον. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους. quamquam prorsus incognitum est, quorsum pertinuerit in Au-

toelis accusatione. Porro quomodo factum sit, ut Colonum equestrem commemoraret Hyperides, vix coniectura assequare, nisi forte concionis cuiusdam memor fuit ibi habitae, quod aliquando factum esse ap. Thucyd. lib. VIII. 67. narratur. Harpocrat. s. v. *Κολωναίτας· — ἦν δὲ καὶ ἕτερος Κολωνὸς πρὸς τὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερόν, ὡς Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους. οὗτος δ' ἂν εἴη δ τῶν ἱππέων.* Cf. de Colono Grotefend. de demis Att. pag. 27. et Leakii librum de demis Westermanni docta annotatione instructum pag. 96. 30.: *ἐγκάθετος. Ὑπερείδης κατὰ Αὐτοκλέους.* Phryn. pag. 333. Lob. *ἐγκάθετος· οὕτως Ὑπερίδης ἀπερριμένως, δέον δοκιμώτερον χρήσασθαι τῷ θετός, ἢ εἰσποίητος, ἢ ὑπόβλητος.* in quibus Lobeckius *δοκιμώτερον* aut expungendum, ut ex dissographia natum, aut cum *δοκιμωτέρῳ* summutandum censet.

ΚΑΤ' ΑΡΙΣΤΟΦΩΝΤΟΣ.

Quum de Hyperidis contra Aristophontem habita oratione quaeritur, non potest evitari difficillima de Aristophontibus qui Philippi aetate vixerunt quaestio. Duorum enim potissimum nomina circumferuntur Aristophontum, Collytensis alterius, alterius Azeniensis. Qui quum non ubivis addita pagi significatione commemorentur, difficillimum est diiudicatu, uter quoque loco intelligendus sit. Hinc tam spissa obscuritas et tam late patens confusio et permutatio nominum ac rerum nata est, ut essent et qui plane desperarent de illorum duumvirorum rebus secundum rei veritatem discernendis et distribuendis, et qui alterum istum Collytensem unquam vixisse negarent et eo progrederentur, ut litterarum monumenta, in quibus hoc nomen demoticum Aristophontis nomini adscriptum reperiretur, subditicia ac spuria esse iudicarent. Accuratissime autem post alios de Aristophontibus disputarunt Rehdantzius de vitis Iphicratis Chabriae Timothei Atheniensium pag. 218 sq. et Boehneckius quaest. de orat. Att. pag. 659 sq., quorum in sequentibus usus fiet *).

Omnium plenissime Hyperidis actionem κατ' Ἀριστοφῶντος contestatus est Scholiasta ad Aeschin. c. Tim. §. 64. his verbis: [Ἀριστοφῶντι] κεκωμῴδηται ὁ Ἀριστοφῶν ὡς ὑπὲρ Χάρητος μισθοῦ λέγων καὶ ὡς πα-

*) Omnium diligentissime nuper de Arist. expositit Arn. Schaeferus in Schneidewini Philolog. Vol. I. p. 188—224.

ρανόμων γραφὴν πεφευγὼς καὶ ὡς στρατηγήσας ἐν Κέῳ καὶ διὰ φιλοχρηματίαν πολλὰ κακὰ ἐργασάμενος τοὺς ἐνοικοῦντας, ἐφ' ᾧ γραφεὶς ὑπὸ Ὑπερείδου παρανόμων ἑάλω. φησὶ δ' αὐτὸν Ὑπερείδης καὶ Ἄρδηττον ἐπικληθῆναι διὰ τὸ πολλάκις αὐτόθι ἐπιωρκηκέναι. ἐπεβίωσε μέντοι ὁ Ἀριστοφῶν ρ' ἔτη παρὰ μῆνα. (fm.) Orat. Att. ed. Bait. et Saupp. Vol. II. pag. 18. l. 12. Quae in his commemoratur Hyperidis contra Aristophontem actio non potest dubitari, quin eadem sit, quae ab aliis quoque scriptoribus excitetur. Nil enim constat de pluribus orationibus adversus Aristophontem ab Hyperide habitis, nec ullum movent ea de re scrupulum quae servata exstant Hyperidiae orationis fragmenta. Cum Azeniensi autem Aristophonte Hyperidem in iudicio transegisse, quod Rehdantzio et Boehneckio visum, non cum Collytensi, id quod Ruhnkenio (Hist. crit. orat. pag. XLV.) et Westermanno (Hist. eloqu. gr. pag. 95. n. 11.) placuit, nunc quidem videtur exploratum esse. Primum enim advertit animum, quod caussam παρανόμων fuisse Scholiasta l. c. narravit. De hoc enim crimine Aristophon Azeniensis quinquies et septuagies in iudicium est vocatus. Cf. Aeschin. c. Ctesiph. §. 194.: ἐτόλμα δ' ἐν ὑμῖν ποτε σεμνύνεσθαι Ἀριστοφῶν ἐκεῖνος ὁ Ἀζηνιεὺς λέγων, ὅτι γραφὰς παρανόμων πέφευγεν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε, ἀλλ' οὐχὶ ὁ Κέφαλος ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος κ. τ. λ. Pugnare videtur cum Aeschinis et Scholiastae testimoniis, quod apud Ulpian. ad Demosth. de cor. §. 70. — quo loco item Azeniensis intelligendus esse videtur — Aristophon vocatur ἀνὴρ πολλάκις κριθεὶς, οὐδέποτε δὲ καταγνωσθεὶς, nam Scholiasta tradidit Aristophontem caussa cecidisse. Sed credendus est Ulpianus Aeschinis locum perperam intellexisse ac gloriandi caussam non tam in incredibili accusationum numero, quam infracta Aristophontis incolumitate invenisse. Dein illo

Aeschinis loco, quem Scholiasta interpretatus est, Azeniensis commemoratur, quocum convenit Charetis iniecta mentio, quandoquidem Aristophontem Azeniensem et Charetem easdem in republica partes secutos fuisse Rehdantzius monstravit l. c. p. 226. In iudicium autem Aristophon Azeniensis ab Hyperide protractus est ὡς στρατηγήσας ἐν Κέῳ καὶ διὰ φιλοχρηματίαν πολλὰ κακὰ ἐργασάμενος τοὺς ἐνοικοῦντας. Intenta ei est actio παρανόμων. Hinc aliquid lucramur ad tempus quo oratio habita sit accuratius definiendum. Copiis Atheniensium in insula Ceo Aristophon potuit praeesse non nisi ipso belli socialis tempore aut anno proxime antegressis. Athenienses enim postquam cum abalienatis sociis in gratiam redierunt, operam dederunt ut humanitate et lenitate sociorum animos sibi devincirent. Itaque et lege sanxerunt, ne quis civis Atheniensis extra Atticam terram agros coleret, et cleruchias foederatis civitatibus invisas et perniciosas abrogarunt. Id factum est Olymp. C, 4. cf. Boeckh. de oecon. civ. Athen. I. p. 449. sq. Diodor. Sic. XV, 29. Sed mox in pristinam licentiam relapsi vexare socias civitates, cleruchos deducere, tributa exigere, urbes praesidiis firmare. Hinc conflatum est bellum sociale Olymp. CV, 4. Quodsi Aeschinis Scholiasta refert accusatum esse Aristophontem propterea, quod Ceos male tractasset, et ob id ipsum παρανόμων iudicium subiisse, credendum est, Aristophontem veteres istas mitiores leges migrasse, vel Ceos, qui in fide remanserant, pari contumelia tractasse atque ceteras civitates rebellantes, vel pace facta noluisse mitius imperium in sociorum civitatibus exercere. Ceum enim insulam in Atheniensium amicitia perstitisse videre licet ex Lyc. Leocrat. c. XI. Aliam quandam caussam, ex qua παρανόμων actiones nascerentur, Boeckhius l. c. pluribus illustravit

exemplis. Solebant enim παρανόμων accusari, si qui suasissent, ut tenuiora tributa sociis irrogarentur. Orata est igitur oratio κατ' Ἀριστοφῶντος, si recte eam ad bellum sociale retulimus, eo temporis spatio, quod fere Olymp. CV, 3. et Olymp. CVI, 3. tanquam terminis circumscribitur. Actionem eam, qua Aristophon Azeniensis ὑπὲρ Χάρητος μισθοῦ λέγων Iphicratem et Timotheum persecutus est, Boehneckius l. c. pag. 729. Olymp. CVI, 2. tribuit. Eidem pag. 661. Hyperidis oratio exeunte Olymp. CVI. vel ineunte sequenti habita esse videtur. In Hyperidiae orationis tempore definiendo discrepare videtur Rehdantzius l. c. p. 221. Is enim in disponendis veterum scriptorum de Aristophontibus testimoniis temporum ordinem secutus, Aeschinis Scholien tribuit anno 340. i. e. Olymp. CX, 1. Sed id parum ad rei veritatem accommodate videtur fecisse. Nam etiam si cuipiam concedendum videatur, Aristophontem, qui centesimum vitae annum paene profligavit, eo anno potuisse accusari, tamen quum actio παρανόμων modo intra annuum spatium legibus esset permissa, prorsus est incredibile, Aristophontem fere senem decrepitum Olymp. CIX, 4. exercitui Atheniensium fuisse praefectum, nec coniectura assequi possumus, quid eo tempore Atheniensium exercitus in Ceo insula facere voluerit.

In fragmentis recensendis primo loco ponenda esse videntur Hyperidis verba a Rutilio Lupo p. 115. Ruhnk. conservata et in latinum sermonem conversa haec: Hyperidis: „Nam hominis avari atque asoti unum atque idem vitium est. Uterque enim nescit uti atque utrique pecunia dedecori est. Quare merito utrique pari poena afficiuntur, quos pariter non decet habere.“ Asoti enim appellatio Aristophontem videtur significare, cuius notam fuisse ἀσωτίαν Aelia-

nus Var. hist. XIV. 3. testatur. Cf. Rehdantz. l. c. pag. 229. n. 65. Idem Hyperidis dictum in usum suum convertit ignotus iste versificator, cuius carmen latinum de figuris vel schematibus a Julio Quicheratio e codice Parisino primum editum H. Sauppius in eruditissima epistola ad Godofredum Hermannum pag. 153—170. cum adnotatione critica, locorum similium addita comparatione, recudendum curavit. Συνοικειώσεως enim figurae Hyperidium illud exemplum a Rutilio servatum exhibuit pag. 167. his versibus:

Συνοικείωσις. Conciliatio, diversum si conciliamus.
„Prodigus est et parcus idem: nam nescit uterque
Uti opibus, peccant ambo, res dedecet ambo.“

Porro ex eadem Hyperidis κατ' Ἀριστοφῶντος oratione decerpti videntur duo loci a Rutilio Lupo pag. 15—17. servati, quos hic exscribam: Paradiastole. Hyperidis: „Nam cum ceterorum opinionem fallere conaris, tu tete frustraris. Non enim probas te pro astuto sapientem intelligi, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem rei familiaris, pro malivolo severum. Nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis.“ Hoc idem schema solet illustrius fieri, cum ratio proposito subiungitur. Id est huiusmodi: „Quapropter nolo te saepius parcum appellare, cum sis avarus. Nam qui parcus est, utitur eo quod satis est: tu contra propter avaritiam, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiae fructus, quam inopiae miseria consequitur.“ Ex his ut alterum locum, quem ἀδέσποτον protulit Rutilius, Hyperidi tribuam, facit avaritiae probrum, quod si vera tradidit Scholiasta Aeschinis, in Aristophontem

cadit, qui διὰ φιλοχρηματίαν Cei insulae incolas male tractaverat. Accedit et huius dicti cum supra commemorato cognatio ac similitudo in sententiae ratione conspicua, et utrorumque deinceps collocatorum locorum necessitudo, diligentiae potissimum notione haud obscure prodita, ita ut cum prior Hyperidis nomen prae se ferat, hoc etiam alteri concedendum videatur. Prioris autem loci partem quandam Quicheratii poeta sic versibus expressit (p. 165.):

Παραδιαστολή. Subdistinctio fit, cum rem distinguimus ab re.

„Dum fortem, quia sit vaecors, commemque vocat se,
Quod sit prodigus, et clarum, qui infamis habetur."

Ad Rutilium l. c. quae adnotavit Ruhnkenius dignissima sunt quae legantur. Dein memorabile est Schol. Plat. Theag. p. 896. b. 24. (ed. Turic.) hocce: ἔμβραχυ· — Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοφῶντος· „οἶδε γὰρ αὐτῷ δεδομένην ἄδειαν καὶ πράττειν καὶ γράφειν ὅ, τι ἂν ἔμβραχυ (i. e. συντόμως καὶ ἁπλῶς) βούληται. His verbis descripta est summa quaedam nullis legibus obstricta potestas quidlibet in civitate agendi, qualem tempore quodam posteriore Demades iste homo nefarius adeptus est. Si quando Aristophon eo potentiae in republica emersit, factum est circa finem belli socialis, quo celeberrimos imperatores in ius vocavit.

Acerbissimo autem convicio perstrinxit Hyperides Aristophontem, quod Ἄρδηττον i. e. τὸν ῥᾳδίως ἐπὶ τοὺς ὅρκους ἰόντα eum cognominatum esse dixit διὰ τὸ πολλάκις αὐτόθι ἐπιωρκηκέναι. (Schol. Aesch.) In Ardetto heliastae iure iurando adigebantur. Cf. Platner. de lite Att. I. p. 80. seq. et Lassaulx de

sacramentis Graecorum pag. 21. Nec sane honorificum videtur alterum quoddam appellandi genus fuisse, quo Aristophontem Hyperides impertivit. In Aristophontem enim iactum videtur, quod est apud Bekker. Anecdot. I. pag. 108.: μοιχίδιον: τὸ ἐκ μοιχοῦ γεγεννημένον. Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοφῶντος. quocum congruunt Suidas s. v. μοιχίδιον· τὸν ἐκ μοιχοῦ γεγεννημένον· οὐχ ὅτι Ἑκαταῖος, ἀλλὰ καὶ Ὑπερίδης. et Phot. s. v. μοιχίδιον: τὸν ἐκ μοιχοῦ γεγεννημένον. οὕτως Ὑπερίδης. Apud Bekkerum item scribendum est τὸν et γεγεννημένον. Notarunt grammatici hoc vocabulum propterea, quod ιδιος eius terminatio non deminutiva, sed patronymica est, de qua cf. Lobeck. ad Phryn. p. 555 sq. et Pathol. serm. gr. p. 356. Etiam formae substantivorum in ις terminatorum inter rariores numerantur et iccirco a grammaticis notantur, veluti ap. Polluc. II. 74.: ἡ δουλὶς Ὑπερίδῃ εἰρημένον οὐκ ἐπαινετέον, de quo verbo, sicuti de μοιχίς vocabulo, quod subest μοιχίδιος verbo, cf. Lobeck. ad Phryn. pag. 452. Cum Hecataeo contenditur Hyperides apud Suidam, quod uti Hecataeus multa admisit Jonicae dialecti propria et ab Atticorum sermone aliena, quo de cf. Phryn. pag. 218. Lobeck., ita Hyperides in verborum delectu ab Atticorum severitate et castimonia abhorrebat. Ceterum Aristophontis Azeniensis patrem fuisse Demostratum oratorem tempore Siculae expeditionis celeberrimum, quum Ruhnkenius l. c. opinatus esset, Rehdantzius l. c. pag. 224. num verum sit addubitat. Denique apud Polluc. lib. VII. 11. exstant: μονοπώλιον δὲ Ὑπερίδης εἴρηκεν ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοφῶντος, οἱ δὲ ἄλλοι μονοπωλίαν. quae item documento sunt, Hyperidem in verborum delectu haud raro ab aliorum scriptorum, Atticorum potissimum, usu aberrasse. Quum enim in multis nominibus sub-

stantivis compositis duplex appareat terminatio in ια et ιον, docta commentatione et multis exemplis, quibus hoc Hyperidium addas, demonstravit Lobeckius ad Phryn. pag. 517. sq., ια terminationem probae esse Graecitatis, alteram citerioris et inferioris. De monopoliis Graecorum cf. Boeckh. de oec. civ. Athen. I. pag. 56. et Becker. Charicl. Vol. I. pag. 267.

ΚΑΤ' ΑΝΤΙΟΥ.

Hyperidis *κατ' Ἀντίου ὀρφανικός* ab Harpocratione aliquoties citatur, de quo caussarum genere consulendi sunt Meierus de lite Att. pag. 443 sq. et Platnerus de lite Att. II. pag. 278 sq. Dicebantur *λόγοι ὀρφανικοί* in actionibus *ἐπιτροπῆς*, quae publice instituebantur, donec pupilli in tutoris essent cura et potestate, privatim, quum sui iuris essent facti. Tutore mortuo in eius heredes actio privata *βλάβης* competebat. Hyperidis oratio utrum in publica an in privata caussa contra Antiam, tutorem, habita sit, explorari nequit. Antias, Euphileti filius, in inscriptione Attica (Corp. Inscr. I. 94.) commemoratur, quae Theophrasti archontis nomen prae se fert, qui archon fuit Olymp. CX, 1. Ex Hyperidis oratione *κατ' Ἀντίου* quatuor tantum vocabula servata sunt. Harpocrat. s. v. *ἀσήμαντα· τὰ ὑφ' ἡμῶν λεγόμενα ἀσφράγιστα· σημεῖα γὰρ ἔλεγον τὰς σφραγῖδας. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀντίου.* In his praeferenda videtur codicis Vratislaviensis scriptura *ἐφ' ἡμῶν*, cum potior sit temporis notatio; *ἐφ' ἡμῶν* est enim nostra aetate. Ita aliis locis Harpocratio suae aetatis consuetudinem loquendi cum oratorum sermone comparat, cf. s. v. *ἐπισημαίνεσθαι*. Eadem autem in illis duobus vocabulis valet differentia, quae in aliis eiusdem stirpis vocabulis animadvertitur. Ita Moeris Atticista: *παρασημαίνεσθαι, ἀττικῶς, παρασφραγίζεσθαι ἑλληνικῶς.* Cf. Piers. ad h. l. Photius

s. v. σημεῖον: τὴν σφραγῖδα. καὶ σημαίνεσθαι τὸ σφραγίζεσθαι. et σημεῖα· οὕτω λέγουσι τὰς σφραγῖδας Δημοσθένης καὶ ἄλλοι. i. e. oratores attici. Lex. Seguer. pag. 451.: ἀσήμαντα: τὰ λεγόμενα ἀσφράγιστα· καὶ γὰρ σημεῖα τὰς σφραγῖδας ἔλεγον. Ita Suidas quoque s. v., ubi vide Kusterum, et Zonaras. Harpocrat. s. v. ἐπισημαίνεσθαι — ἀντὶ τοῦ ἐπισφραγῖσαι Ἰσαῖος. Eodem pertinet Harpocrat. s. v. σεσημασμένῳ· ἀντὶ τοῦ ἐσφραγισμένῳ Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ὀνόματος. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀντίου ὀρφανικῷ. Omissa Hyperidiae orationis mentione eadem glossa in Photii et Suidae lexicis apparet. Ex Demosthenis verbis pag. 999. R. ταῦτα δ' εἰ μὴ σεσημασμένων ἦδη συνέβη τῶν ἐχίνων, κἂν μάρτυρας ὑμῖν παρεσχόμην· haud incerto colligas etiam in Harpocrationis loco σεσημασμένων scribendum esse, cum nihil magis frequentatum sit quam confusio litterae $\bar{\nu}$ et $\bar{\iota}$ subscripti. Accedit quod in Cod. Darmstad. (N. ap. Bekkerum) σεσημασμένην et ἐσφραγισμένην scriptum est. Coniunctum cum hoc lemmate aliud quoddam Harpocrationis videtur fuisse, quod est s. v. βάσανος· Ἀντιφῶν. λίθος οὕτω καλεῖται, ᾗ τὸ χρυσίον παρατριβόμενον δοκιμάζεται. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀντίου τὰ ἐν ταῖς βασάνοις εἰρημένα ὑπὸ τῶν βασανιζομένων καὶ ἀναγραφέντα βασάνους ὠνόμασε. Eodem sensu idem vocabulum ursurpavit Demosthenes πρὸς Νικόστρ. pag. 1254. 10. R.: ἡγούμην τε δεῖν τὴν ἀρχὴν ᾗ τοὺς ᾑρημένους ὑπὸ τῆς βουλῆς γράφεσθαι καὶ κατασημηναμένους τὰς βασάνους, ὅ, τι εἴποιεν οἱ ἄνθρωποι, παρέχειν εἰς τὸ δικαστήριον, ἵν' ἀκούσαντες ἐκ τούτων ἐψηφίσασθε, ὁποῖόν τι ὑμῖν ἐδόκει. Praeterquam quod ex hoc loco colligi licet, etiam in Hyperidiae orationis loco coniuncta fuisse βάσανοι et ἀσήμαντα verba, item apparet recte Bekkerum Harpocrationi e Cod. Darmstad. restituisse ἀναγραφέντα, quamquam ex eodem codice adsciscere debebat Ὑπερείδης pro

Ὑπε-

Ὑπερίδης. Eadem habet Suidas s. v., cui et ipsi ἀναγραφέντα restituendum est. Antiphontis nomini, quod Bekkerus solum exhibuit, in codd. DE pariter atque in Suidae loco Pindari et Sophoclis nomina apposita sunt. In Antiphontis orationibus, quae etiamnunc circumferuntur, βάσανος primaria significatione de lapide basanite usurpatum non reperitur, sed de quaestione dictum exstat ap. Antiph. orat. I, §. 10. orat. V, §. 31. sq. Apud Pindarum Pyth. X, 67., lapidem denotat βάσανος. Oratori vero ista altera vocabuli potestas magis videtur convenire, quocirca nomen Antiphontis loco suo turbatum esse crediderim et testimonium illud Harpocrationis iis adnumerandum, quae collegit Maetznerus praefat. ad Antiphont. p. IV., probaturus veterum scriptorum testimonia de servatis Antiphontis orationibus esse prolata. Cf. de torquendi et quaerendi usu iudiciali Schoemann. de lite Att. pag. 683. Becker. Char. II, pag. 50. Denique commemorandum est Harpocrationis lemma hocce s. v. ὑποστήσας ἀντὶ τοῦ ὑποβαλλόμενος. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀντίου. Phot. s. v. ὑποστήσας ἀντὶ τοῦ ὑποβαλλόμενος. Ὑπερίδης.

ΠΡΟΣ ΑΠΕΛΛΑΙΟΝ.

Hyperidis orationem πρὸς Ἀπελλαῖον περὶ τοῦ θησαυροῦ plene commemoravit Harpocr. s. v. κολωναίτης. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀπελλαῖον περὶ τοῦ θησαυροῦ. τοὺς μισθωτοὺς κολωναίτας ὠνόμαζον, ἐπειδὴ παρὰ τῷ κολωνῷ εἱστήκεσαν, ὅς ἐστι πλησίον τῆς ἀγορᾶς, ἔνθα τὸ Ἡφαίστειον καὶ τὸ Εὐρυσάκειόν ἐστι. ἐκαλεῖτο δὲ ὁ κολωνὸς οὗτος ἀγοραῖος. I. Bekkerus κολωναίτας scripsit ABCGN codicum auctoritatem secutus; in uno exstat κολωνέτας, in reliquis κολωνίτας, quod ante Bekkerum vulgabatur. Similiter apud Suidam s. v. κολωνέτας, quo loco Harpocrationis verba referuntur non addita Hyperidiae orationis significatione. Apud Pollucem VII, 132. exstat: οἱ δὲ κολωνίτας, ὡς Ὑπερίδης. ad quem locum adnotatum est, in Cod. Iungermanni scriptum esse Ὑπερείδης, quod utique reponendum est, in Cod. Voss. κολυνίτας, in Epit. Palat. κολωνέτας. Mihi recte videtur Bekkerus optimorum librorum memoriam servasse, ex qua utrumque diversae scripturae genus et ε̄ et ῑ facillime derivetur. A Κολωνός vocabulo plures ducuntur formae tamquam a κολώνη sive κολωναί derivatae. Qui hic κολωναῖται appellantur, eos Bekkerus Char. Vol II, pag. 58. cum nostratibus magnarum urbium circumforaneis hominibus, qui ad vicorum angulos prostant, comparavit. De Coloni situ cf. Leakii descriptionem urbis Athenarum Odofredi Muelleri adnotationibus illustratam pag. 461. Accedit aliud lemma Harpocrationis hocce s. v. πώλας· ἀντὶ τοῦ πράσεις. Ὑπε-

ρίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀπελλαῖον. ἔστι τοὔνομα καὶ ἐν τοῖς Σώφρονος Ἀνδρείοις. apud Suidam s. v. πώλας· ἀντὶ τοῦ πράσεις. Ὑπερίδης. Eodem refero Suid. s. v. πωλητήριον· τὸ πρατήριον. οὕτως Ὑπερίδης. Sic Phot. quoque s. v. πωλητήριον. Cf. de his vocabulis Valcken. ad Thomam Mag. in Ruhnken. Epist. crit. edit. a Tittm. p. 152. et interpr. ad Moer. Att. s. v. πωλητήριον. Accentum in πώλας Bekkerus correxit; in exemplari Dindorfiano Harpocrationis πῶλας exaratum est. Dein verba nonnulla ex hac oratione servavit Pollux III, 27. haecce: καὶ παρ' Ὑπερίδῃ „ἐξέδωκε τὴν πρόγονον τὴν αὐτοῦ· ἐν τῷ πρὸς Ἀπελλαῖον περὶ θησαυροῦ. i. e. privignam suam in matrimonium dedit. In quo Pollucis loco, quod paullo ante scriptum est ὁ προαγωγός, ortum ex praegresso προαγωγίᾳ, in ὁ πρόγονος permutari debet: affinitatium enim nomina recensentur. Quorsum spectaverit Jovis Ctesii commemoratio, indicata ab Harpocratione s. v. κτησίου Διός· Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀπελλαῖον. κτήσιον Δία ἐν τοῖς ταμείοις ἱδρύοντο. obscurum est. De Jove Ctesio multi sunt commentati. Cf. Lobeck. Aglaoph. pagg. 1239. 1337. Schoem. ad Isaeum pag. 277. Maetzner. ad Antiph. pag. 138. Creuzer. Symb. III. pag. 123. In deorum penetralium numero colebatur Iupiter Ctesius. Denique ultimo loco pono haec Harpocrationis verba s. v. Πυθαΐα· Ὑπερίδης πρὸς Ἀπελλαῖον. ἄπορον πῶς ἀπὸ τούτου ἐσχημάτισται παρὰ τῷ Διδύμῳ· καὶ γὰρ οὐ δι' ὧν παρέθετο ὁ γραμματικὸς ὠνόμασε τὰ Πύθια ἑορτήν, ἀλλὰ τὸν Πύθιον Ἀπόλλωνα. Cum hoc loco contendenda sunt aliorum grammaticorum lemmata. Phot. s. v. Πύθιος ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἀγομένη Ἀπόλλωνι, ἀπὸ τοῦ Πυθῶνος (scribe Πύθωνος). Bekker. Anecd. I, p. 295.: Πυθαιός· ὄνομα ἑορτῆς Ἀθήνησιν ἀγομένης τοῦ Ἀπόλλωνος, ἀπὸ τοῦ Πύθωνος. pag. 286.: Πύθια· (Cod. Πύθεια) πανήγυρις, ἑορτὴ Ἑλληνική.

Etym. M. pag. 696. 22. *Πύθεια, Πυθαῖος Ἀπόλλων. ὄνομα ἑορτῆς Ἀγαμέμνονος τῷ Ἀπόλλωνι.* cui loco Agamemnonem libenter dempseris et mecum scribes *ἀγομένης*. Haec grammaticorum interpretamenta si Harpocrationis loco explicando adhibentur, manifestum est, ante verba *ἄπορον πῶς ἀπὸ τούτου κ. τ. λ.* desiderari quaedam, et illud verbum esse inculcandum, a quo tamquam fonte verbum *Πυθαεία* derivatum esse videatur. Id aliud verbum esse nequit, nisi quod apud Photium habemus *ἀπὸ τοῦ Πύθωνος*. Dein glossa ipsa cui explicandae Harpocratio dedit operam non *Πυθαεία* fuit, quod unde ducatur et quid sit valde est ambiguum, sed *Πυθαέα* sive *Πυθαιέα*, quod Westermanno visum est Histor. eloqu. gr. pag. 307. A *Πυθεύς* enim ducitur *Πυθαιεύς* et *Πυθαεύς* ut *Κρητιεύς*, de quo cf. Valcken. ad Roever. p. 74. Diod. Sic. I, p. 533. Paus. I, 377. Fac. *Πυθαεία* autem a *Πυθαεύς* similiter factum esset, uti *βασιλεία* a *βασιλεύς*. Harpocrationis verba ita mihi videntur emendanda et intelligenda esse: *Πυθαέα* sive *Πυθαιέα*. *Ὑπερ. ἐν τῷ πρὸς Ἀπελλ. ἀπὸ τοῦ Πύθωνος. ἄπορον* etc. Hyperides in oratione contra Apellaeum defensoria dixit *Πυθαιέα*. Ductum hoc a Pythone. Apud Didymum ambiguum est, quomodo verbum illud ab hoc formatum sit. Etenim ex iis, quae grammaticus exposuit, consectarium fit, Hyperidem non festum Apollinis, Pythia, sed Apollinem Pythium ipsum eo nomine appellasse.

Habita est oratio Hyperidis, si quid video, in caussa privata, sive *προικός*, sive *παραχαταθήκης*, sive *ἀργυρίου*.

Lecturis

S. D.

F. G. K.

Quod Lycurgeis nostris Hyperidiorum fasciculum adiunximus, quo iterum typis exscripta continentur, quae quatuor scriptionibus scholasticis de Hyperide commentati sumus, factum est et propter argumenti cognationem, et quoniam nunc quidem tempus deesse videbatur ad Hyperidis oratoris res orationumque reliquias plene perfecteque pertractandas. Itaque haec quidem ut benevolis accipiant animis, lectores etiam atque etiam rogatos esse volo. Ceterum quamquam quae hic repetita apparent iam nacta sunt iudices et intelligentissimos et, quod gratissimum mihi fuit, humanissimos, tamen nolui, quae rectissime ab illis contra me monita viderem, in usus meos convertere, sed satius habui immutata mea

iterum vulgari. Indicibus opellam nostram instruxit Fr. Krahnerus, modo Halensis nunc Posnaniensis, iuvenis doctissimus ac fraternae laudis aemulus.

Dab. Posnaniae mense Sept. a. CIↃIↃCCCXLVII.

Index locorum.

Alexander rhetor Rhet. Ald. I. p. 587 24
— ibid. 586 185
Apostolius, centur. VIII, p. 93. 46
— XVIII, 11. 223
Apsines Rhet. Ald. I, 706—708. 63. 149. 184
Athenae. XI. p. 476. D. 65
Bekker. Anecd. I. p. 108. μοιχίδιον 253
— p. 301 σπογγοκολυμβηταί 60
— 145, 30. 86
— p. 286. et 295. 259
Boeckh. Oec. civ. I. p. 469. 73 sqq.
— II. p. 243. Corp. Inscr. I. n. 157. 78 sqq.
Creuzer. Symbol. II. p. 140 sqq. 50 sqq.
Decretum, quo honores Lycurgo habiti commemorantur 12 sq. 75 sq.
Demosth. Aristog. II. p. 803. Reisk. 195
Dinarch. advers. Aristogit. 28
Diodor. Sicul. bibl. hist. XVI, 88. 46 sq.
— I. p. 533. 260
Dionysius Halic. V. p. 660. 81 sq.
— περὶ δεινότητος c. 57. 24
Etymol. M. v. Εἰρεσιώνη 54
— Φάσις 117
— Ἐπίβολος 187
— p. 696, 22. Πύθια, Πυθαῖος Ἀπόλλων 259
Eustath. Odyss. XX, 156. p. 1887 52
Harpocrat. v. Ἀγαθῆς Τύχης νεώς 83
— Ἀθηνᾶ Νίκη 100
— Αἰγίς 83 sqq.
Harpocrat. v. Ἀλκίμαχος 186
— Ἀλόπη 99
— Ἀνδραποδιατής 40
— Ἄοικος 46
— Ἀποβάτης 68
— Ἀπρόσκλητον 227
— Ἀρκυωρός 61
— Ἀσήμαντα 255 sq.
— Αὐτόλυκος 35
— Βουλεύσεως 225
— Βάσανος 256 sq.
— Δερματικόν 70
— Δηλιασταί 59
— Διήλλαξεν 106
— Ἐδωλιάσαι 70 sq.
— Ἑκάτης νῆσος 59 sq.
— Ἑκατόμπεδον 71
— Ἐλευσίνια 213
— Ἔνδειξις 22
— Ἐπίβοιον 97 sq.
— Ἐπὶ Δηλίῳ μάχῃ 48
— Ἐπικράτης 86
— Ἐπιμήνια 101
— Ἐπιτελεῖν καὶ ἐπιτέλεσμα 120 sq.
— Ἔργα νέων 242
— Εὐηνος 243
— Εὐρυσάκειον 203 sq.
— Ἡλικία 34
— Ἡρία 36
— Ἡφαιστία 222
— Θεοίνιον 115
— Θριπήδιστον 187
— Ἱπνός 39
— Ἵππαρχος 44
— Κανηφόροι 44
— Κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν 225 sq.
— Κατέλευσαν 245
— Κηφισόδωρος 61
— Κολωναῖται 246 et 258.

Harpocrat. v. *Κοιρωνίδαι* 115
— *Κτησίου Διός* 259
— *Κυνίδαι* 115
— *Κύρβεις* 105 sq.
— *Λεμβάδεια* 48 sq.
— *Λητή* 186
— *Λυκοῦργος* XIV
— *Λυσίμαχος* 87
— *Μελανίππειον* 41
— *Μηκύβερνα* 186
— *Μηλόβιος* 241 sq.
— *Μητρῷον* 35
— *Μίκων* 103 sq.
— *Ναύκληρος* 205
— *Νεώρια καὶ νεώσοικοι* 71
— *Οἰνόη καὶ Οἰνοαῖος* 204
— *Ὁμόσε ἰέναι* 228
— *Ὀξυθύμια* 184
— *Ὀρκάνη* 41
— *Ὄρυγμα* 34
— *Ὀχεῖον* 87
— *Παλαμναῖος* 188
— *Παράκλησις* 95 sq.
— *Παρεῖαι ὄφεις* 188
— *Πίλανος* 102
— *Πεφασμένης* 45
— *Πλυντήρια* 97. sq.
— *Ποδοστράβη* 245
— *Πολύγνωτος* 105
— *Προσχαιρητήρια* 116
— *Πρωτέλεια* 102
— *Πυανοψίαι* 56
— *Πυθαΐα* vel potius *Πυθαΐδα* s. *Πυθαΐδα* 259 sq.
— *Πώλας* 258
— *Σείρινα* 87 sq.
— *Σεσημασμένῳ* 256
— *Σκαμβωνίδαι* 115 sq.
— *Σκίρον* 96
— *Στεφανῶν τοὺς νενικηκότας* 87
— *Στρατηγοί* 242
— *Στρωτήρ* 90
— *Σύνδικοι* 109
— *Τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται* 67 sq.
— *Τραπεζοφόρος* 96
— *Τρίγωνον δικαστήριον* 34
— *Τριτομηνίς* 101
— *Ταχινθίδες* 42 sq.
— *Τγεία Ἀθηνᾶ* 100
— *Τποστήσας* 257
— *Χιλιωθέντα* 34. 109 sq.

Hemsterhus. ad schol. Aristoph. Plut. v. 690 p. 229 ed. Lips. 65 sq.
Hemsterhus. ad Lucian. Timon. 167. vol. I. ed. Amstel. 67 sq.
Hygin. Narrat. CCXXXVIII. 43
Ilgen. Opusc. I. p. 139 p. 144 sqq. 56 sqq.
Longin. *περὶ ὕψους* c. XV, 10. 193
— c. XXXIV. 207. 223. 138
Lycurg. c. Leocrat. XI. 191
— XIII. 35. 191
Meier. Att. Proc. p. 340. 32 sq.
— 369 93
Moer. Attic. v. *πωλητήριον* 258.
Nonni Narratt. myth. in Creuzer. Meletemm. Vol. I. p. 75 sq. 51 sq.
Pausan. V, 6, 4. 210 sq.
— V, 21, 5. 208 sqq.
— I, 377. Fac. 260
Phot. Bibl. cod. 265. p. 800 ed. Hoeschel. 24
— v. *ὅσιον* 205
— v. *Πύθιος* 259
— *Τ]ητορική* (Porson. append. ad Phot. p. 589) 244
— *Σειρῆνα* 88 sq.
— *Τποστήσας* 257
Plutarch. vit. Hyperid. p. 87 Westerm. 207. 209
— — 86, f. C. 147 sq.
— Politic. praecept. 166 vol. VII. Hutten. 185
— XII. Hutten. p. 256 19. 75
— — p. 257 22 sq.
— — p. 269 190
— — p. 270 193
— VII. Reisk. p. 380 229 sqq.
Polluc. III, 34. 118
— III, 27 259
— VII, 137. et 132. 60 sq. 258
— VII, 149. 218 sqq.
— VII, 191. 214 sq.
— VII, 200. 237 sq.
— X, 39. 214 sq.
Rankii de numero oratorum Attic. denario sententia iudicatur 131 sqq.
Ruhnkenii (Hist. Cr. Oratt.) de canone Alexandrinorum et nume-

numero denario sententia iudicatur 131 sqq.
Ruhnkenii emendatio Suidae v. *Δημάδης* 163 sqq.
— R. ad Rutil. Lup. c. 63. 202
— Hist. crit. p. 73. p. 81 63 sq.
— — p. 86 150
— Epist. crit. p. 152. 258
Rutil. Lup. de fig. sentent. et eloc. p. 10. ed. Ruhnk. 118 sqq.
— — p. 15—17. 251 sqq.
— — p. 24. 120 sqq.
— — p. 48. 122 sqq.
Rutil. Lup. de fig. sentent. et eloc. p. 60. 124 sqq.
— — p. 63. sqq. 201
— — p. 115. 250
— — p. 120. 126 sqq.
Schol. Aristoph. Equitt. p. 739 Dindorf. 54
— Plat. Phileb. 140, 8. 205 sq.
— Plat. Theag. p. 896, b. 24. (Turic.) *ἔμβραχυ* 252
— Aeschin. c. Timarch. §. 64 248 sqq.
Stobae. Floril. II. 31. Vol. I. p. 69. ed. Gaisf. Lips. 116
Stobae. Floril. IX, 106. Vol. I. p. 212. p. 381. — Vol. III. p. 23. p. 212 117
Suid. v. *Ἀπεψηφίσατο* 198 sqq.
— *Ἀριστογείτων Κυδιμάχου* et *Ἀρ. Σκυδίμου* 20 sq.
— *Ἀρποκρατίων ὁ Γάϊος* et *Ἀρπ. ὁ Αἴλιος* 20
— *Δημάδης* 160—177
— *Λυκοῦργος* 14 sq. 69
— *Μηλόβοτος χώρα* 16 sqq. 238
— *Μοχθηρία* 45
— *Προήρεσίαι* 54
— *Προχαριστήρια* 107 sq.
— *Πώλας* 258
— *Πωλητήριον* ibid.
— *Συσσημαίνεσθαι* 94. 106
— *Ὑπερίδης* 149
— *Ψευδὴς ἐγγραφή* 31
Theo Progymnasm. p. 14 ed. Camerar. 41
— — p. 17 197
Ulpian. ad Olynth. II. ed. Wolf. Vol. V. p. 264. 206
Tzetz. Chil. VI. hist. 37. v. 93—103. XV sq.

Index rerum et verborum.

Abaridis peregrinatio 51. 53 sqq.
Ἀγραφίου actionis ratio duplex est 83
Ἄνδρες τῆς θεοῦ 107 sq.
Ἀποψηφίζεσθαι absolvere et condemnare 200
Aristogito a Leosthene accusatus — 21
— a Demosthene Lycurgoque *ἐνδείξει* in ius vocatus — 22
— Qui fieri potuerit, ut Ar. bis mulctatus atque *ἄτιμος* iudicatus causam in foro ageret 31 sqq.
Ἀρπύωρος an *ἁρπυωρός* 61
Autocles orator Atheniensis. — Autocl. fragm. Idem ab Atheniensibus orator contra Cotyem regem missus 233 sqq.
Autolycus 85 sqq.
Βάσανος voc. significatio 257
Βούλευσις et *ψευδεγγραφή* eiusdem actionis nomina 81
Βούτην Μίκων ἔγραψεν proverbium 104
Caecilius Calactinus 132. 148
De Canone grammaticorum Alexandrinorum 131 sqq.
Cephisodorus 11. 61
Cephisodotus 11. 110
Γραφῶν ἐητορικῶν duplex ratio 244 sq.
Deliaca Aeschinis oratio a rhetore quodam confecta 148
Demadis mores, rei publicae gerendae ratio, ingenium 62 sq.
— D. a Polyeucto accusatus 63
— Propter honores Euthycrati Olynthi proditori decretos ab Hyperide in ius vocatus 178 sq.
Demades quo tempore quaestor publicus fuerit 80 sqq.
Demeas 168 sqq. 177
Demosthenis quae dicuntur orationes in Aristogitonem 23 sq.
— Eiusdem videtur *κατὰ Δημάδου* oratio exstitisse 63
— Dem. trierarchiae 111. 113. sq.
Δερματικὸν 70. 78 sq.
Didymus grammaticus 132. 135. 185.
Dionysius Halicarnassensis 132. 151.
Diphilus a Lycurgo in iudicium vocatus 18 sq.
Δοκιμασιῶν genera 86.
Εἰρεσιώνη 54. 56. sqq.
Ἐπίγονοι, filii successoresne *διαδόχων* Alexandri 166
Epicrates 86
Ἐπιτροπῆς actio 255
Harpocratio, Gaius Aelius (*ὑποθέσεις τῶν λόγων Ὑπερίδου*) 20. 145 sqq.
Hermippi liber de Isocratis discipulis ex Callimachi *πινάκων* fonte ductus 130
Herodori, Herodoti, Herodiani, Heliodori nominum tralatitia commutatio 150 sq.
Hero rhetor Atheniensis 151
Hyperides: *Ὑπερίδης* an *Ὑπερείδης* 153 sqq.
— Hyperidis imitatores 139 sq.
— Hyperidis orationes:
— *κατ' Ἀθηνογένους* duae orationes ad eandem causam pertinentes 223
Prioris orat. fragmm. 225 sq.
Alterius 226 sq.

Hyperidis fragmm. sine orationum numero notata 228
— ὑπὲρ Ἀναξήμου fragm. 222
— κατ' Ἀντίου ὀρφανικός. De caussae ratione 255
Fragmenta 255 sq.
— πρὸς Ἀπελλαῖον oratio 258
Fragmenta 258 sq.
— πρὸς Ἀριστογείτονα decreti ab Hyperide post cladem Chaeronensem propositi accusatorem 190
Veterum de decreto testimonia 191 sqq.
De classibus hominum ad quos spectabat decretum 198 sqq.
Decretum παρὰ νόμους latum esse Aristogitо contendit 196
De actionis tempore 197
Fragmenta 198 sqq.
— κατ' Ἀριστοφῶντος oratio, adversus Ar. Azeniensem in actione παρανόμων habita inter Ol. CV, 3. et CVI, 3., et ad bellum sociale referenda 248 sqq.
Fragmenta 250 sqq.
— κατ' Αὐτοκλέους oratio.
Iupiter Ctesius in deorum penetralium numero colebatur 259
Lysiae adv. Autocl. suspectae fidei oratio 237. 240
Lycurgi adv. Autocl. oratio 238 sqq.
Hyperidis oratio in προδοσίας actione est habita 245
Fragmenta 241 sqq.
— κατὰ Δημάδου orat. fragmenta 149 sqq. et 184 sqq.
— κατὰ Δημέου ξενίας, εἰ γνήσιος 188
— πρὸς τὴν Δημέου γραφήν 189
— πρὸς Θασίους oratio, quae ad Maronitarum et Thasiorum de Stryme oppido contentionem referenda videtur 217
Fragmentum 218 sqq.
— ὑπὲρ Καλλίππου πρὸς Ἠλείους de Callippi crimine 207 sqq.
caussa non in senatu Olympico sed ab Eleorum populo diiudicata 210 sqq.
Hyperidis ὁ ὑπὲρ Μίκκας 214 sq.
— Πλαταϊκός. 230 sqq.
Ἱερὸν κνημγέσιον 28
Ἵππος (ἵππος, ἴππος, ἶπος) 38
Lycurgus: De orationum Lycurgear. numero 14 sqq.
— Ἀπολογίας πρὸς Δημάδην fragmenta 67 sqq.
— Ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται. De titulo argumentoque orationis 69 sqq.
Fragmenta 70 sqq.
— κατ' Ἀριστογείτονος oratio inter Ol. CXII, 3. fere annum et CXIV, 1. habita est 25 sqq.
De caussae ratione atque statu 27 sqq.
De argumento orationis Lycurgeae et probationum inter Lycurgum et Demosthenem distribuendarum ratione 30
Fragmenta 31 sqq.
— κατ' Αὐτολύκου oratio in δειλίας actione habita. Fragm. 35 sq.
— κατὰ Δημάδου oratione Lycurgus παρανόμων litem videtur agitasse 64
Fragmentum 65
— περὶ διοικήσεως oratio reddendis rite ἐν εὐθύναις aerarii duodecim per annos administrati rationibus dicta 72—77
Fragmenta 83 sqq.
Inscribendae orationis varietas 84
— περὶ τῆς ἱερείας. De caussae ratione orationisque argumento 91
Fragmenta 95 sqq.
— περὶ τῆς ἱεροσύνης. Fragm. 107 sq.
— πρὸς Ἰσχυρίαν s. κατ' Ἰσχυρίου. Fragm. 90 sq.
— κατὰ Λεωκράτους. Veterum testimonia 37

Lycurgus: *κατὰ Ληκόφρονος β'.* I. orationis fragmm. 38 sqq. II. orationis fragmentum 41
— *κατὰ Λεωκλέους.* De causae ratione. Fragmenta 47 sqq.
— *πρὸς τὰς μαντείας.* Fragm. 91
— *κατὰ Μενεσαίχμου.* *Ἀσεβείας εἰσαγγελία* videtur fuisse 50 Fragmenta 50 sqq. Incertae fidei orationes:
— *κατὰ Δεξίππου* fragm. 109
Διαδικασία Κροκωνιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας. Fragmenta 115 sq.
— *κατὰ Κηφισοδότου* 110 sqq. Fragmenta *ἀπαράσημα* 116 sqq.
De honoribus Lycurgo publice habitis 75 sqq.
De Lycurgeae administrationis tempore (Ol. CIX, 3. — CXII, 2.) 79 sqq.
Fabulosae atque historicae Lycurgi digressiones, earumque ratio 43 sq. cf. 51. 53. 99.
Μελίτη δῆμος 203
Menesaechmi in Lycurgi administrationem calumnia 72 sqq.
Μὴ κινεῖν ναὸν εὖ κείμενον proverb. 206
Micon a Lycurgo in oratione *περὶ ἱερείας* commemoratus 104 sq.
— Nominis corruptelae: *Μήκων, Νίκων, Κίμων* 95. 103
Minerva Polias 91 sqq. 96 sqq. 100
Mixidemides 234
Νεώσοικοι et *νεώρια* Lycurgi 71
Οἰνόη duo huius nominis oppida Attica 204
Ὀρκάνη 41
παρανόμων actio 249 sqq.
Patronymicorum conformatio 153
πάρεδροι dii, *π.* magistratus 98
πιστεύεσθαι mandatum accipere 2
Plynteria 97
Plutarchi quae dicuntur decem oratorum vitae earumque origo 142 sqq.
Polyeuctus, Demadis accusator 64
Polygnotus a Lycurgo (*περὶ ἱερείας*) cum Micone comparatus 105
προδοσίας γραφή 245
Proerosia 54 sq.
πρός τινα et *κατά τινος* orationes 205
προτέλεια 103
Pyanepsia 56 sqq.
Πυθαΐς. Ab hoc ducitur *Πυθαϊστής* et *Πυθαϊστής* 260
Σεμίδαλις 102
Scirophoria 97
Σπογγοκολυμβηταί 60 sq.
Strombichides, Autoclis pater, a triginta viris interfectus 233
Thasus insula Hyperidis aetate Atheniensibus subiecta 216
Thessalicum bellum 121
τὸ ἡλίου φῶς ὁρᾶν 48
τριτομηνὶς Ἀθηνᾶ 101
Xenophontis causa Olympica 211 sqq.

HALIS, FORMIS EXPRESSUM ORPHANOTROPHEI.

MAURITII HERMANNI EDUARDI MEIERI

COMMENTATIO

DE

VITA LYCURGI

QUAE PLUTARCHO ADSCRIBITUR

ET

DE LYCURGI ORATIONUM RELIQUIIS.

HALIS SAXONUM
LIBRARIA ORPHANOTROPHEI
MDCCCXLVII.

VITA LYCURGI

QUAE PRAETERIIT ASCRIBITUR

PLUTARCHO

Gustavo Kiesslingo meo, cum ante hos duodecim annos Lycurgi deperditarum orationum fragmenta iisque praemissam vitam oratoris, quae Plutarcho tribuitur, typothetae describenda typis mandaret, animus erat quam brevissime alterum litterarum fasciculum adiicere, quo continerentur Leocratea ad libros scriptos impressosque recensita et adnotatione ipsius selectaque aliorum illustrata, prolegomena copiosa, indices accurati, denique vitae Plutarcho adscriptae explicatio. Libri redemptor quod propediem sperabat fore ut de scriptoris manu exirent, quae deesse ad integritatem commentariorum dicerentur, noluit quae iam essent litterarum formis exarata, separatim forum venale experiri, sed apud se delitere maluit, donec promissorum accessio esset fata, quamvis edita sciret a multis desiderari, ab non paucis, quorum in manus beneficio Kiesslingi pervenissent, vehementer probari. Verum omnia contra evenerunt atque expectatum erat. Nam Kiesslingus ter altiores dignitatis gradus assecutus, ter cum statu stationem, cum statione non animum sed otia et negotia mutavit. Ita factum est, ut Lycurgum, quod non vacaret, primum remitteret, denique longo intervallo intermissum plane abiiceret. Sic spe destitutus bibliopola cum neque blattarum et tinearum epulas fieri vellet, quae possent doctos homines dapsiliter pascere, et tamen quae dubitasset recentia, vereretur obsoleta et antiquiora foro committere (neque enim ignoravit librarii fori aliam esse rationem atque vinarii, vina nisi si quae fugientia venirent, vetustate commen-

dari, librorum recentissimum quemque emptores maxime allicere, *τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπαινέουσ' ἄνθρωποι, ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται*): undique circumspicere coepit ut merci suae aliquam novitatis gratiam afferret. Tandem ad me venit meque rogavit ut filioli parente orbati praesidium susciperem, qui et parenti essem amicissimus et cum filio iustam quandam haberem necessitudinem; nam cum hic liber ab Kiesslingo et patris sui et meo nomini esset inscriptus, videbatur mihi esse idem impositum, quod nunc testibus, qui baptismati intersunt, et olim apud Romanos quodammodo iis erat impositum, qui togae virilis officio intererant. Ego vero nolui neque amici causam deserere, neque honesti viri iustis precibus deesse; ita evenit ut idem liber et mihi inscriberetur et per me dias ad luminis auras ferretur. Interim quae Kiesslingus promiserat se additurum, eorum pleraque ita iam ab aliis erant curata, ut huius aetatis desiderio satis superque esset satisfactum; nam Leocrateam quae erat hoc ipso saeculo sexies iam ante Kiesslingum eruditorum hominum curis recognita et ter quidem uno eodemque anno (1821) ab A. C. Beckero, C. F. Heinrichio et Fr. Osanno, ter autem post eum anuum ab Im. Bekkero (1823), ab G. Pinzgero (1824), ab G. A. Blumio (1828), eam igitur post Kiesslingum semel Eduardus Maetznerus (Berol. 1836), bis coniunctis studiis Io. Georg. Baiterus et Hermannus Sauppius tum in singulari „Lycurgi Oratoris Attici Reliquiarum“ editione (Turici 1834), tum in corpore „Oratorum Atticorum“ (Turic. 1840) ita et ad critices regulas revocarunt et interpretatione perpetua enarrarunt, ut neque contextus, qui dicitur, verborum nisi integrioribus et melioribus inventis libris multum emendari, neque enarratio nisi novis interpretationis consiliis subsidiisque apertis melius suc-

cedere posse videatur. Indicem autem Graecitatis Lycurgeae longe copiosissimum Sauppius confecit, denique vitam oratoris tum Guil. Arminius Blumeus (Narratione de Lycurgo oratore Postamii 1834. 4.), tum D. A. F. Nissenus („De Lycurgi oratoris vita et rebus gestis" Kiliae 1833. 8.) exposuerunt. Sic amatoribus Lycurgi iam per alios voti damnatis, cum acta agere nollem et nova quadam dote empturos allicere iuberer, nihil mihi vidi reliquum esse, nisi ut tum Plutarcheam, quae ferebatur, oratoris vitam explicarem diligentius, tum fragmentorum Lycurgearum orationum enarrationi adderem, quae deesse mihi viderentur, denique de uno alteroque Leocrateae loco meum iudicium interponerem, si qui superiorum editorum industriam vel plane fugisset vel nondum ita esset expertus, ut diversarum opinionum arbitrio certa quaedam et constans sententia succederet. Atque plerumque ita intra Lycurgi fines me continui, ut exspatiandi venia, quae philologis hominibus dari solet, semel tantum uterer dicam an abuterer, cum victum in prytaneo apud Athenienses praebitum paullo accuratius explicarem. Haec igitur bonis et aequis iudicibus ita velim non displiceant, ut qui amici rationibus adesse voluerim, artis ipsius rationes non neglexisse iudicer.

D. Halis Saxonicis pridie Kalendas Ianuarias a. MDCCCXXXXVII.

I.

In Vitam Lycurgi quae Plutarchi nomen prae se fert.

P. 1.

Λ. πατρὸς μὲν ἦν Λυκόφρονος τοῦ Λυκούργου ὃν οἱ τριάκοντα τύραννοι ἀπέκτειναν] ὃν cum Taylorus (Vit. Lys. p. 133.) et Pinzger (Einleit. p. 6.) ad Lycophronem patrem oratoris retulissent atque hunc ab XXX tyrannis necatum esse statuissent, C. O. Muellerus (Minerv. Poliad. p. 43.), Clintonus (F. H. II. p. 161. ed. Kr.), Blumius (p. 1.), Nissenus (p. 3.), Turicenses aliique intellexerunt ad Lycurgum avum oratoris esse referendum. Namque si pater iam Ol. 94. desiisset inter vivos esse, filius ut vel maxime esset postumus natus, egisset tum Ol. CXII, 2., quo tempore Leocratem accusavit, certe septuagesimum alterum, tum Ol. CXIII, $^2/_3$, quo fere anno diem supremum obiit, septuagesimum sextum annum; atqui oratio illa nullum senectutis prae se fert documentum, immo vigorem spirat constantis aetatis, vitae autem scriptor ne illud quidem significat, provectiorem aetate fuisse oratorem, cum fato perfungeretur. — Ab Xenophonte et oratoribus Atticis *τοὺς τριάκοντα* tantum dici, qui post Alexandri demum tempora *οἱ τριάκοντα τύραννοι* dicantur, satis nunc constat.

Λιτίου αὐτῷ τῆς ἀναιρέσεως γενομένου Ἀριστοδήμου Βατῆθεν, ὃς καὶ ἑλληνοταμίας γενόμενος ἔφυγεν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ] Hic ὃς non est de Aristodemo, quod proxime praecessit, sed de eodem oratoris avo intelligendum, etsi ex grammaticorum praeceptis sic *οὗτος*

potius pro ὃς exspectes (cf. Matth. Gr. Gr. §. 472, 3.). Oratoris autem avo num Aristodemus Batensis privata simultate intercedente perniciem struxerit — novimus enim temporibus illis multos optimorum civium διὰ τὰς ἰδίας ἔχθρας perisse (Lys. c. Agor. §. 44.) — an in commune XXX virorum odium ille incurrerit, ignoramus. Poterat hoc merere vel, ut Niceratus Niciae filius, fortunarum amplitudine (Xenoph. H. Gr. 2, 3, 21. πολλοὺς μὲν ἔχθρας ἕνεκα ἀπέκτεινον, πολλοὺς δὲ χρημάτων), vel popularis imperii studio et honoribus, quibus ipse et maiores eius ornati a populo erant. Orator certe tum ab hoc vitae scriptore (p. 7.) εὔπορος ὢν dicitur, tum in decreto Stratoclis (p. 12.) est: παραλαβὼν παρὰ τῶν ἑαυτοῦ προγόνων οἰκείαν ἐκ παλαιοῦ τὴν πρὸς τὸν δῆμον εὔνοιαν, de maioribus autem oratoris in eodem plebiscito extat: καὶ οἱ πρόγονοι οἱ Λυκούργου Λυκομήδης τε καὶ Λυκοῦργος καὶ ζῶντες ἐτιμῶντο ὑπὸ τοῦ δήμου καὶ τετελευτηκόσιν αὐτοῖς — ἔδωκεν ὁ δῆμος δημοσίας ταφάς. Verum ipsum oratoris avum in ditioribus fuisse vel inde apparet, quod hellenotamias fuit; neque enim credibile est eum magistratum aliis quam πεντακοσιομεδίμνοις delatum esse (cf. Boeckh. Oec. Civ. Attic. 1. p. 191.). Quod autem dicitur, καὶ ἑλληνοταμίας γενόμενος ἔφυγεν, id dupliciter intellegi potest, aut sic, ut postquam hellenotamias esset factus, solum vertisse feratur, inter illud autem munus et hanc poenam nulla praeterea necessitudo intercessisse significetur, aut sic, ut propter illud munus eam poenam meruisse dicatur. Ipsum φυγεῖν verbum haud scio sitne hic proprie an minus proprie dictum; sequioris enim aetatis scriptores, si qui proprietatem sermonis non curant, eum quoque φυγεῖν dicunt, qui salvis facultatibus salvaque ἐπιτιμίᾳ carere iussus est urbe per annum vel unum (ἀπενιαυτισμόν) vel plures (ὀστρακισμόν). Quodsi est proprie, id est de

eo intelligendum, qui perpetui exilii caussa solum vertit publicatis bonis et amissa civitate, iam et illud dubitabis quo crimine iudiciove eam poenam meruerit[1]) et qua ratione sub populari imperio in integrum restitutus sit, utrum singulari beneficio sive privilegio, quod ipsi fuerit concessum, an tum demum redierit, cum universis exulibus redeundi potestas facta esset, id quod temporibus illis bis factum dicitur, primum post cladem Siciliensem, dein ante XXX tyrannos institutos. (Cf. de bon. damnat. p. 228. sq.)

δήμων δὲ τῶν Βοντάδης] Scribendum est vel cum Turicensibus *τῶν δήμων δὲ B.*, vel *τῶν δὲ δήμων B.* Constructionem cum multis illustratam tum Dindorfio in Demosth. p. XII. et Sintenisio in Plutarchi Them. p. 3. vitarum scriptores frequentant, veluti Plutarch. Pericl. 3. *Περικλῆς ἦν τῶν μὲν φυλῶν Ἀκαμαντίδης, τῶν δὲ δήμων Χολαργεύς.* Ps. Plutarch. Vit. Antiph. *τῶν δὲ δήμων Ῥαμνούσιος.* Vit. Aeschin. *τῶν δὲ δήμων Κοθωκίδης.* Diog. Laert. 2, 18. *Σωκράτης — ἦν — τῶν δήμων Ἀλωπεκῆθεν.* 2, 4. *Ξενοφῶν — τῶν δήμων Ἐρχιεύς.* 3, 3. (*Πλάτων*) *ἦν δὲ τῶν δήμων Κολλυτεύς.* 4, 1. *τῶν μὲν δήμων Μυῤῥινούσιος.* 4, 16. *τῶν δήμων Οἰῆθεν.* 4, 21. *Θριάσιος δὲ τῶν δήμων.* 10, 1. *τῶν δήμων Γαργήττιος.* Neque aliter Suidas v. *Ἀλκίμαχος — Ἀναγυράσιος τῶν δήμων* (cf. Gaisf. in h. l.), v. *Ἀντιφῶν — τῶν δήμων Ῥαμνούσιος*, v. *Ἡρώδης Ἰούλιος — τῶν δήμων Μαραθώνιος.*

---

1) Quae crimina exilii poena ab Atheniensibus vindicata sint, exposui de bon. damnat. p. 99. Praeteriens quasi hic Plutarchi locum quendam pono (de exil. c. 7.), ubi Stratonici consilium commemorat, qui cum ex Seriphio aliquo hospite quaesivisset *ἐφ' ὅτῳ τῶν ἀδικημάτων φυγὴ τέτακται παρ' αὐτοῖς ἐπιτίμιον, ἀκούσας δὲ ὅτι τοὺς ῥᾳδιουργοὺς φυγαδεύουσι, Τί οὖν, εἶπεν, οὐκ ἐῤῥᾳδιούργησας, ὅπως ἐκ τῆς στενοχωρίας ταύτης μεταστῇς;*

p. 2.

γένους τοῦ τῶν Ἐτεοβουταδῶν] Quod orator gentilis erat eius gentis, quae augustissima Minervae Poliadis et Neptuni Erechthei sacerdotia hereditaria habebat, hinc iam alii intellexerunt explicari vel posse vel etiam debere, quod orator et aliquotiens data opera de sacrificiis, de sacris, de vaticiniis verba fecit, et in reliquis quoque orationibus saepe ad sacrorum memoriam redisse videtur.

ἀκροατὴς δὲ γενόμενος Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου ταπρῶτα ἐφιλοσόφησεν, εἶτα καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος γνώριμος γενόμενος, ἐπολιτεύσατο ἐπιφανῶς] Philosophatum olim esse Lycurgum, vanum est huius vitae commentum, quo percommode caret Photius, qui fere eadem sed omisso *ἐφιλοσόφησεν* habet, Platonis autem philosophi, dein Isocratis oratoris auditores fuisse etiam dicuntur Aeschines [1]), Demosthenes [2]), Hyperides [3]), atque Hyperides quidem eodem tempore illis usus est magistris, quo Lycurgus. Et de Platone quidem eorum oratorum praeceptore rumor quos habeat auctores, apparet ex Diog. L. 3, 46. *καὶ Ὑπερίδην τὸν ῥήτορα Χαμαιλέων φησὶ καὶ Λυκοῦργον, ὁμοίως Πολέμων ἱστορεῖ καὶ Δημοσθένην* (sc. *ἀκοῦσαι Πλάτωνος*). Ex Isocratis autem schola quod profecti esse dicuntur Hyperides, Isaeus, Lycurgus (Vit. Isocrat. p. XI. Dind.), Aeschines, id sine dubio ad

1) Ps. Plutarch. Vit. Aeschin. p. 247. Philostrat. Vit. Sophist. 18, 3. p. 509. p. 216. ed. Kays. Refragatur Apollonius in vita; cf. Stechow. de Aeschin. p. 7.

2) Ps. Plutarch. p. 259., quamquam fuerunt, qui Demosthenem Isocrati operam dedisse negarent, quod per tutorum fraudem ad inopiam redactus, honorarium mille drachmarum, quod exigere ille ab auditoribus solitus esset, praestare non posset.

3) Ibid. p. 269.

Hermippum Smyrnaeum Peripateticum, Callimachiae disciplinae alumnum auctorem referendum est, qui, si minus pluribus, certe tribus libris de Isocratis discipulis in amplissimo opere egit, quo vitas illustrium doctrina virorum perscripsit [1]). Prodierunt autem ex illa dicendi palaestra praeter illos, quos diximus, oratores, etiam Isaeus, Onetor, Lacritus Phaselita, Coccus [2]). Platonem vero audiverint oratores illi aut antequam secundum iter susciperet aut ex secundo vel ex tertio Siciliensi itinere reversum [3]). Atque ab ipso Platone ut ad Isocratem sex septemve annis Platone iuniorem (Diog. Laert. 3, 3.) si minus deductos, at certe hunc illis tamquam orandi magistrum commendatum esse statuamus, suadet tum familiaritas, quae inter philosophum et Isocratem intercessit [4]), tum quod ex ipsius Platonis dialogis scimus, Isocratem quanti fecerit et quam longe Lysiae praetulerit [5]). Ab hoc eius iudicio dissidet, qui etiam multis aliis in rebus cum magistro dissentit Aristoteles, qui quam cum Isocrate gesserit simultatem, enarravit prae aliis Stahrius (Ari-

---

1) Cf. quae prooem. schol. Univ. Halens. 1831. p. 4. sq. commentatus sum.

2) Suid. s. v. *Κόκκος ῥήτωρ Ἀθηναῖος μαθητὴς Ἰσοκράτους.*

3) Cf. Ritter Hist. Philos. II. p. 157.

4) Diog. Laert. 3, 7. *ὁ δ' οὖν φιλόσοφος καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν.*

5) De aemulatione quadam, quae Platonem inter et Isocratem intercesserit, disseruisse Bakium in scholicis hypomnematis Vol. III. a. 1844 ex diariis eruditorum cognovi; eam ille quo modo probarit, non cognovi. Quodsi Vaterus (Quaestion. histor. I. Kasan. 1846. p. 4. 12.) recte suspicatur, niti eam sententiam epistola si diis placet Speusippi, in qua Isocratis „Philippus" carpatur oratorque in orationibus ad Philippum missis ne Platoni quidem pepercisse dicatur, iusto caret fundamento.

stotel. I. p. 63. sq.) Ingenii autem Lycurgei ab Isocrate nimia est discrepantia, quam ut ex huius imitatione repeti possint, quae apud illum vel ab sententia vel ab verborum constructione similia leguntur. Cf. Maetzner. in Leocr. p. 76. §. 3. p. 133 sq. §. 28. p. 167. §. 49. p. 185. §. 59. p. 187. §. 60. p. 189. §. 62. p. 193. §. 65. p. 200. §. 68. p. 201. §. 70. p. 206. §. 72. p. 234. §. 91. p. 235. §. 92. p. 239. extr. sq. §. 94. p. 240. §. 95. p. 243. §. 98. p. 257. §. 104. p. 261. §. 106. extr. p. 266 sq. §. 108. p. 285. §. 123. p. 298. §. 130. p. 305. §. 136. p. 309. §. 138. praesertim cum etiam in vocalium concursu vitando aliud sit secutus Isocrates, aliud placuerit Lycurgo (cf. Maetzn. p. 315.).

[3]*Ἐπολιτεύσατο ἐπιφανῶς* (sic etiam infra p. 9. *πολιτευσάμενος ἐπιφανῶς*) *καὶ λέγων καὶ πράττων καὶ δὴ πιστευσάμενος τὴν διοίκησιν τῶν χρημάτων*] Ut multis in locis huius vitae Photius et ab delectu verborum et ab ordine rerum exponendarum praestat huic scriptori, ita hic quoque longe melius ille: *ἐπολιτεύσατο δὲ καὶ λέγων καὶ πράττων ἐπιφανῶς, καὶ τὰ τῆς πόλεως χρήματα διοικεῖν καταπιστευθεὶς ἐπὶ γ' πενταετηρίδας, κατὰ τὸ ἄριστον ταῦτα καὶ φιλοπονώτατον ταλάντων μυρίων ὄντα καὶ τετρακισχιλίων, διῳκήσατο.* Nam in Plutarcheo scriptore, quippe qui etiam *πιστευσάμενος* coniunxerit cum *ἐπολιτεύσατο*, primum desideres: *καὶ δὴ καὶ πιστευσ.*, dein *τὴν διοίκησιν τῶν δημοσίων χρημάτων*, ut est ap. Dionys. H. 5, 660. *τὴν διοίκησιν τῶν δημοσίων χρημάτων παραλαβών*, aut *τὴν κοινὴν διοίκησιν τῶν χρημάτων*, uti Aeschines F. L. p. 315. scripsit: *αὐτὸν ἐπὶ τὴν κοινὴν διοίκησιν εἵλεσθε.* Sed hac in re tueri se potest scriptor tum quaestoris legitimo titulo *τοῦ ἐπὶ τῇ διοικήσει* vel *ἐπὶ τῆς διοικήσεως*, ubi nunquam additum est *τῶν δημοσίων χρημάτων*, tum Hyperidis exemplo, qui ap. Lon-

gin. de Invent. T. IX. p. 545. Walz. dixit: ταχθεὶς δὲ ἐπὶ τῇ διοικήσει τῶν χρημάτων. — Maiori autem offensioni est, quod sequitur ταμίας γὰρ ἐγένετο ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας. Nam cum ταμιῶν Atheniensibus varia fuerint genera, non sufficit unum ταμίας vocabulum ad rem eam quae agitur significandam; quodsi addidisset quod extat in Stratoclis decreto p. 12. ταμίας τῆς κοινῆς προσόδου, nihil desideraretur ad integritatem. Forense autem legitimumque huius muneris nomen ne id quidem esse videtur, quod in eo plebiscito repetitur, immo et hoc et Plutarcheum (Arist. 4.) ἐπιμελητὴς τῶν κοινῶν προσόδων periphrasis potius est quam iustus titulus; is enim est ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει [1]) vel ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως; certe eo nomine dicitur in decreto ap. Diog. Laert. 7, 11. μερίσαι τὸν ἐπὶ τῇ διοικήσει, in titulo murali quem C. O. Muellerus edidit, in Dinarcheae orationis inscriptione ap. Dionys. H. 5, 653. κατὰ Διονυσίου τοῦ ἐπὶ τῆς διοικήσεως. Quod enim in decretis, quae eodem anno et Spartaco IV et Audoleonti data sunt, οἱ ἐπὶ τῇ διοικήσει leguntur (C. I. n. 107, 25. 41. A. L. Z. 1834. Mai. Int. Bl. 31.), probat temporibus illis, id est Ol. CXXIII, eum magistratum non penes unum sed penes plures fuisse. Boeckhius (Oec. Civ. Ath. I. 181.) eundem magistratum etiam verbis ταμίου τῆς διοικήσεως significari dicit; id si esset verum, esset etiam ipsum pro periphrasi habendum; at qui eum sic significarit habeo neminem; nam Pollucis 8, 113. ὧν ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως αἱρετὸς ἦν ἐπὶ τῶν προσιόντων καὶ ἀναλισκομένων, etsi initium huius loci corruptela laborare videtur, magis pro titulo ὁ ἐπὶ τῆς διοικ. pugnat, quam

1) Similiter carnifex s. δήμιος nunc ὁ ἐπὶ τοῦ ὀρύγματος (Lycurg. c. Leocr. §. 121.) nunc ὁ ἐπὶ τῷ ὀρύγματι dicitur (Dinarch. in Dem. §. 93.): quae Bernhardius Synt. p. 349. scribit, non satis intellego.

contra eum facit. Iam vero Boeckhius (l. l. I, 195.) ab hoc quaestore distinguit praetorem s. στρατηγὸν τὸν ἐπὶ τῆς διοικήσεως, ego autem nego eiusmodi praetorem Atheniensibus umquam fuisse. Boeckhius teste utitur Dem. de cor. 265, 11. Φίλωνος τ̣οῦ ἐπὶ τῆς διοικήσεως κεχειροτονημένου, alius utetur fortasse etiam Dem. l. c. 238, 12. περὶ δὲ τοῦ ἀδυνάτου ἐπικρινέτω ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων στρατηγὸς καὶ ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως καὶ ὁ γραμματεὺς τῆς βουλῆς, at caussae nihil est, quidni utroque loco quaestor intellegatur. Atque tantum de nomine eius magistratus, cui respondet etiam contrarotulatoris nomen ἀντιγραφεὺς τῆς διοικήσεως, cuius erat omnia notare et observare quaecunque ab quaestore τῷ ἐπὶ τῆς διοικήσεως gererentur. Fuisse eum magistratum non annuum, sed quaternorum annorum, aperte docent verba scriptoris huius ταμίας ἐγένετο ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας, quae etiam apud Photium et in Stratoclis decreto extant; eas pentaeteridas Panathenaica periodo contineri, id est ab tertio quoque olympiadis anno incipi, etsi certo evinci non potest, at non improbabiliter statuit Boeckhius (l. c. 2, 150. 245.), praesertim cum quaestores ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηνᾶς per Panathenaicam periodum munere functos esse constet; quod autem Boeckhius eam periodum non ab primo tertii Olympici anni mense sive ab Hecatombaeone, quo mense Panathenaea celebrabantur, sed ab sexto demum eius anni mense numerari vult, id ne probabile quidem est. Redimus ad Lycurgum, quem per XII annos eo munere functum esse etiam Diodorus (16, 88.) scribit. Hi autem anni si continui erant, id quod sane verba suadent ut statuamus, quaeritur quinam fuerint. Atque Boeckhius quidem (l. c.) optionem facit inter Ol. CIX, 3 — CXII, 2. et CX, 3 — CXIII, 2. eamque optionem tuetur etiam in libro, cui inscriptum est „Urkunden über das Seewesen“ p. 72. Priori senten-

tiae subscripsit Droysenus (Ueber die Aechtheit der Urkunden in Demosth. Rede vom Kranze p. 20.), posteriori C. O. Muellerus (de muniment. Athenar. p. 28 sqq.). Neutri calculum adiecit Boehneckeus (Forschungen auf dem Gebiete der Attisch. Redner p. VIII sqq.), hic enim illorum annorum initium reiicit in Ol. CVII, 3. atque Lycurgum aerarii administrationem ante pugnam Chaeronensem habuisse demonstraturum se esse in commentatione propediem edenda (p. 460.) profitetur. Num iam huic steterit promisso, ignoramus: quibus autem p. VIII sqq. usus est argumentis, apud me certe non magnam habent persuadendi vim. Mihi hoc primum constat, Lycurgum non potuisse post Ol. CXII, 3. eo in munere esse. Namque oratorem iam antequam Harpalus Athenas confugeret, id est ante hiemem Ol. CXIII, 3. fato perfunctum esse et Nissenus evicit (p. 12.), et vel inde satis appareret, quod nulla eius memoria occurrit in Harpalica caussa. Certum est autem Lycurgum non in ipso quaestoris munere expirasse, sed superstiti ei successorem datum esse Menesaechmum. Etenim primum qui per tres pentaeteridas eo cum imperio fuisse scribitur, fieri non potest ut in media aliqua pentaeteride decesserit. Dein Dionysius H. (de Dinarch. p. 659.) utramque pro Menesaechmo [1]) orationem et eam quae „de sacrificio Deli“ et eam quae „adversus Periclem et Democratem“ inscripta sit, abiudicare se scribit Dinarcho tum propter stilum, tum quod eas qui habuerit orationes, ipse non ignobilis fuerit, sed et post Lycurgum administrationem aerarii publici receperit (*μετὰ Λυκοῦργον τὴν διοίκησιν τῶν δημοσίων χρημάτων παραλαβών*), et saepe multumque, ut ipse signi-

1) In verbis Dionysii *ἀφαιροῦμαι δὲ καὶ τοὺς περὶ Μενεσαίχμου λόγους* rescribo: *τοὺς ὑπὲρ M.*

ficet, in iudiciis publicis privatisque exercitatus [1]), ut parum credibile sit Dinarcho eum usurum fuisse, qui orationes sibi scriberet. Traditum erat igitur in illis orationibus etiam hoc, in praefectura aerarii Menesaechmum esse Lycurgo successorem datum. Atqui altera illarum orationum, quae *περὶ Δήλου θυσίας* erat, defendisse se Menesaechmum contra Lycurgi orationem eam, quae erat *κατὰ Μενεσαίχμου* inscripta, infra probabo, ubi de huius orationis fragmentis dicturus sum. Itaque fieri nullo modo potest, ut post Ol. CXII, 3. praefecturam aerarii retinuerit Lycurgus. 2) Illud autem probabile est, post Ol. CX, 3. eo cum magistratu fuisse oratorem. Nam cum armamentarium et navalia ab aliis inchoata accepisse et perfecisse dicatur Lycurgus (Vit. p. 3. *πολλὰ δὲ ἡμίεργα παραλαβὼν ἐξετέλεσε καὶ νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην.* Decret. p. 12 sq.), eaque si pro potestate fecit, non alia videatur quam quaestoris *τοῦ ἐπὶ τῆς διοικήσεως* potestate fecisse, eademque praetore Lysimachide i. e. Ol. CX, 2. propter bellum Philippi intermissa esse Philochorus auctor sit (ap. Dionys. H. 6, p. 742. *Λυσιμαχίδης Ἀχαρνεύς. ἐπὶ τούτου, τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τοὺς νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Φίλιππον, τὰ δὲ χρήματα ἐψηφίσαντο πάντ' εἶναι στρατιωτικὰ Δημοσθένους γράψαντος*): credibile est sane hoc Lycurgi officium sive iam post dilata tum temporis ea opera sive etiam intercesserit antequam differrentur, certe post Ol. CX, 2, locum habuisse. Id probabile tantum dixi, quod non constat omnino num ea opera pro potestate exegerit, et si cum magistratu tum fuit, quocum fuerit magistratu.

1) *Ἐξητασμένος δὲ πολλάκις, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς λόγοις περὶ ἁπάντων μηνύει, καὶ ἐν ἰδίοις καὶ ἐν δημοσίοις ἀγῶσιν.* Nollem tentassent *ἁπάντων* Sylburgius et Kiesslingus infra p. 82.

C. O. Muellerus (de munim. Athen. p. 29.) curam navalium et armamentarii extruendorum eumque ea quaesturam ἐπὶ διοικήσεως post pugnam demum Chaeronensem Lycurgo translatam esse propterea statuit, quod ante id proelium armamentarii extruendi curam penes theoricae pecuniae praefectos fuisse ex Aeschine c. Ctesiph. §. 25. coll. c. Dinarch. c. Dem. p. 96. appareat. At vero ex utroque loco id tantum patere videtur, propter fidem Eubulo habitam praefectos theoricae pecuniae et curam navalium habuisse et armamentarium extruxisse, donec Hegemonis lex perferretur, illud autem non inde apparet, eam curationem penes praefectos illos ad tempus usquè Chaeronensis proelii perdurasse. — Atque haec de tempore eius quaesturae. Videamus iam reliqua. *Ταμίας γὰρ ἐγένετο ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας ταλάντων μυρίων τετρακισχιλίων ἢ ὡς τινες μυρίων ὀκτακισχιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα καὶ ὁ τὰς τίμας αὐτῷ ψηφιζόμενος Στρατοκλῆς ὁ ῥήτωρ.* In his primum offensioni est genitivus inepte cum *ταμίας* coniunctus, qui longe aptiorem locum apud Photium habet: *τὰ τῆς πόλεως χρήματα διοικεῖν καταπιστευθεὶς — ταλάντων μυρίων ὄντα καὶ τετρακισχιλίων.* unde conieceris forsitan: *ταμίας γὰρ ἐγένετο ἐπὶ γ' πενταετηρίδας [δημοσίων χρημάτων ὄντων] ταλάντων μυρ.* Deinde morantur novissima *καὶ — ὁ ῥήτωρ*, quae, praesertim cum absint ab Photio, alii pro suspectis habita uncinis circumdederunt, alii ut Coraes et Turicenses hinc exulare iussa p. 10, l. 6. inter *κατὰ τὸ αὐτὸ ψήφισμα* et *ἀποθανόντος τε Λυκούργου* reposuerunt, quo loco quorsum valeant, etiam minus perspicitur. Mihi servari posse videntur, modo statim post *ὡς τινες* collocentur, in hunc modum: *ἢ ὡς τινες καὶ ὁ τὰς τ. α. ψ. Στρατοκλῆς ὁ ῥήτωρ μυρίων ὀκτακισχιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα.* Numerus vitium contraxit; nam in Stratoclis decreto est *διανείμας ἐκ τῆς κοινῆς προσόδου μύρια*

καὶ ὀκτακισχίλια καὶ ἐνακόσια τάλαντα. Scilicet cum in eodem decreto paucis versibus interiectis Lycurgus dicatur talenta sexcenta quinquaginta a privatis hominibus ipsius fidei commissa et mutuo data in reipublicae necessitates impendisse, aberravit vitae auctor sic ut eum numerum pro ἐνακοσίων adiiceret talentis μυρίοις ὀκτακισχιλίοις a Lycurgo dispensatis. Id perspexit iam Boeckhius Oec. Civ. Ath. I, 471. Ipsam autem illam diversitatem, qua alii quaterdecies mille, alii duodevicies mille et talenta nongenta narrarunt administrata esse ab Lycurgo, Boeckhius inde explicare conatus est, quod sexcenta quinquaginta talenta illa, quae mutuo accepisset Lycurgus, alii et bis quidem, semel cum ab creditoribus acciperentur, dein cum iisdem redderentur, in tabulas rettulissent, alii non rettulissent; verum cum sic supersint talenta ter mille et sexcenta, in quae non cadat ista explicatio, non multum hac proficitur. Magis placet Nisseni (p. 42.) ratio, qui pecunias, quae non ad sollemnes reditus pertinerent, sed essent extra ordinem ab Lycurgo administratae, in minore summa omissas, in maiore additas esse statuit, quamquam ne hac quidem ratione multum proficitur. Etenim infra (p. 8.) Lycurgus reditus publicos ita auxisse dicitur, ut annui reditus essent talenta mille ducenta; id quod per annos duodecim efficit talenta quater decies mille quadringenta, atque haec ut minore summa maiora sunt talentis quadringentis, ita maiore summa minora sunt talentis quater mille et trecentis, quorum illud licet sic explicare, ut primo anno quaesturae tantum octingenta et secundo demum anno MCC talenta redisse statuatur.

p. 3.

τὸ μὲν πρῶτον αἱρεθεὶς αὐτός, ἔπειτα τῶν φίλων ἐπιγραψάμενός τινα, αὐτὸς ἐποιεῖτο τὴν διοίκησιν, διὰ τὸ φθάσαι νόμον εἰςενεγκεῖν, μὴ πλείω πέντε ἐτῶν διέπειν τὸν χειροτονηθέντα ἐπὶ τὰ δημόσια χρήματα.] Hic et coniunctio desideratur, qua quae sequuntur coniungantur cum iis quae praecedunt, neque offensione caret alterum αὐτός, et transpositione opus est in hunc fere modum: τὸ μὲν οὖν πρῶτον αἱρεθεὶς αὐτὸς ἐποιεῖτο τὴν διοίκησιν, ἔπειτα τῶν φίλων ἐπιγρ. τινα διὰ τὸ φθάσαι. Quod de re, πέντε ἐτῶν hunc scriptorem male pro pentaeteride posuisse monuerunt iam Nissenus (p. 11.), Turicenses, alii. Lege vero, quae vetaret, ne quis ultra pentaeterida, id est amplius semel eo munere fungeretur, quod visum est opus esse, id probare videtur iusiurandum heliastarum οὐδὲ δὶς τὴν αὐτὴν ἀρχὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα ἄρξαι ἐάσω (Demosth. c. Timocr. 747.) non magis ad quaesturam aerarii quam ad praeturam strategorum pertinuisse. Legem autem eam Boeckhius (I. 178.) ab invidis inimicis Lycurgi post primam pentaeterida, Nissenus (p. 11.) ab ipso Lycurgo rogatam esse statuit; atque sane grammaticae rationi magis convenit, ut φθάσαι εἰςενεγκεῖν idem habeant subiectum, quod est ἐποιεῖτο verbi; nihilominus cum parum sit dignum Lycurgo, legem a semet ipso perlatam callide infringere, subiecti variationem, abs qua ne optimi quidem scriptores reformidant, non dubitaverim in libro tam negligenter et perfunctorie scripto admittere, ideoque eam legem arbitror non ab Lycurgo sed ab aliis rogatam esse, idque ante primae pentaeteridis exitum. Populus vero cum Lycurgum ita probaret, ut eum vellet pergere porro cum eo magistratu esse neque vero derogari legi, fecerit fere idem, quod Lacedaemonii, qui quum esset apud ipsos lege interdictum ne quis bis navarchus esset, sociis Lysan-

Lysandrum denuo navarchum sibi dari iubentibus id tribuerunt, ut Aracus quidem nomine tenus navarchus esset, Lysander autem ἐπιστολέως titulo veram navarchi potestatem haberet (Xenoph. H. Gr. II, 1, 17.). Athenis fortasse iam antiquitus quaestor τῆς διοικήσεως nonnullos adsessores sibi legere solebat; cum igitur Lycurgo per legem non licuerit bis praefecto aerarii esse, forsitan ita populus eum quem sibi Lycurgus commendasset (προὐβάλετο), quaestorem creabat, ut Lycurgum adsessorem asciscere eique summam rei permittere iuberetur. Habronem Lycurgi filium cum ex inscriptione murali constet aliquando ἐπὶ τῇ διοικήσει fuisse, C. O. Muellerus (de munim. Athen. p. 28.) hunc coniecit alterum ex illis amicis fuisse, qui nomine tenus quaestores essent, cum re quidem vera Lycurgus aerarium administraret. Alterum illorum amicorum erat cum Dionysium quendam crederem fuisse, contra quem ab Dinarcho scripta erat oratio, quae inter germanas huius orationes iudiciorum publicorum ab Dionysio Halic. (T. 5. p. 652. κατὰ Διονυσίου τοῦ ἐπὶ τῆς διοικήσεως) refertur; hanc enim post Ol. CXI, 1. scriptam esse inde apparet, quod eo demum anno Dinarchus iudiciales orationes scripsit; verum nihil obstat, quominus Dionysius post illos XII annos ἐπὶ τῇ διοικήσει fuisse perhibeatur. Ceterum adeo ipsi Lycurgo videbatur prorogatus magistratus esse, ut vel in decreto Stratoclis ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας ταμίας τῇ πόλει γενόμενος dicatur, quamquam in hoc accurationem verborum expectes.

Quae sequuntur, ita susque deque turbata sunt omnia, ut temeraria fortuna potius coniecta quam apte collocata videantur. Etenim iam prima verba ἀεί τε ἐφεστὼς τοῖς ἔργοις διετέλεσε καὶ θέρους καὶ χειμῶνος debebant aut ante ipsam memoriam operum publicorum ab Lycurgo profligatorum, aut statim post eam col-

locari, id est aut ante καὶ τὸ ἐν Λυκείῳ γυμνάσιον ἐποίησε καὶ ἐφύτευσε aut post χαρίσασθαι Λυκούργῳ, vel certe post καὶ τὸ ἐν Διονύσου θεάτρῳ ἐπιστατῶν ἐτέλεσε. Dein verba πιστευσάμενος δ' ἐν παρακαταθήκῃ παρὰ τῶν ἰδιωτῶν διακόσια καὶ πεντήκοντα τάλαντα ἐφύλαξε erant plane hinc segreganda et statim post ταμίας γὰρ ἐγένετο — ἑξακοσίων πεντήκοντα ponenda; nam hic vitae scriptor referre videtur voluisse, quae in Stratoclis decreto extant πολλὰ δὲ τῶν ἰδιωτῶν διὰ πίστεως λαβὼν — τὰ πάντα ἑξακόσια καὶ πεντήκοντα τάλαντα, unde simul apparet tum aut διακόσια vitae aut ἑξακόσια decreti [1]) deberi errori, tum ἐφύλαξε ineptum esse eiusque loco desiderari προὐδάνεισεν εἰς τοὺς τῆς πόλεως καιρούς. Iam vero consideremus opera publica, quae effecisse Lycurgus traditur. Discernuntur autem haec dupliciter; primum potestatis ratione, qua illa perfecit; namque eorum alia cum praefectus apparatui bellico, alia cum ἐπιστάτης, alia cum quaestor ἐπὶ τῆς διοικήσεως esset, executus esse narratur. Dein distinguuntur sic, ut alia et incepisse et profligasse, alia cum essent inceptа ab aliis, tantum ad exitum perduxisse dicatur. Atque praefecti quidem apparatuum bellicorum iustum titulum ignoramus; nam ἐπὶ τὴν τοῦ πολέμου παρασκευὴν χειροτονηθείς, ut in hac vita et apud Photium, vel ἐπὶ τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς χειροτονηθείς, ut est in Stratoclis decreto, periphrasis potius est quam iustum muneris nomen; valet id etiam in alios Atticos magistratus; sic, ut uno utar exemplo, theoricae pecuniae praefectus quis fuerit legitimus titulus, non constat; nam οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένοι periphrasis tantum est. Neque vero praefectura illa ordi-

1) Sauppius p. 87. decretum arbitratur ad vitae verba immutandum esse; quod autem hoc facto intellegi dicit, id equidem non intellego.

narierum et annuorum magistratuum numero habita fuisse, sed ad tempus modo et extra ordinem urgente bello introducta esse videtur. Nam triremium, quas in ea praefectura comparavit orator, faciendarum cura aliis quidem temporibus ad senatum quingentorum pertinebat; is plerumque gravissimas huius curae partes τριηροποιοῖς relinquebat tributim nominandis, quibus suus erat peculiaris quaestor, ταμίας τριηροποιικῶν in inscriptionibus navalibus aliquotiens nominatus; aliquando etiam praesides θεωρικῶν navium fabricandarum curam sustinebant. Cf. Boeckh. Urkund. üb. d. Seewesen p. 61. Lycurgus extraordinarium id munus eodemne tempore obierit, quo ἐπὶ τῇ διοικήσει erat, ignoramus; per leges licuisse arbitror simul utroque fungi; nam interdictum οὐδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ (Demosth. c. Timocr. 747.) ad duos ordinarios magistratus pertinebat, non pertinebat ad curationem (ἐπιμέλειαν) cum magistratu coniungendam.

Ea autem curatione cum esset, et alia multa refecisse et quadringentas triremes populo comparasse dicitur: πολλὰ τῆς πόλεως ἐπηνώρθωσε, καὶ τριήρεις παρεσκεύασε τῷ δήμῳ τετρακοσίας. Photius: ἄλλα τε πολλὰ τῆς πόλεως κατερρυηκότα ἐπανέλαβε καὶ τριήρεις τῷ δήμῳ υ' παρεσκεύασε. „Multa" illa, quae ab ementito Plutarcho, „alia multa" quae ab Photio instaurasse dicitur Lycurgus, C. O. Muellerus (de munimentis Athen. p. 30.) et Leakius (Topogr. Athen. p. 609.) ad murorum quandam refectionem referunt, cuius curam Lycurgus, et Muellero quidem iudice tum, cum Athenienses Alexandro bellum moverent, ex sententia autem Leakii, brevi ante proelium Chaeronense susceperit; sed murorum reficiendorum curam aliquando penes Lycurgum fuisse comprobari nequit. At vero cum in decreto Stratoclis sit χειροτονηθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ

πολέμου παρασκευῆς ὅπλα μὲν πολλὰ καὶ βελῶν μυριάδας πέντε ἀνήνεγκεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν, ν' τριήρεις πλωΐμους κατεσκεύασε, quibus compone Paus. I, 29, 16: ἐς δὲ τὸν πόλεμον (κατεσκεύασε) ὅπλα καὶ βέλη καὶ τετρακοσίας ναυμαχοῦσιν εἶναι τριήρεις, satis hinc apparet „multis" illis significari „arma multa et iaculorum quinquaginta millia in arcem relata." In eo autem neque hic vitae scriptor nec Photius accuratus est, quod quadringentas naves parasse scribunt Lycurgum civitati, id quod potest etiam sic accipi, quasi vero eas omnes novas fecerit. Longe diligentior Stratocles in decreto, qui quadringentas naves eum scribit fecisse ad navigandum idoneas, partim reficiendo veteres, partim novas construendo. Id vero noli sic accipere, quasi vero omnes illae quadringentae naves ab Lycurgo aut refectae aut factae sint; immo hoc unum vult Stratocles, Lycurgum partim reficientem eas quae essent reficiendae, partim novas facientem, consecutum esse, ut essent civitati triremes quadringentae πλώϊμοι. Cum ex inscriptionibus navalibus appareat triremes Atheniensibus Ol. CVII. numero trecentas octoginta tres, Ol. CXIII, 2. triremes trecentas nonaginta duas, quadriremes undeviginti, Ol. CXIII, 3. et 4. triremes trecentas sexaginta fuisse (Boeckh. Urkunden üb. d. Seewesen p. 79.), ex Demosthene autem F. L. 369, 13. intellegatur, Ol. CIX, 2. triremes Atheniensibus trecentas fuisse, efficitur hanc triremium accessionem a Lycurgo adiectam cadere post Ol. CIX 2. et ante Ol. CXIII, 2., ni fallor, in tempora quae pugnam Chaeronensem proxime secuta sint.

Atque haec quidem de iis, quae ille apparatui bellico praepositus fecit. Videamus, quaenam Lycurgus quaestor τῆς διοικήσεως aedificaverit. Neque vero id sic accipi velim, quasi vero iis aedificiis extruendis non sui fuerint peculiaresque curatores; immo

eatenus condidisse ille dicitur, quod et populo auctor fuit, ut partem redituum in illa aedificanda conferret et non minimum diligentiae ipse iis aedificandis adhibuit. Neque aliter accipiendum est, quod Pericles tot praeclara opera extruxisse dicitur. Primum vero nominatur Lyceum: καὶ τὸ ἐν (Sauppius coniecit: ἐπὶ) Λυκείῳ γυμνάσιον ἐποίησε καὶ ἐφύτευσε. Eam memoriam omittunt Hyperides (Rhet. Gr. T. IX. p. 545. Walz.) et Photius, habet vero Pausanias (I, 29.) ᾠκοδόμησεν — καὶ πρὸς τῷ Λυκείῳ καλουμένῳ γυμνάσιον, habet etiam decretum Stratoclis (p. 13.) καὶ τὸ γυμνάσιον καὶ τὸ Λύκειον κατεσκεύασε, ubi Turicenses de coniectura Schoemanni καὶ τὸ γυμνάσιον τὸ κατὰ Λύκ. rescripserunt, fortasse praeter necessitatem. Etenim nomina trium antiquiorum gymnasiorum Atticorum, quae ephebis exercendis destinata erant, primitus erant templorum quibus illa addita erant, Academia aedis Minervae, quae Volcanum et Prometheum συννάους habebat (Schol. Soph. Oed. Col. 56.), Lyceum templi Apollinis Lycii, Cynosarges templi Herculis. Liv. 31, 24. „Cynosarges templum Herculis gymnasiumque et lucus erat circumiectus.“ Hinc gymnasium Lycei accurate loquentibus dicitur τὸ ἐπὶ, τὸ ἐν Λυκείῳ, negligentius τὸ Λύκειον. Itaque ex verbis Stratoclis apparet ab Lycurgo et templum Lycii Apollinis et adiectum gymnasium esse adornatum, quod cur factum esse neges, caussae nihil est. — Nissenus (p. 58.) plura in Lyceo gymnasia fuisse coniecit, antestatus Alciphronem (2, 3.), τῶν τοῦ Λυκείου γυμνασίων καὶ τῆς ἱερᾶς Ἀκαδημίας: verum pluralis numerus partim exaggerationis est, partim eo excusatur, quod simul ad Academiam pertinet. Cum vero operam Lyceo ab Lycurgo impensam et huius vitae enarrator et Pausanias ab iis operibus distinguant, quae Lycurgus inchoata ab aliis perfecerit (ἑτέρων ὑπαρξάντων ἐπετέ-

λεσε), neque his refragetur Stratoclis decretum, modo in eo distinctionem post ἐξειργάσατο tollas, qua hoc ab καὶ ἐπετέλεσε dirimebatur, quaeritur quomodo hoc conciliandum sit cum Theopompo et Philochoro, quorum Philochorus Pericle praeside (*Περικλέους ἐπιστατοῦντος*), Theopompus a Pisistrato factum esse Lyceum memoriae mandarunt (Harpocr. v. *Λύκειον*. Schol. Lucian. Piscator. 52.). Etenim quod illi *ὠκοδομῆσαι* et *ποιῆσαι* Lycurgum dicunt, non sic est intellegendum, quasi vero orator aream plane vacuam novis fundamentis occupaverit iisque novam domum substruxerit, immo Lycurgus, quae iam ante se ad gymnasium pertinebant, iis novum adiecit ab semet inchoatum aedificium et arbores sevit, simile quiddam etiam Pericles fecerit, prima autem trium gymnasiorum institutio et adornatio ad Pisistratidas pertinet, id quod de Cynosarge etiam ex rebus vitaque Themistoclis efficitur, de Academia illud certe traditur, Hipparchum Pisistrati fil. muro Academiam cinxisse eamque in rem magnum tributum Atheniensibus imperasse (cf. Paroemiogr. Gr. p. 374. ed. Gotting.), Charmum autem Hippiae et amatorem et socerum Cupidini aram in Academia primum omnium posuisse (Athen. 13, 609, d.). —

Inter opera ab Lycurgo quaestore et inchoata et perfecta vitae scriptor secundo loco nominat „palaestram", cuius memoria etiam infra redit p. 11. *ἀνέθηκαν ἐν σκήλῃ πρὸ τῆς ὑπ' αὐτοῦ κατασκευασθείσης παλαίστρας*, omittitur autem ab Hyperide, Stratocle, Pausania. Eam palaestram in Lyceo extructam esse et alii statuerunt et Leakius (Topogr. Athen. p. 214.), Nissenus (p. 50.), Fr. Haasius (v. Palaestra in Ersch et Gruber. Encyclop. III, 9. p. 362.); potest id verum esse, sicuti in Olympia et in urbe Elide propinquae erant gymnasiis palaestrae et cum iis cohaerebant (Pausan. 6, 21, 2. 23, 4. 5, 15, 8.), idem-

que fortasse in omnes palaestras valebat, quae ephebis erant designatae; idem etiam in eas palaestras valuisse, quae pueris exercendis constitutae fuerint, non est simile veri. Quodsi *οἰκοδομῆσαι* recte supra explicuimus, palaestra Lycurgi fortasse non plane nova accesserit ad palaestras Hippocratis, Sibyrtii, Taureae et si quas alias iam ante Lycurgum Athenae habuerunt, sed aedificium fuerit novum, quo unam ex veteribus palaestris auxerit orator. — Atque tantum de operibus, quae ab Lycurgo et inchoata et profligata sunt.

Transimus ad opera quae ab aliis inchoata perfecit Lycurgus. Commemorantur autem hic navalia, armamentarium, stadium Panathenaicum et segregatum ab his aliquot versus post theatrum. Id cur ab illis seiunctum, ab Photio autem plane omissum sit, aliam non habeo rationem, nisi quod illa ut quaestor *τῆς διοικήσεως*, theatrum autem *ἐπιστατῶν* fecisse videtur. Dicam iam de singulis singulatim. Atque *οἵ τε νεώσοικοι καὶ ἡ σκευοθήκη* cum ita non solum in hac vita et ab Photio sed etiam in Stratoclis decreto commemorentur, plus his tribuendum est quam Pausaniae, qui (I, 29, 16.) *νεωσοίκους ἐν Πειραιεῖ* et gymnasium Lycei ad ea refert, quae Lycurgus *ἐπὶ τῆς αὐτοῦ πολιτείας ᾠκοδόμησεν* et ab iis distinguit, quae *ἑτέρων ὑπαρξάντων ἐπετέλεσεν*. Etenim navalia cum essent capta ab Lysandro urbe iussu Lacedaemoniorum maximam partem diruta, quando restitui coepta sint, scimus quidem non accurate, sed Ol. CVI, 3. iam erant, ut minimum dicamus, trecenta instaurata (Boeckh. Urkunden über das Seewesen p. 67.). Lycurgus tantum fortasse addidit, ut quadringentis navibus excipiendis sufficerent. Ea quod supplementa erant superiorum, illi dixerunt incepta ab aliis absolvisse Lycurgum, eadem quod nova erant, hi et inchoata et ab-

soluta ab Lycurgo scripserunt. — *Σκευοθήκην* quo nomine Boeckhius (l. c. p. 195. sqq.) docuit aedificium dici, quo navium bellicarum *τὰ κρεμαστὰ σκεύη* deposita fuerint, Athenae iam ante Philonem architectum habuerunt unam lapideam, quae, ubi Philonis armamentarium accessit, *ἡ ἀρχαία σκευοθήκη* dicebatur, cuius memoria in inscriptionibus navalibus Olympiade centesima octava antiquioribus extat, et aliquot habuerunt ligneas. Sed superiora omnia obscuravit opus, elegantia et impensa visendum, admirabile Philonis architecti armamentarium, *σκεύεσι* mille navium recipiendis aptum, quod captis a Sulla Athenis a. Chr. 87. igne consumptum est. Id ipsum est armamentarium, quod in navalibus inscriptionibus *ἡ σκευοθήκη* nullo alio addito verbo dicitur, eratque iam Ol. CXII, 3. eatenus absolutum, ut esset navium apparatui excipiendo idoneum (Boeckhius l. c. p. 68. sqq.). Philo quam diserte operis sui rationem in theatro apud populum reddiderit, olim ex Cicerone (de Orat. I, 14.) et Valerio Maximo (8, 12. extern. 2.) constitit, nuper Philodemi quidam locus innotuit, qui idem docet (Rhet. p. 24. cf. Gros. h. l. p. 113.): *Φίλωνα τὸν ἀρχιτέκτονα περὶ τῆς σκευοθήκης οὗτος αὐτὸς εἰςήγαγεν δημηγορῶντα.* Erat is idem Philo, quem Demetrius Phalerensis, cum esset Athenis rerum potitus, id est post Ol. CXV, 4., Eleusiniae aedi prostylon adiiciendae architectum adhibuit, ut auctor est Vitruvius (praef. libr. VII.). Haec vero ipsa ea est *σκευοθήκη*, quam ab nescio quo inceptam perfecisse scribitur Lycurgus, nam ut in hac vita est *ἐξετέλεσε — καὶ τὴν σκευοθήκην*, et ap. Photium *καὶ τὴν σκευοθήκην ἐπεσκευάσατο*, ita in Stratoclis decreto est: *ἡμίεργα παραλαβὼν τούς τε νεωςοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην — ἐξειργάσατο καὶ ἀπετέλεσε.* Hyperides autem quod *ᾠκοδόμησε δὲ* scribit *νεώρια, τριήρεις ἐποιήσατο, λιμένας*, comprehendit *νεωρίων* verbo utraque

et νεωσοίκους et σκευοθήκην, de qua eius vocis significatione cf. Boeckh. l. c. p. 64. Quod autem Hyperides „portus“ addit ab Lycurgo factos, novum est neque extat apud quemquam reliquorum; quid vero fecerit ille portibus, ignoramus. Referendumne est huc, quod Ol. CVIII, 2. Callisthenes rogavit τὰ φρούρια ἐπισκευάζειν καὶ τὸν Πειραιᾶ τειχίζειν (Demosth. F. L. 368, 5.)? Piraeum quo tempore ad Chaeroneam pugnatum sit, valde munitum fuisse apparet ex quodam Hyperidis decreto (cf. Boehnecke Forschungen p. 546.).

Transeo ad stadium Panathenaicum. Id cum et in hac vita et ab Photio sic commemoretur, ut non id tantum inde appareat, inceptum illud ab aliis, perfectum ab Lycurgo esse, sed intellegatur etiam quid ille addiderit ad integritatem, nam et crepidine illud circumdedisse (τὴν κρηπῖδα περιέθηκε sive ὑπεβάλετο cum Photio) et locum confragosum vel fossam (χαράδραν) complanasse dicitur (hoc omittitur ab Photio), aperte refragaretur his Stratoclis decretum, si in hoc ita distingueretur, ut Turicenses distinxerunt: καὶ τὸ θέατρον τὸ Διονυσιακὸν ἐξειργάσατο καὶ ἐπετέλεσε, τό τε στάδιον τὸ Παναθηναϊκὸν καὶ τὸ γυμνάσιον τὸ κατὰ Λύκειον κατεσκεύασεν, distinguendum est potius Διονυσιακὸν ἐξειργάσατο καὶ ἐπετέλεσε τό τε στάδιον τὸ Παναθηναϊκόν, καὶ τὸ γ., ubi τε significat „etiam“; cf. Hartung v. d. Partik. d. Gr. Spr. p. 110. Illud autem stadium non multum aberat ab Ardetto (Harpocr. v. Ἀρδηττός — τόπος Ἀθήνησιν ὑπὲρ τὸ στάδιον τὸ Παναθηναϊκὸν πρὸς τῷ δήμῳ τῶν ὑπένερθεν Ἀγρυλέων), ad ripas Ilissi situm, eratque, ni fallor, non recentius gymnicis certaminibus in Panathenaea receptis, id quod Ol. LIII, 3. factum est; certe nihil constat de certaminibus illis alio loco habitis. Nam quod in Echelidarum pago, qui inter Piraeum et urbem interiacebat, illa

certamina Panathenaeis instituta esse Stephanus Byzantius scribit, id olim (comment. de Panathen. p. 283.) sic explicavi, ut antiquitus in pago Echelidarum, postea in stadio Panathenaico ea habita esse dicerem, nunc errori tribuo sive ipsius Stephani sive librarii γυμνικοὺς pro ἱππικοὺς ἀγῶνας scribentis. Etenim in Echelidarum pago equestria certamina instituta esse ex Hesychio et Etymologo apparet, id quod fortasse iam ex antiquissima inde Panathenaeorum institutione factum est; nam Panathenaea ex quo constituta sunt, curulibus certaminibus videntur ornata esse. Quod autem Lycurgus absolvit stadium, aliquot saeculis post Herodes Atticus exornavit sedilibusque Pentelici marmoris instruxit. Quod in quadam inscriptionum navalium (XI, c. 14.) οἱ ἐπὶ τὸ στάδιον ᾑρημένοι commemorantur, eo nomine Boeckhius (p. 72.) docuit significari videri curatores stadii perficiendi; Lycurgum enim veri simile esse summam tantum eius curae habuisse; illis curatoribus quaedam instrumenta dicuntur ibi tradita esse quaestore τριηροποιικῶν Democrate Iteaeo; Democrates eo cum magistratu scribitur fuisse praetore Νικ...., id quod non potest esse, nisi aut Nicomachus (i. e. Ol. CIX, 4.), aut Niceratus vel Nicetas (s. Ol. CXII, 1.), nisi ante Νικ. intercidisse Α et huius anni praetori potius Aniceto nomen fuisse statuas; itaque stadii eius absolutio cadit aut in Ol. CIX, 4. aut in Ol. CXI, 4., quorum hoc probabilius est. — In verbis Δεινίου τινὸς ὃς ἐκέκτητο τοῦτο τὸ χωρίον ἀνέντος τῇ πόλει, περὶ παντὸς αὐτοῦ χαρίσασθαι Λυκούργῳ primum Δεινίου recte rescripserunt Coraes et Taricenses. Est hic fortasse Dinias Herchiensis, quem quod populus unum ex syndicis legi Leptineae defendendae constitutis elegit, dicendo valuisse, quod trierarchia functus est, non inepem fuisse apparet. Demosthenes ei quamquam ad-

versatur, quantum tamen tribuat, luculenter demonstrat verbis (Leptin. p. 501, 21. sq.) πολλοῦ τῇ πόλει Δεινίας ἄξιον αὐτὸν παρέσχηκεν, ὡς ἔμοιγε δοκεῖ. Idem fortasse est, contra quem Dinarchi συνηγορία Αἰσχίνῃ κατὰ Δεινίου habita erat (sic enim ap. Dionys. H. 5, p. 652. pro Δενίου rescribendum est): certe ita Demosthenes de viro iudicat, ut probabile sit eum et ab iisdem partibus stetisse, ab quibus Demosthenes et Lycurgus fuerint, et Aeschini adversatum esse. — Post περὶ παντὸς autem addendum arbitratus sum de coniectura ποιουμένου, antequam Coraem intellegerem ποιησαμένου addi iussisse. Locus enim Plutarchi Aristid. XI. καὶ τὴν χώραν ἐπιδοῦναι τοῖς Ἀθηναίοις ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ἐν οἰκείᾳ κατὰ τὸν χρησμὸν ἐναγωνίσασθαι, quo Sauppius ad tuendam vulgatam scripturam utitur, nihil probat, cum infinitivus ex praecedente ἔδοξε pendeat.

Operum, quae ab aliis incepta perfecit Lycurgus, unum reliquum est theatrum, cuius memoriam omissam Photio habet eamque unam Pausanias: οἰκοδομήματα δὲ ἐπετέλεσε μὲν τὸ θέατρον ἑτέρων ὑπαρξάντων, primo loco collocat Hyperides: ᾠκοδόμησε δὲ τὸ θέατρον, tertio loco Strateclis decretum: καὶ τὸ θέατρον τὸ Διονυσιακὸν ἐξειργάσατο, hic vitae auctor eur loco non suo ponat, καὶ τὸ ἐν Διονύσου θέατρον ἐπιστατῶν (Reiskius temere: ἐπιστατεύων) ἐτελεύτησε (Coraes recte: ἐτέλεσε, Turicenses ἐπετέλεσε de coni.), iam explicavimus. Etenim aliam personam gerens theatrum, aliam reliqua opera absolvit, atque haec quidem quaestor τῆς διοικήσεως cum esset, theatrum autem ut ἐπιστάτης eius perfecisse videtur; ἐπιστατῶν enim nomen publicorum operum curatoribus fuisse, satis iam docet et locus Aeschinis c. Ctesiph. p. 400. τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων, et inscriptio, quae ad aedem Minervae Poliadis in arce pertinet C. I. n. 160. in qua tres viri ἐπιστάται τοῦ νεὼ τοῦ ἐν Πόλει cum

suo architecto et scriba rationes reddunt eorum, quae vel imperfecta vel absoluta acceperint. Pericles quoque ex operibus, quae perfecit, certe nonnulla ἐπιστατῶν perfecit; cf. Plutarch. Pericl. 13. τὸ δ' ᾠδεῖον — ἐπιστατοῦντος καὶ τούτῳ Περικλέους. Strab. IX, 395. Ἐλευσὶν πόλις, ἐν ᾗ τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν τῆς Ἐλευσινίας καὶ ὁ μυστικὸς σηκος, ὃν κατεσκεύασεν Ἰκτῖνος — ὃς καὶ τὸν Παρθενῶνᾳ ἐποίησε — Περικλέους ἐπιστατοῦντος τῶν ἔργων. Neque vero quod Lycurgus theatrum perfecisse dicitur, id sic accipiendum est, quasi vero perfecisse dicatur quod Ol. LXX, 1. erat inchoatum, immo eam theatri partem absolvit, quae sua ipsius aetate erat incepta. Quaenam vero fuerit theatri pars, ad quam opera temporibus Lycurgi theatro impensa pertinuerit, id ignoramus; non magis scio, num cum hac theatro impensa cura cohaeserit quod in hac vita (p. 5. Kiessl.) rogasse Lycurgus dicitur, ut statuae aeneae trium principum tragicorum Aeschyli Sophoclis Euripidis in theatro ponerentur, id quod et perrogasse videtur, cum Pausanias imagines certe Sophoclis et Euripidis ibi viderit, quamquam non tradit iussu Lycurgi eas illic collocatas esse. Pausan. I, 21. Εἰσὶ δὲ Ἀθηναίοις εἰκόνες ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας ποιητῶν — τραγῳδίας δὲ κεῖνται τῶν φανερῶν Εὐριπίδης καὶ Σοφοκλῆς. Pausanias autem Aeschyli statuam male omisisse videtur, neque enim illud ex iis quae §. 3. leguntur, huc commode revocaveris.

Verum praeter aedificia, quae Lycurgus vel ab aliis vel a semet ipso inchoata perfecisse narratur, traditur etiam πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ τῇ πόλει (Nissenus p. 52. coniecit τῇ θεῷ: si quid esset mutandum, proclivius foret τῇ [θεῷ τῇ ἐν τῇ] πόλει rescribere, sed nulla omnino opus est mutatione) κατασκευάσαι καὶ Νίκας χρυσᾶς. Ampliora habent Strato-

clis decretum: παρασκευάσας τῇ θεῷ κόσμον, Νίκας τε ὁλοχρύσους, πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ (sic enim scribendum est), κόσμον χρυσοῦν εἰς ἑκατὸν καννηφόρους, et Pausanias (I, 29, 16.): κατεσκεύασε δὲ πομπεῖα τῇ θεῷ καὶ Νίκας χρυσᾶς, καὶ παρθένοις κόσμον ἑκατόν. Itaque pro vasis pomparum aureis argenteisque et pro Victoriis aureis tres testes, pro mundo aureo centum virginibus canephoris comparato, Stratocles et Pausanias, denique pro ornatu deae facto unus Stratocles testimonium dicit. Ornatus hic is est, quo κοσμῶ sive una ex virginibus ersephoris Minervam Poliadem ornabat, nam huic deae parabatur, constabat autem ex aureis ornamentis, id est ex περικειμένοις χρυσίοις τῆς θεοῦ, nam pallium sive peplus non eo comprehendebatur. Ab iis autem, qui rempublicam capessierint et redituum publicorum curam susceperint, etiam illud expectatum esse, ut eum deae ornatum augerent, apparet ex Dinarcho c. Demosth. §. 96., ubi Demostheni id opprobrio vertitur, quod donec praefuerit reipublicae, neque naves paratae sint neque navalia facta neque equitatus emendatus, neque ἀνήνεγκταί τῇ θεῷ κόσμος εἰς ἀκρόπολιν ὑπὸ τούτου. Etiam hunc ornatum quaestores rerum sacrarum Minervae custodiebant traditum sibi ab decessoribus praesente senatu Quingentorum (Harpocr. v. ταμίαι — παραλαμβάνουσι δ' οὗτοι τό τε ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τὰς Νίκας καὶ τὸν ἄλλον κόσμον καὶ τὰ χρήματα ἐναντίον τῆς βουλῆς.). Lachares tyrannus ubi exeunte Ol. CXIX. post murum ab Demetrio Poliorcete captum ad Boeotios confugit scutis aureis ex arce dereptis et ornatu ipsius deae, qui eximi poterat, asportato (Pausan. I, 25, 7. ἐκδιδράσκει Λαχάρης ἐς Βοιωτούς — ἀσπίδας ἐξ ἀκροπόλεως καθελὼν χρυσᾶς καὶ αὐτὸ τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ἄγαλμα τὸν περιαιρετὸν ἀποδύσας κόσμον), num etiam ab Lycurgo confectum ornatum abstulerit,

non ita certum est, uti visum erat Nissenó (p. 53.). Ipsum Phidiae simulacrum habebat purissimi auri pondo quadraginta talenta, quod eximi totum poterat (Thuc. 2, 13. περιαιρετὸν ἅπαν).

De πομπείοις quae Thucydides (l. c.) ἱερὰ σκεύη περί τε τὰς πομπὰς καὶ τοὺς ἀγῶνας dixit, satis habeo repetere, quae olim (in Comm. Andoc. V, 8. p. 75.) scripsi: Fuerunt Atheniensibus iam antiquitus publica πομπεῖα sive vasa, quae in deducendis sollemnibus pompis partim Athenis ab sacerdotibus vel ab quibusdam virginibus ferebantur, partim peregre missis sacris legationibus committebantur, reliquum tempus in Pompeo reponebantur, eo candidiora illa quo magis ad potentiam civitatis ostentandam facere videbantur; facta vero etiam splendidiora sunt ex publicatis bonis XXX tyrannorum. Demosthenicis autem temporibus per Androtionem et Timocratem et vetera refecta et nova facta, denique ab Lycurgo pompea addita sunt plurima. Ea vasa iam Alcibiadis aetate fuisse magnam partem aurea probat narratio quaedam (ap. Pseudo-Andoc. c. Alcib. §. 29.); neque vero solis aureis malluviis atque turibulis constabant, immo etiam στέφανοι, φιάλαι, σπονδεῖα, κανᾶ aliaque χρυσώματα καὶ ἀργυρώματα eodem referebantur. —

Transeo ad *Νίκας*. Erat in arce praeter simulacra Minervae Poliadis et Partheni ad dextram Propylaeorum prope ab aditu Minerva *Νίκη ἄπτερος*, quae sinistra manu cassidem, dextra punicum malum tenebat (cf. C. O. Mueller. in Encycl. Hal. III, 10. p. 80.), eiusque *Ἀθηνᾶς Νίκης* peculiaris erat thesaurus, quem ex decimis praedarum conflatum esse probabiliter statuit Boeckhius (C. I. Gr. I. p. 178, a.). Illustre Minervae signum χρυσελεφάντινον a Phidia factum Victoriam habebat quattuor cubitorum manui protensae impositam deae (Pausan. I, 24.). Verum

Victoriae aureae a Lycurgo factae pro donariis (ἀναθήμασιν) habendae sunt, quales multae fuerint in arce; cf. Boeckh. Oec. Civ. Ath. 2, 294. sq. C. I. Gr. I. 234, b. 236, a. — Denique de ornatu aureo centum virginibus canephoris facto (p. 12. Kiessl.) illud unum moneo, non iis modo quae Panathenaicae pompae, sed etiam quae reliquis Athenienſium pompis interessent, eum ornatum paratum esse.

p. 4.

Tantum de iis quae vel aedificavit vel comparavit Lycurgus. Videamus quae reliqua fecisse narratur. Ἔσχε δὲ καὶ τοῦ ἄστεος τὴν φυλακὴν καὶ τῶν κακούργων τὴν σύλληψιν οὓς ἐξήλασεν ἅπαντας, ὡς καὶ τῶν σοφιστῶν ἐνίους λέγειν, Λυκοῦργον οὐ μέλανι ἀλλὰ θανάτῳ χρίοντα τὸν κάλαμον κατὰ τῶν πονηρῶν, οὕτω συγγράφειν. Photius: ἐπιστεύθη δὲ καὶ τοῦ ἄστεος τὴν ἐπιμέλειαν καὶ μὴν καὶ τῶν κακούργων τὴν ἀνεύρεσίν τε καὶ σύλληψιν, καὶ οὕτως ἐκάθηρε τὴν πόλιν τῶν κακούργων, ἐξελάσας ἅπαντας, ὡς καὶ παῤ ἐνίοις τῶν σοφιστῶν λέγεσθαι, ὅτι μὴ μέλανι Λυκοῦργος ἀλλὰ τῷ θανάτῳ χρίων τὸν κάλαμον τὰ κατὰ τῶν πονηρῶν ψηφίσματα ἔγραψεν. His, quorum nihil neque in Stratoclis decreto neque alibi reperitur, quid significetur, certo dici non potest; Nissenus quidem (p. 6.) curam aliquam publice Lycurgo commissam, munus aliquod sive ζητητοῦ sive συνηγόρου iis indicari vult; mihi oratoris potius industria videtur in rogationibus ad populum ferendis, in accusationibus apud iudices instituendis spectata demonstrari. Atque custodiam quidem sive curam urbis partim ad murorum subitam instaurationem rettulerim post Chaeronense proelium susceptam, partim ad excubias tum temporis in muris dispositas. Etenim Lycurgus non exierat ad eam pugnam, sed sententiolas et rogatiunculas fecerat (Lu-

cian. Paras. §. 42. Ὑπερίδης μὲν καὶ Λυκοῦργος οὐδ' ἐξῆλθον ἀλλ' οὐδὲ ὅλως ἐτόλμησαν μικρὸν ἔξω παρακύψαι τῶν πυλῶν, ἀλλ' ἐντειχίδιοι κάθηντο παρ' αὐτοῖς ἤδη πολιορκούμενοι, γνωμίδια καὶ προβουλευμάτια συντιθέντες), quas pertinuisse ad urbis defensionem admodum credibile est. Quamquam enim Demosthenes (de Cor. 309, 25. περὶ σωτηρίας τῆς πόλεως τὰς ἐμὰς γνώμας ἐχειροτόνει, καὶ πάνθ' ὅσα τῆς φυλακῆς ἕνεκα ἐπράττετο, ἡ διάταξις τῶν φυλάκων — διὰ τῶν ἐμῶν ψηφισμάτων ἐγίγνετο), quaecumque temporibus illis, postquam cladis Chaeronensis pavor urbem incessisset, ad defensionem urbis facta sint, suis rogationibus facta esse gloriatur; nihilominus pars eorum recte Lycurgo tribui videtur, imprimis illud τοὺς δὲ στρατηγοὺς τάττειν εἰς τὰς φυλακὰς τῶν Ἀθηναίων καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατοικούντων Ἀθήνησι καθ' ὅτι ἂν αὐτοῖς δοκῇ (Lycurg. c. Leocr. §. 16.), praesertim cum περὶ φυλακῆς τοῦ Πειραιῶς ab Hyperide facta sit rogatio (ib. §. 36. sq.). In alia omnia discedit sane Boehneckeus (p. 541.), sed vel hic (p. 584.) ad Lycurgum auctorem plebiscitum refert, quod post Chaeronensem cladem factum est; ὥστε μήτε τινὰ ἔξω γενέσθαι τῆς πόλεως μήτε μὴν ἐκθέσθαι παῖδας καὶ γυναῖκας (Argument. orat. Lycurg. c. Leocr.). — Quod ad κακούργων ἀνεύρεσίν τε καὶ σύλληψιν, non est neque κακούργων verbum forensi Attici iuris significatu intellegendum (de quo disserui de lit. Attic. p. 76. et 229.), sed, id quod iam πονηρῶν quod sequitur vocabulum docet, ad omnes referendum, quicumque adversus rempublicam deliquerunt, neque ἐξήλασεν de exilio capiendum, id quod iam refellitur iis quae sequuntur, θανάτῳ χρίοντα τὸν κάλαμον: immo significat exagitationem vel incursationem in adversarios factam, qua potestate ἐξελαύνειν aliquotiens apud verum Plutarchum reperitur. Spectant igitur haec ad accusationes, quibus Lycurgus tum post cladem

dem Chaeronensem Lysiclem praetorem proditionis, Autolycum Areopagitam ignaviae, Leocratem proditionis desertaeque militiae et derelictorum ordinum (*ἀστρατείας* et *λειποταξίου*), tum alios aliis in opportunitatibus insimulavit, spectant ad acerbitatem, qua in accusando et in litibus aestimandis usus est. Quasdam etiam rogationes in cives perniciosos tulerit, qui temporibus illis sua utilitate publicis commodis praeposita maiestatem populi imminuerant et cum hoste fecerant; suadet id *συγγράφειν* verbum huius vitae et *τὰ ψηφίσματα ἔγραψεν* Photii. — *Σοφιστῶν* autem nomine hic non rhetores sive orandi magistri, sed oratores significantur, de quo significatu cf. Morus in Isocrat. Panegyr. §. 3. Illi igitur in Lycurgum iecerint, quod in Draconem Demades, qui *εὐδοκίμησεν εἰπών, ὅτι δι' αἵματος οὐ διὰ μέλανος τοὺς νόμους ἔγραψε* (Plut. Sol. 17. Tzetz. Chiliad. V, 142.). Argutatur Goettlingius meus in explicatione eius dicti, Mus. Rhen. 1834. p. 107.

ὅθεν ἐξαιτηθέντα αὐτὸν ὑπ' Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος οὐ προήκατο] Satis constat Ol. CXI, 2. post eversas Thebas Alexandrum Magnum missis cum epistola legatis ab Atheniensibus postulasse, minis quoque interpositis si postulationi non satis fieret, ut sibi oratores ducesque dederentur, quicumque et alias Macedonum rebus adversati et tum auctores fuissent, ut Athenienses cum Thebanis facerent. De numero ut de nominibus eorum, quorum deditionem postularit Alexander, nonnihil inter se discrepant scriptores, Lycurgum autem et Demosthenem inter eos oratores fuisse et imprimis fuisse omnes consentiunt. Exprobravit etiam postea Lycurgus Phocioni, quod Atheniensibus tum consuluisset, ut Alexandri minis cederent (Plutarch. Phocion. 9.). Quod autem inter eos decem oratores, quos sibi dedi Antipater iussisset, Lycurgum quoque Suidas (v. *Ἀντίπατρος*) refert, belli

Lamiaci tempore iam perfunctum fato, recte ex errore repetitum est ab Antipatro expostulatos cum iis confundentium, quos Alexander depoposcit (cf. Nissen. p. 33. et imprimis diligentissimum Boehneckeum p. 641. sqq.)

καθ' ὃν δὲ χρόνον ἐπολέμει Φίλιππος πρὸς Ἀθηναίους τὸν δεύτερον πόλεμον, ἐπρέσβευε μετὰ Πολυεύκτου καὶ Δημοσθένους εἴς τε Πελοπόννησον καί τινας ἑτέρας πόλεις] Photius: *ἐπρέσβευσε δὲ καὶ πρὸς διαφόρους πόλεις καὶ μετὰ Δημοσθένους εἰς Πελοπόννησον.* Primum Atheniensium cum Philippo bellum id est, quod pace Ol. CVIII, $^2/_3$ composita finitur. Alterum vero id dicitur quod Ol. CVIII, 4. et Ol. CIX, 1. nondum quidem gestum sed iam parari coeptum est, cum Philippus utrimque Athenienses destituere conaretur, illinc cum Thebanis coniunctus et Euboeam adortus, hinc Peloponnesiorum dissidiis in suum commodum abusus, ut eorum se rebus immisceret et transitum in Peloponnesum pararet. Cum vero temporibus secundi Philippici belli duas Athenienses in Peloponnesum legationes miserint, alteram Ol. CVIII, 4. vel CIX, 1., posteriorem Ol. CIX, 2., Blumius (narratione de Lycurg. p. 4. sq.) intellexit Lycurgum cum Demosthene et Polyeucto secundae legationi interfuisse atque verbis *καί τινας ἑτέρας πόλεις* imprimis Acarnaniam significari. Cf. Boehneckeus p. 445. Photii autem verba probant, cum Demosthene in Peloponnesum, in reliquas autem civitates non una cum illo legatum ivisse Lycurgum. Coraes etiam huic vitae *ἐπρέσβευσε* reddidit, verum haud scio an praeferendum sit imperfectum, quippe quod quandam continuitatem industriamque in legationibus obeundis significet.

p. 5.

διετέλεσε δὲ τὸν ἅπαντα χρόνον εὐδοκιμῶν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις καὶ δίκαιος εἶναι νομιζόμενος, ὥστε καὶ ἐν τοῖς

δικαστηρίοις τὸ φῆσαι Λυκοῦργον ἐδόκει βοήθημα εἶναι τῷ συναγορευομένῳ.] Commiscuit vitae scriptor ea quae habet epistola ementita Demosthenis (III. p. 1476. R. οὕτω δ' ἐπιστεύετε αὐτῷ καὶ δημοτικὸν παρὰ πάντας ἡγεῖσθε, ὥστε πολλὰ τῶν δικαίων ἐν τῷ φῆσαι Λυκοῦργον ἐκρίνετε) cum iis quae Photius tradit: διὸ καὶ τὸ λόγον τινὰ προενεγκεῖν ἐν τοῖς δικαστηρίοις ὑπὲρ ὁτουοῦν μεγάλη τῷ συναγορευθέντι βοήθεια ἐγίνετο. Ille enim narrat quicunque aliquid (apud populum) rogarint, iis commendationi non mediocri fuisse, si prae se ferre potuerint, Lycurgo quoque probari quae suaserint, hic testatur in iudiciis multum profecisse, quicumque Lycurgum patronum et adstipulatorem habuerint. Utrumque sic in unum contraxit vitae scriptor, ut perspicuitati offecerit.

εἰςήνεγκε δὲ καὶ νόμους] Leges ab Lycurgo multas esse et praeclaras perrogatas in Stratoclis decreto commemoratur (p. 12. νόμους τε πολλοὺς καὶ καλοὺς ἔθηκε τῇ πατρίδι). In hac autem vita quinque tantum commemorantur, quarum secundam et tertiam ne esse quidem leges sed psephismata potius paullo post apparebit; hae igitur erant eo demum loco commemorandae, ubi extat (p. 7. Kiessl.) εἰςήνεγκε δὲ καὶ ψηφίσματα Εὐκλείδῃ τινὶ Ὀλυνθίῳ χρώμενος ἱκανωτάτῳ περὶ τὰ ψηφίσματα, neque omnino locus quo de psephismasi agitur, dirimi debebat ab hoc, quo de εἰςενεγκεῖν νόμους disseritur. Itaque credibile est alias etiam leges tulisse oratorem, quam quarum memoriam servarit vitae scriptor: ex quinque autem legibus, quae hic commemorantur, duas priores, cum ad scenicos ludos et poetas scenicos pertineant, probabile est Lycurgum eo tempore suasisse, cum esset theatri extruendi curator (s. ἐπιστάτης); cf. p. XXVII. sq. Harum vero prima haec est: εἰςήνεγκε δὲ καὶ νόμους, τὸν μὲν (μὲν Turicenses addiderunt ex editt. vett.) περὶ τῶν

κωμῳδῶν ἀγῶνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, πρότερον οὐκ ἐξόν, ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα. Eam legem neque alii nec Nissenus recte explicavisse videntur, etsi hic in ea enarranda multus est (p. 77. sqq.). Primum vero offensioni est τὸν μὲν περὶ τῶν, sive ante ἀγῶνα cum Nisseno distinguas, sive non distinguas; eius enim loco expectamus: τὸν μὲν πρῶτον, κωμῳδῶν ἀγῶνα κτλ. Argumentum legis recte explicavisse mihi videor in diariis Halanis (A. L. Z. 1836. Iul. p. 320. et 1845. Octob. p. 724.). Itaque antiquitus quidem Chytris quoddam videtur comicum certamen habitum esse, certe satis nota sunt τὰ ἐξ ἁμαξῶν σκώμματα Chytris commissa; neque vero illud certamen aut ἐφάμιλλον fuerit, id est poetarum comicorum arte inter se certantium, aut in theatro institutum: id cum esset diu intermissum et paene oblivione obrutum, Lycurgus ita renovavit, ut poetas comicos illis in sollemnibus iustum certamen in theatro urbano instituere, eumque qui eo in certamine primas rettulisset (τὸν νικήσαντα), in indicem victoriarum urbanarum sive Dionysiis urbanis reportatarum referri iuberet (εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι), id quod perinde est ac si scripserit: εἰς ἀστικὰς νίκας καταλέγεσθαι, quae distinguuntur ab ληναϊκαῖς νίκαις, uti ap. Pseudo-Plutarch. Vit. Isocr. p. 245. διδασκαλίαι ἀστικαὶ ab διδασκαλίαις ληναϊκαῖς discernuntur.

Altera lex quae ad tres tragoediae Atticae principes pertinet, bipartita est; priore aeneae statuae Aeschyli Sophoclis Euripidis poni iubentur, id quod minus legem quam psephisma refert; quod igitur in theatro statuae eorum collocatae erant (testibus utor Pausan. I, 21. Athen. I, 19. e.), id hac ex lege vulgo [1])

1) Koehlerus quidem alias statuas Lycurgo auctore positas, alias a Pausania visas esse statuit, sed quae Welckerus

putatur factum esse, quamquam neque huius vitae scriptor addidit, quo in loco Lycurgus eas statuas poni iusserit, neque Pausanias commemorat, quo iubente aut quo tempore statuae in theatro collocatae sint. Illud autem dubitatione caret, statuas quae principibus illis tragoediae in theatro extructae sint, aetate posteriores esse ea statua [1]), quam Astydamas tragicus sui iactator permittente populo ibidem sibi collocarit. Philinus hanc ipsam legis partem impugnasse videtur oratione *πρὸς Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου εἰκόνας*, cuius memoria extat ap. Harpocr. v. *Θεωρικά*: is si integer est orationis titulus, Philinus censendus est *παρανόμων* in iudicium Lycurgum ita vocavisse, ut non oppugnaret eam rogationis partem, quae ad statuam Aeschylo ponendam pertineret. — Altera parte legis cavere voluit Lycurgus non ab subsequentium poetarum, si qui denuo principum illorum fabulas docerent, contaminationibus (*διασκευαῖς*), sed ne ab histrionibus corrumperentur summorum poetarum monumenta. Ei autem rei duobus modis consulendum putavit. Primum enim curavit describendum illarum fabularum exemplum (*καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν γραψαμένους*); voluit vero sine dubio conscribi accuratum exemplum, quale fieri non poterat nisi adhibitis scribis peritis collatisque codicibus, qui fidei et notae melioris essent; credibile est autem superfuisse etiam tum nonnullarum certe fabularum *αὐτόγραφα* sive

(Aeschyl. Trilog. p. 532.), cui acceptum debeo, quod de Koehleri sententia rettuli, de argumentis prodit, quibus ille usus sit, non magnam habent persuadendi vim.

1) Diog. Laert. II, 43. *καὶ Ἀστυδάμαντα πρῶτον* (God. Hermannus: *πρότερον*) *τῶν περὶ Αἰσχύλον ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ*. Phot. Lex. p. 502. *Ἀστυδάμᾳ τῷ Μοσίμου εὐημερήσαντι ἐπὶ τραγῳδίας διδασκαλίᾳ Παρθενοπαίου δοθῆναι ὑπ' Ἀθηναίων εἰκόνος ἀνάθεσιν ἐν θεάτρῳ*. Iacobs. Animadv. in Anthol. Gr. T. I. p. 310.

ipsorum poetarum manu facta exempla; neque vero Lycurgus diligentiam eam spectaverit, quae hodie postulatur. Illud publice factum exemplum publice conservari iussit (ἐν κοινῷ φυλάττειν) idque, ni fallor, in metroo, ubi publicum erat tabularium [1]). Idem vero exemplum in Alexandrinam bibliothecam immigravit fraude Ptolemaei Euergetae, qui cum precibus esset ab Atheniensibus consecutus ut illud Alexandriam mitterent grammaticisque suis describendi copiam facerent, et interposito XV talentorum pignore remissurum se illud esse promisisset, pignus Atheniensibus reliquit, exemplum ipsum numquam restituit. Id vero iussit Lycurgus τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις. Scriba civitatis non mercenarius erat, sed quotannis eligebatur e civibus ἐπιτίμοις, ut populo et senatui praelegeret (Pollux 8, 98. ὁ δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου αἱρεθεὶς γραμματεὺς ἀναγινώσκει τῷ τε δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ); sic, ut hoc utar exemplo, epistolam ab Nicia missam in concione praelegebat (Thuc. VII, 10. ὁ γραμματεὺς τῆς πόλεως παρελθὼν ἀνέγνω τοῖς Ἀθηναίοις). Cum autem παραγινώσκειν nihil aliud significet quam „contra“ sive „iuxta legere“, id est comparatione facta cum iis, quae ab aliis sive leguntur sive dicuntur [2]), statuendum est eum scribam iussum esse in theatro, cum fabulae illae docerentur, (tacite) comparare histrionum verba cum publico exemplo; id quod sine dubio est eo con-

1) Cum hac cura, quae Lycurgo auctore tragoediae Atticae monumentis vindicandis adhibita est, acute comparavit Vaterus (in Encycl. Hal. v. Peisistratos III, 15. p. 65.) curam a Pisistrato eiusque filio Hipparcho Homeri carminibus disponendis et recensendis tributam.

2) Lobeckius in Phrynich. p. 217. sq. „Exemplaria scripta recognoscere atque inter se conferre παραναγινώσκειν dicitur.“ Ab eo autem differre videtur παραγιγνώσκειν idque non secus quam ἀναγιγνώσκειν ab γιγνώσκειν.

silio iussum, ut, sicubi eos ab illo descivisse animadvertisset, id deferret, quo in histriones publice indicaretur. — Novissimis quam inesse oporteat sententiam, facile perspicias; difficilius est dicere, quae eorum lenissima sit mutatio, ut eam sententiam consequamur; certe quae hucusque proposita sunt *οὐκ ἐξεῖναι παρ' αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι*, vel *οὐκ ἐξ. γὰρ παρ' αὐτ. ὑπ.*, vel *οὐδ' ἐξ. παρ' αὐτ. ὑπ.*, vel *οὐκ ἐξ. γὰρ αὐτὰς ἄλλως ὑπ.*, vel *οὐκ ἐξ. γὰρ ἄλλως ὑποκρ.*, ut de reliquis taceam, non satisfaciunt. Neque magis placet ratio, quam nuperrime G. C. Kayser (Histor. crit. tragic. Graecor. Goetting. 1845. p. 33. sqq.) iniit, ut ea lege ab Lycurgo accuratam ac religiosam recitationem, non actionem introductam et pleniorem sententiam ita fere proponendam esse diceret: *οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι ἀλλ' ἀναγινώσκειν*. Proxime ad verum accedere videtur suspicio Bernhardyi (Hist. litt. Gr. II. p. 646.) *καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν, τοῖς δ' ὑποκρινομένοις οὐκ ἐξεῖναι παρ' αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι*. Verum de hac legis parte Nissenus (p. 85. 90.) ea egit diligentia, ut ad eum satius sit ablegare legentes.

Tertiae legis verba haec sunt: *καὶ τρίτον μηδενὶ ἐξεῖναι Ἀθηναίων μηδὲ τῶν οἰκούντων Ἀθήνησιν ἐλεύθερον σῶμα πρίασθαι ἐπὶ δουλείᾳ ἐκ τῶν ἁλισκομένων ἄνευ τῆς τοῦ προτέρου δεσπότου γνώμης*. Haec etsi plerique omnes pro sanis habuerunt, ut in iis explicandis multum desudarent (Turicenses ad libertos *ἀποστασίου* reos rettulerunt), ego impetrare a me non possum ut pro sanis habeam. Quorsum enim valeat interdictum, ne quis hominem liberum sine prioris domini consensu in servitutem emat? qui poterat hominis liberi aliquis „prior dominus“ esse? Neque ea te expedias difficultate, si vel *ἀπελεύθερον* rescripseris, vel *ἐλεύθερον* ea acceperis potestate. Quid multa? Post *ἐπὶ δουλείᾳ* intercidisse videntur verba *μηδὲ δοῦλον*, quae

oculo librarii ab δουλείᾳ in δοῦλον aberrante facile poterant praetermitti. Duplex igitur est interdictum, atque utrumque non modo in cives sed etiam in inquilinos et municipes patuit (μηδενὶ ἐξεῖναι Ἀθηναίων μηδὲ τῶν οἰκούντων Ἀθήνησι, similiter Lycurg. c. Leocrat. §. 16. τῶν Ἀθηναίων καὶ τῶν ἄλλων τῶν οἰκούντων Ἀθήνησι); altero cavetur, ne quis Atticorum vel civium vel inquilinorum ex bello captis hominem liberum emat, ut mancipio habeat: altero interdicitur, ne quis illorum eum, qui in iusta fuerit servitute, ex praeda emat invito priore domino. Id autem interdictum non credibile est generale quoddam fuisse; immo spectasse videtur ad certae cuiusdam urbis tum temporis internecione deletae cives servituti addictos et cum reliqua praeda venumdatos, quorum calamitates miserati sint Athenienses, id est aut ad Olynthios aut ad Thebanos excisos. Nam cum Olynthum Ol. CVIII, 1. Philippus proditione cepisset captamque diripuisset, cives autem cum uxoribus et liberis partim sub corona vendidisset, partim amicis suis dono dedisset: res eam Atheniensium movit indignationem et misericordiam, ut quicumque Olynthiorum servati Athenas fugissent, eos humanissime exciperent, Philocratem vero, quod aliquot Olynthias mulieres mercenariam operam praestare sibique mercedem ferre iussisset, odio haberent, denique Euthymachum quod Olynthiam puellam prostare coegisset, capitis poena afficerent; cf. Diodor. 16, 53. Demosth. F. L. 401. 440. Dinarch. c. Dem. §. 23. Boehneck. p. 196. sq. Anno autem Ol. CXI, 2. Alexander Thebas captas caede et cadaveribus replevit, at praeter sexies mille caesos, amplius tricies mille in captivitatem recepit. Tum de concilii sociorum sententia urbem solo aequavit, agros nisi qui sacri essent, inter socios divisit, captivos vero omnes exceptis solis sacerdotibus amicisque vel suis patrisve

vel Macedonum, nullo sexus nullo aetatis discrimine facto sub corona venumdedit, et omnibus Graecis interdixit, ne qui exules Thebanorum apud se esse paterentur. Nihilominus Athenienses profugis Thebanis portas aperuerunt, et cum Demadem ad Alexandrum legatum mitterent, pro oratoribus deprecaturum, quos sibi rex dedi iussisset, id quoque ei in mandatis dederunt, ut exulibus Thebanorum regem placaret (cf. Boehneck. p. 635. sqq.). Utrisque et Olynthiis qui post Olynthi et Thebanis qui post Thebanum excidium servati sunt, Athenienses isoteliam (municipium) largiti esse videntur; huc enim refero, quod apud Harpocr. v. Ἰσοτελής Theophrastus tradit: *ὡς ἐνιαχοῦ καὶ πόλεσιν ὅλαις ἐψηφίζοντο τὴν ἰσοτέλειαν* (ita enim pro *ἀτέλειαν* rescribendum esse iam Bekkerus perspexit) *Ἀθηναῖοι, ὥςπερ Ὀλυνθίοις τε καὶ Θηβαίοις*. Neque vero utrisque simul id praemii tribuerunt. In alterutra opportunitate Lycurgus quoque hanc tulerit rogationem, quam apparet *ψήφισμα* potius quam *νόμον* fuisse.

p. 6.

Transeo ad quartam legem. *Ἔτι δὲ ὡς τοῦ Ποσειδῶνος ἀγῶνα ποιεῖν ἐν Πειραιεῖ κυκλίων χορῶν οὐκ ἔλαττον τριῶν δίδοσθαι μὲν τοῖς νικῶσιν οὐκ ἔλαττον δέκα μνᾶς, τοῖς δὲ δευτέροις ὀκτώ, ἓξ δὲ τοῖς τρίτοις κριθεῖσιν.*] In his primum *ὡς* vulgari librariorum errore ex *καὶ* ortum, tum post *Πειραιεῖ* quae erat distinctio tollenda, ut *ἀγῶνα κυκλίων χορῶν* arcte cohaerere intellegatur, dein post *τριῶν* aut de coniectura Reiskii cum Turicensibus *ὧν* addendum, aut pro *δίδοσθαι μὲν τοῖς* rescribendum *δίδοσθαι δὲ τοῖς μὲν*, posterius autem *οὐκ ἔλαττον* ut male repetitum tollendum videtur, denique *νικῶσιν* ut saepius de *πρώτοις νικῶσιν* explicandum est. Itaque locus sic est rescribendus: *ἔτι δὲ*

καὶ τοῦ Ποσειδῶνος ἀγῶνα ποιεῖν ἐν Πειραιεῖ κυκλίων χορῶν οὐκ ἔλαττον τριῶν, ὧν δίδοσθαι μὲν τοῖς νικῶσι δέκα μνᾶς κτλ. Pertinere ea lex videtur ad Posidonia ea, quae octavo Posideonis mensis die quotannis ab Atheniensibus agebantur; ea igitur sollemnia cyclicorum chororum certamine celebrari iubet. Cyclicos autem choros scimus apud Athenienses et Dionysiis urbanis et Thargeliis (Phot. v. *Πύθιον*) et Panathenaeis (Lysias p. 698.) esse institutos. De Bacchanalibus urbanis non opus est diserto testimonio, cum dithyrambus ad Dionysia pertinuerit (unde factum est, ut Dicaearchus in libro περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων de origine et inventore dithyrambi dissereret, Schol. Aristoph. Av. 1403.), cyclios autem choros eosdem constet esse qui dithyrambici [1]), denique chori puerorum (παίδων), quos ex Demosth. Mid. §. 10. 64. Pseudo-Andoc. c. Alcib. §. 20., et virorum tibicinum (ἀνδρῶν αὐλητῶν), quos ex Demosth. Mid. §. 156. coll. §. 13. sqq. apparet Dionysiis urbanis esse institutos, aut utrique aut certe priores cyclii fuerint. Lycurgus num eum chororum ἀγῶνα plane χρηματίτην fecerit, an argenti praemium accedere voluerit ad coronam vel tripoda, an denique argento pretium coronae significetur, quasi vero scripserit δίδοσθαι στέφανον χρυσοῦν ἀπὸ δέκα, ἀπὸ ὀκτώ, ἀπὸ ἓξ μνῶν (cf. C. I. Gr. p. 463.), mihi non constat. Neque est plane improbabile, argentum inter quinquagenos choreutas distribuendum

1) In Aristoph. Nub. 333. κυκλίων τε χορῶν ἁρματοκέμπτας schol. ita commentatur: λέγει δὲ τοὺς διθυραμβοποιούς· τῶν γὰρ κυκλίων χορῶν οὗτοί εἰσι διδάσκαλοι: idem in Av. 1403. in verba τὸν κυκλιοδιδάσκαλον haec habet: ἀντὶ τοῦ διθυραμβοποιόν., idem in Ran. 306. ubi de Cinesia est κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπᾴδων, tradit: τοῦτο δὲ εἰς Κινησίαν τὸν διθυραμβοποιόν.

fuisse, tripoda vel coronam chorago esse datam. Quodsi Solonem consideres Attico civi, qui Olympia vicisset quingenas, qui Isthmia centenas drachmas ex aerario dari iussisse, concedas satis amplum fuisse, quod esset ab Lycurgo cycliorum chororum victoribus praemium constitutum.

Reliquum est, dicatur de quinta lege: ἐπὶ ζεύγους μὴ ἀπεῖναι γυναῖκα Ἐλευσῖνάδε, ὅπως μὴ ἐλαττῶνται ὑπὸ τῶν πλουσίων· εἰ δέ τις φωραθείη, ἀποτίνειν δραχμὰς ἑξακισχιλίας. Hic pro ἐπὶ cum Sauppio ἔτι δὲ ἐπὶ, pro ἀπεῖναι cum Tayloro, Schoemanno et Turicensibus ἀπιέναι rescribendum, denique ex Photio, qui hanc solam legem commemorat, αἱ δημοτικαὶ ante ὑπὸ τῶν πλουσίων addendum cum Baitero. Ea lege non fuerit interdictum ne qua omnino mulier plaustro usa Eleusina veheretur, sed ne eo die, quo τὸν Ἴακχον ἐξ ἄστεος Ἐλευσῖνάδε πέμπουσι (s. ἐξάγουσι, ἐλαύνουσι). Mulctae memoria apud hunc modo extat vitae scriptorem, ab Photio autem et Aeliano (V. H. 13, 24.), qui legis ceteroquin meminerunt, abest, nisi quod Aelianus mulctam ab Lycurgo sufficientem ea lege irrogatam esse scribit; verum mulcta, quae hic traditur, maior est, quod sciam, quam reliquarum caussarum ἀτιμήτων, quae legibus propositam mulctam habent; nam in his mulctae vix maiores reperiuntur quam mille drachmarum. Quamquam in τιμητοῖς ἀγῶσι sive in caussis iis, quae litis habebant aestimationem, nonnumquam etiam multo maiores mulctae usu veniebant, idemque valet in caussas ἀτιμήτους eas, quae ψηφίσμασι constitutas poenas habebant, veluti in inscriptione navali (XIV, b. p. 466. Boeckh.) est: ἐὰν δέ τις μὴ ποιήσῃ οἷς ἕκαστα προστέτακται, ἢ ἄρχων ἢ ἰδιώτης κατὰ τόδε τὸ ψήφισμα, ὀφειλέτω ὁ μὴ ποήσας μυρίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ, et in inscriptione, quae ad Methonaeos pertinet (ap. Rangabé Antiq. Hellen. n. 250.) οἱ δὲ —

μήτε αὐτοὶ κωλυόντων ἐξάγειν (sc. ἐκ Βυζαντίου σῖτον Μιθωναίοις), μήτε ἄλλον ἰώντων κωλύειν, ἢ εὐθυνέσθων μυρίαισι δραχμαῖσι. Ea igitur mulcta et quae sequitur narratio probabilitate carent. Narrat enim hic (τῆς δὲ γυναικὸς αὐτοῦ μὴ πεισθείσης τῶν συκοφαντῶν φωρασάντων τάλαντον αὐτοῖς ἔδωκε) Lycurgum, cum sua ipsius uxor in crimine neglectae perruptaeque legis esset deprehensa, sycophantis talentum dedisse, ne rem in iudicium deferrent. At vero qui potuit Callisto tale facinus vel nescio marito committere vel sciente eo non prohiberi quominus committeret? Fac fuisse eam superbam, imperiosam vel in virum, diffluentem luxuria; sed ne sic quidem credibile est, eam in conspectu omnium ausam esse ita maritum ludos facere. Ipsum autem Lycurgum, integritatis laude conspicuum et ἀδωροδόκητον, num probabile est dono placaturum fuisse sycophantas et talentum his potius quam aerario soluturum? Dein is rumor tantum apud sequioris aetatis scriptores sparsus est, et ne apud eos quidem consentiente et constante fama. Nam Aelianus non Lycurgum sed Lycurgi uxorem, neque sycophantis ne se deferrent, sed delatam damnatamque aerario reddidisse, eamque primam fuisse, quae contra eam legem deliquisset. In his conciliandis multum laborat Nissenus (p. 30.), neque vero quidquam proficit; namque etiam dissimilius est veri, quod talentum coniicit et Lycurgum sycophantis ne accusarent, et uxorem eius, cum esset nihilominus accusata et condemnata, aerario pependisse. Fallitur Nissenus etiam in eo, quod ea quae sequuntur κατηγορούμενος δ' ἐν ὑστέρῳ ἐν τῷ δήμῳ ἔφη, de iusta accusatione apud populum instituta intellegit. Verus Plutarchus tum in comp. Nic. c. Crass. c. 1. tum in libro De se ipso sine invidia laud. c. 8. Lycurgum dixisse scribit, cum ei apud populum obiiceretur, quod

unum de calumniatoribus dono dato mulsisset: „At vero gaudeo, quod qui per tam longum tempus rempublicam apud vos tractavi, in dando iniuste potius quam in accipiendo iniuste deprehensus sum.“ (Priore enim loco in verbis *ἥδομαι γὰρ εἰ τοσοῦτον χρόνον πεπολιτευμένος παρ᾽ ὑμῶν διδοὺς πεφώραμαι πρότερον ἢ λαμβάνων* intercidisse *ἀδίκως* apparet ex altero loco, ubi oratio Lycurgi sic exhibetur, *εἶτα, ἔφη, ποῖός τις ὑμῖν δοκῶ εἶναι πολίτης, ὃς τοσοῦτον χρόνον τὰ δημόσια πράττων παρ᾽ ὑμῖν, διδοὺς μᾶλλον ἀδίκως ἢ λαμβάνων εἴλημμαι*; atque eadem medicina adhibenda videtur huic vitae scriptori et in verbis *ἀλλ᾽ οὖν ἐγὼ μὲν διδοὺς οὐ λαμβάνων ἑώραμαι* rescribendum: *ἀλλ᾽ οὖν ἐ. μ. διδοὺς ἀδίκως οὐ λ. πεφώραμαι.*) En fontem, unde vani isti fabulatores hauserunt, ut nimirum fingerent idem Lycurgo accidisse, quod Zaleuco Locro, quod Clistheni et Pericli atque Aristophonti (Athen. 13, 577. b.) Atheniensibus, ut legibus a semet latis ipsi plecterentur et grave damnum facerent. — *ἐν ὑστέρῳ* habet etiam Thuc. 8, 27.

Eiusdem commatis esse neque minus illa superiore fabellarum numero habenda videtur etiam quae sequitur narratio, quae ad Xenocratem philosophum eum pertinet, qui Speusippo in academia successit. Id quod non sic accipi velim, quasi vero ei narrationi nihil veri inesse credam, sed fundo vero superstructum arbitror, quod verum non sit. Narratur enim cum exactor tributi inquilinorum Xenocratem iniecta manu in *μετοίκιον* abduceret[1]), forte superve-

1) *Μετοίκιον* voce, qua in istius rei memoria non solum hic vitae scriptor Photiusque sed etiam Plutarchus Flaminin. 12. utitur, *πωλητήριον τοῦ μετοικίου* significari videtur, ad quod inquilinos, qui id tributum non solvissent, abductos esse ex Demosth. c. Aristog. I, 787, 27. apparet. Pro

nisse Lycurgum ab eoque et Xenocratem liberatum et exactorem illum, ut qui indigna fecisset, et vapulasse et carceri commissum esse. Eam ob rem cum vehementer laudaretur Lycurgus, Xenocratem, ubi post aliquot dies casu in filios eius incideret, dixisse illis, at celeriter patri vestro gratiam rettuli, quippe qui a multis laudetur propter auxilium mihi latum. Verum sic res ab ementito Plutarcho Photioque narratur. Verus Plutarchus non tantum ea in re ab illis discrepat, quod τελώνας plures ponit, ubi illi unum memorant, sed, id quod paullo gravius est, in eo quoque ab iis dissentit, quod ab Lycurgo non exactores scribit aut baculo verberatos aut in vincula coniectos, sed Xenocratem manibus eorum ereptum et quasi in libertatem vindicatum, exactores autem ἀσελγείας caussa in ius vocatos esse. Id si non aliquanto credibilius, at paullo minus incredibile est. Namque Xenocrates quippe qui et origine fuerit peregrinus (erat enim domo Chalcedonius) neque populi Attici beneficio vel civitatem vel ἰσοτέλειαν sit consecutus [1]),

---

καὶ πρὸς τὸ μετοίκιον αὐτὸν ἀπαγαγόντος Coraes et Turic. ἀπάγοντος, etsi illud praecedente τελώνου δὲ ποτ' ἐπιβαλόντος Ξενοκράτει τῷ φιλοσόφῳ τὰς χεῖρας, defenditur. Photius: ἄγοντος.

1) Apparet id ex Plutarch. Phoc. c. 29. ὁρῶν δὲ τὸν Ξενοκράτην τελοῦντα τὸ μετοίκιον, ἐβούλετο γράψαι πολίτην. ὁ δ' ἀπεῖπε, φήσας οὐκ ἂν μετασχεῖν ταύτης τῆς πολιτείας περὶ ἧς ἐπρέσβευσεν ἵνα μὴ γένηται. Xenocrates bis certe ab Atheniensibus legatus missus est, primum ad Philippum, ubi tantum abfuisse dicitur ut reliquorum legatorum exemplum sequeretur, qui ab rege donis se emolliri patiebantur et convivia saepe cum illo celebrabant, ut ne in colloquium quidem eius veniret; dein ad Antipatrum, abs quo petebat, ut Lamiaco bello captos Athenienses redderet. Diog. Laert. 4, 9. Earum legationum prior non videtur alia esse, quam quae Ol. CVIII, 2. ad recipiendum iusiurandum Philippi

eum per longius tempus Athenis commoraretur, debebat [1]) utique tributum inquilinorum, id est duodenas drachmas annuas pendere, eoque statis diebus non penso per leges licebat publicanis eius vectigalis redemptoribus ἀπαγωγῇ μετοικίου πρὸς τοὺς πωλήτας in eum uti. Poterat id iniquius, poterat acerbius videri, eo iure, quod in homines malos esset constitutum, qui improbae fraudationis caussa vectigal non reddi-

---

Athenis exiit Munychione mense et Pellam cum claris aliarum civitatum legationibus convenit. Nam ex decem Atheniensium legatis tum missis plures constat Philippi et humanitate captos et pecunia corruptos esse; cf. Boehnecke p. 407. Quod autem ei legationi Xenocratem interfuisse non est memoriae mandatum, cum idem cadat etiam in reliquas legationes ab Atheniensibus ad Philippum missas, non magnum habet momentum. Aut igitur Xenocrates etiam aliis interfuit legationibus, quam quarum meminit Diogenes Laertius, aut verba quae Plutarchus Xenocrati tribuit οὐκ ἂν μετασχεῖν ταύτης τῆς πολιτείας περὶ ἧς ἐπρέσβευσεν ἵνα μὴ γένηται, conveniunt in posteriorem legationem, quae erat ad Antipatrum missa. Tum enim (Ol. CXIV, 3.) Antipater Atheniensibus quod petissent, ea lege concessit, ut omisso quo tum uterentur populari imperio ad τὴν πάτριον ἀπὸ τιμήματος πολιτείαν redirent et Attica civitate ii demum frui pergerent, qui bis mille drachmas possiderent. Tum amplius duodecies mille cives privati civitate et eiecti patria sunt (Diodor. 18, 18. Plutarch. Phoc. 27.). Etenim quamquam Xenocrates ipse prae reliquis legatis contra nitebatur, ut ne tam ignominiosae leges Atheniensibus scriberentur: poterat tamen acerbius eam legationem ita susceptam dicere, ut populare imperium ne esset. Nam πολιτείας voce sic iocatur, ut simul et civitatem et populare imperium significet.

1) Themistocles quidem auctor fuit populo, ut immunitas inquilinis et artificibus daretur, quo eorum magna in urbem confluerot frequentia et multae artes facile exercerentur (Diodor. XI, 43. ἔπεισε τὸν δῆμον — τοὺς μετοίκους καὶ τοὺς τεχνίτας ἀτελεῖς ποιῆσαι), sed res eventu caruit.

dissent, in sanctissimum virum continentiae laude conspicuum, in magnum philosophum abuti, qui si non pependerat, quod pendere debebat, oblivione vel casu id intermisisse putandus erat. Namque inopia non poterat omisisse videri is, qui ex quinquaginta talentis dono sibi ab Alexandro oblatis tres tantum minas sustulisse, reliqua remisisse dicitur (Diog. Laert. 4, 7. Plutarch. Alexand. 9.). Verum iniuriam sic demum Xenocrati fecissent exactores, si eum aut non solvisse contenderent, quod iam solvisset, aut ita iniecta manu in ius rapuissent, ut contumelia non abesset. Et ut isti fecissent iniuriam, Lycurgo, quacumque cum potestate fuerit, nullo modo licuit factam iniuriam sic ulcisci, ut auctores eius et verberibus afficeret et carceri committeret. Illud igitur ut perquam incredibile, ita, ut dixi, hoc paullo minus incredibile est, Lycurgum rei atrocitatem indignatum, non satis habuisse philosophum exactoribus eripere, sed etiam ἀπαγωγῇ vel alio publico iudicio peregrinos homines — nam τελώνας plerumque fuisse peregrinos constat — arcessivisse. Verum utut est, si quid eorum fecit Lycurgus, quae fecisse narratur, non pro potestate [1]) fecerit, sed ut privatus homo, qui si aliquid videri poterat invitis legibus ausus esse, poenas rei ab se commissae non detrectabat. Est vero cur ei rumori etiam minus tribuam. Etenim Myronianus Amastrianus ap. Diog. Laert. 4, 14. Xenocratem narrat cum tributum inquilinorum solvere non potu-

1) Fuit qui quaestorem Lycurgum ea fecisse coniiceret. Verum quaestoribus quibusdam licebat mulctas (ἐπιβολὰς) a magistratibus dictas re denuo examinata ita remittere, ut eas neque in tabulas suas referri paterentur neque exigerent; poenas autem sive legibus constitutas sive ab iudicibus irrogatas nulli quaestori licebat remittere. Et ne illarum quidem mulctarum remittendi quaestori τῆς διοικήσεως facta fuerit potestas. Cf. de lit. Att. p. 85. not. 27.

potuisset, publice ab Atheniensibus venumdatum, ab Demetrio autem Phalerensi emptum et statim manu missum esse. Demetrius igitur Lycurgo longe aequiorem se et liberaliorem praebuit, qui non ut ille invitis legibus sed suis impensis philosophum et sic liberavit, ut et aerario satisfaceret et Xenocrati adesset. Illud autem dissimile veri est, Xenocrati utrumque accidisse, ut non minus ab Lycurgo quam ab Demetrio eodem discrimine liberaretur; alioqui fuisset et suarum rerum negligentissimus idemque fortunatissimus, qui tanto periculo bis et commisisset se et evasisset. Verum satis superque de isto rumore. Pergo ad reliqua.

p. 7.

εἰσήνεγκε δὲ καὶ ψηφίσματα Εὐκλείδῃ τινὶ χρώμενος ἱκανωτάτῳ περὶ τὰ ψηφίσματα.] Rem omittit Photius. Euclidis autem Olynthii, hominis ad eam rem aptissimi, opera utebatur Lycurgus in scribendis psephismatis, non ut Boehneckeus (p. 356. 692.) statuit, in rogandis, aut, ut Nissenus (p. 77.) scribit, in iisdem perferendis; nam istam operam peregrinus homo ne poterat quidem per leges ei praestare, hanc ministrare oratori etiam peregrinus poterat. Erant autem Atticis psephismatis suae praescriptiones et formulae, quarum gnaros ministros adhibere Atticis oratoribus fortasse non minus usitatum erat, quam apud Romanos disertissimi homines in caussis dicendis iuris peritorum ministerio utebantur.

εὔπορος δ' ὢν ἱμάτιον ἓν καὶ ταὐτὸ ἐφόρει τοῦ χειμῶνος καὶ τοῦ θέρους] Quod Lycurgus cum non fuerit inops, nihilominus eadem veste et hieme et aestate usus esse et ab hoc vitae scriptore et ab Photio traditur, secutus fortasse est ille de industria exemplum et Laconicorum iuvenum et Cynicorum, qui etiam ipsi *ἀχίτωνες* erant,

id est tunica abstinebant. Ἱματίου autem cum tria fuerint genera, χλαῖνα et τρίβων atque χλαμύς, Lycurgum credo τρίβωνι usum esse, quippe qui Laconum ita proprius fuerit, ut eo Atheniensium ii soli uterentur, quicumque aut curta essent re familiari [1]), ut heliastae apud Aristophanem (Vesp. 33. c. schol.), ut Socrates [2]), ut Acharnenses rustici in Aristophanis cognomine fabula, aut severiorem victum et Laconicum quiddam prae se ferrent, veluti Cynici et Stoici; sin vero χλαίνᾳ utebatur, certe una ea specie usus sit, quae proprie Atheniensibus χλαῖνα dicebatur, qui ita παχία tantum ἱμάτια dicebant, abstinuerit autem ea χλαίνης specie, quae χλανὶς dicebatur, id est pallio tenui (ἱματίῳ λεπτῷ), quo delicatiores tantum homines elegantiam quandam captantes aestatis tempore utebantur, veluti Midias et Demades (Demosth. Mid. 558, 17. Plutarch. Phoc. 20.). Id quoque quod hieme et aestate eodem pallio amiciebatur et discalceatus erat, Laconicum (Xenoph. R. L. 2, 4. s. 6. ed. Haas. quem cf. Plutarch. Lycurg. 16.) et Socraticum erat (Xenoph. Mem. I, 6, 2. ἱμάτιον ἠμφίεσαι οὐ μόνον φαῦλον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ θέρους τε καὶ χειμῶνος ἀνυπόδητός τε καὶ ἀχίτων διατελεῖς), ex aequalibus autem Lycurgi Atheniensibus idem institutum Phocion tenebat (Plutarch. Phoc. 4. et 10.). Hinc non dubito Lycurgum barbam quoque aluisse, ut ne in ea quidem re discreparet ab reliquis Laconistis [3]); ita enim dice-

1) Inopiae fuisse apud Athenienses τὸ τριβωνοφορεῖν apparet ex Isaeo de Dicaeog. h. §. 11.

2) Amipsias in Conno fabula induxit qui ex Socrate quaereret πόθεν ἂν σοὶ χλαῖνα γένοιτο; Diog. Laert. 2, 28. Quod Socrates inopia coactus fecit, id quasi vero maxime Socraticum fuerit, Cynici sua sponte imitabantur.

3) Weberi commentationem „de Laconistis apud Athenienses“ Vimar. 1835. nondum vidi.

bantur qui Athenis Laconum vestitum imitarentur. Laconicus vero habitus vestitusque conveniebat laudibus, quibus orator solebat Lacedaemonios in orationibus prosequi; cf. c. Leocr. §. 105. 108. §. 128. *καὶ μή μοι ἀχθεσθῆτε, εἰ πολλάκις μέμνημαι τῶν ἀνδρῶν τούτων* (i. e. *Λακεδαιμονίων*)· *καλὸν γάρ ἐστι πόλεως εὐνομουμένης περὶ τῶν δικαίων παραδείγματα λαμβάνειν.* Ceterum verba *καὶ ὑπεδέδετο ταῖς ἀναγκαίαις ἡμέραις*, in quibus Reiskius recte *μόνον* desideravit, etsi Turicenses id requiri negant, ne in eam partem accipiam, ut Casaubonus intellexit, facit Photius, qui haec habet: *ἀνυπόδητος τὰ πολλὰ διῆγεν εἰ μὴ τὸ πρέπον αὐτὸν ἐβιάζετο πρὸς τὴν τῶν ὑποδημάτων κατελθεῖν χρείαν.* Nam haec docent necessitatem hic significari decori et honestatis, id est muneris publici vel sollemnium rationem.

ἐμελέτα δὲ καὶ νυκτὸς καὶ ἡμέρας οὐκ εὖ πρὸς τὰ αὐτοσχέδια πεφυκώς κ. τ. λ.] Extemporalem eloquentiam quod fugiebat Lycurgus neque nisi meditatus verba faciebat, sequebatur ea in re amici Demosthenis exemplum, vel huic praeibat exemplo; nam Demosthenes adeo nolebat ex tempore loqui, ut nisi esset paratus meditatusque, ne populo quidem in concione nominatim se surgere iubenti morem gereret, unde factum est, ut ipsius studium cum multi irriderent tum Pytheas orationes eius olere lucernam iaceret (Plut. Demosth. 8. al.). Contra Demades tantum valebat extemporali eloquentia, ut ea superaret nonnumquam Demosthenis meditationes (Plutarch. Dem. 10.) — Ex diligenti meditatione fortasse repetendum est etiam dicendi genus Lycurgi et poetarum floribus distinctum et poetico colore tinctum quale Leocratea praebet (cf. §. 92. 100. 103. 107. 132. Saupp. in Leocr. p. 145.); mirum est autem meditanti excidisse, quae aperte falsa sint et contra rerum fidem pugnent, veluti

quae de Aristarcho et Alexicle §. 115. tradit. Mox in verbis *κλινιδίου δ' αὐτῷ ὑποκειμένου* tollo cum Corae *δ'*, quod Turicensibus in hoc scriptore ferendum videtur.

ἐγκαλοῦντος δ' αὐτῷ τινος ὅτι μισθοὺς σοφισταῖς δίδωσι περὶ λόγους διατρίβων, ἀλλ' εἴ τις ἐπαγγέλλοιτο, ἔφη, τοὺς υἱοὺς ἀμείνους αὐτῷ ποιήσειν, οὐ χιλίας ἀλλὰ τὰ ἥμίση τῆς οὐσίας προΐεσθαι.] In his *τὰ ἥμίση*, quod, etsi improbatum Atticistis, tamen vel Demosthenі idque ex optimo libro Σ redditum est c. Aphob. 833. pro Phorm. 956. c. Theocr. 1325. extr., cur sit in *τὸ ἥμισυ* mutandum, non magis perspicio [1]), quam *ἄν* particula quo modo in tali scriptore careri possit, quam ante *τῆς οὐσίας* Meziriacus reposuit, promptius est post *οὐσίας* reponere; ea vero addita necesse erit etiam *προέσθαι* scribere, cum Reiskius et Corae „*προήσεσθαι*“ rescripserint. Responsum autem ipsum nimis absonum et absurdum est, quam quod potuerit a Lycurgo proficisci; nam et illud ineptientis patris est, ei qui ipsius filios emendare se posse promittat, dimidia parte bonorum cedere neque expectare, donec ille steterit promisso; et ut ei, qui filios tuos in meliorem viam reducere se posse promittat, opum tuarum partem recte tribueris, non tamen propterea excusaberis, si aetate provectus sophistae artem orandi professo et temet ipsum instituturo honorarium mille drachmarum largiare. Itaque fabellam qua etiam caret Photius, ne tanti quidem facio, ut quod sophistae hic plurali numero dicantur, inde colligam in dicendi arte Lycurgum non uno Isocrate esse magistro usum, quem honorarium mille drachmarum ab auditoribus exegisse constat (Nissen. p. 5.), aut ex responso efficiam Lycurgum etiam cum

1) *Τὰ ἡμισέα* Andoc. de myst. §. 46.

uxorem duxisset liberosque edidisset, Isocratis consuetudine uti perrexisse.

ἦν δὲ καὶ παῤῥησιαστὴς διὰ τὴν εὐγένειαν κ. τ. λ.] *εὐγένεσιαν* non de illustri genere oratoris accipiendum esse iam monuit Nissenus p. 24.; de Corcyraeis autem flagellis cf. quae attulit Schneidewinus in Paroemiogr. p. 98.

πάλιν δὲ θεὸν ἀναγορευόντων Ἀλέξανδρον] Demades, qui etiam de honoribus Philippo decernendis ad populum tulerat, postquam ille proelio Chaeronensi captos bis mille Athenienses gratis remiserat Oropumque Atheniensibus reddiderat (Demad. fr. 1. T. IV. p. 268. Reisk.), is igitur rogationem tulit, ut Alexander diis maiorum gentium sive duodecim Olympiis ascriberetur, eamque rogationem etiam pertulisse videtur frustra renitente Pythea, qui quum admodum adolescentulus de honoribus Alexandro decernendis verba faceret atque ex ipso quidam quaereret, quomodo ita iuvenis tantis de rebus dicere auderet: at, inquit, quem deum decrevistis Alexandrum, is etiam iunior me est (Plutarch. Polit. Praec. c. 8. *Πυθέας δὲ ὁ ῥήτωρ ὅτε πρὸς τὰς Ἀλεξάνδρου τιμὰς ἀντέλεγεν, εἰπόντος τινός, „Οὕτω σὺ νέος ὢν περὶ πραγμάτων τολμᾷς λέγειν τηλικούτων“, „Καὶ μὴν Ἀλέξανδρος, εἶπεν, ἐμοῦ νεώτερός ἐστιν, ὃν ψηφίζεσθε θεὸν εἶναι.*). Mox vero *παρανόμων* iudicio arcessitus est Demades eique ab iudicibus mulcta sat gravis dicta, quam Athenaeus (6, 251, b.) decem, Aelianus (V. H. 5, 12.) centum talentorum scribunt fuisse. Cum adversus illam accusationem caussam diceret Demades, usus fortasse est nobilitato illo *τοῦτο τὸ ψήφισμα οὐκ ἐγὼ ἔγραψα ἀλλ' ὁ πόλεμος τῷ Ἀλεξάνδρου δόρατι* (cf. Lhardy de Demad. p. 48.). Annus ipse, quo ea rogatio ab Demade promulgata sit, ignoratur; probabile est tamen eam tum esse factam, quum legati Atheniensium, qui ad Ale-

xandrum missi erant, ut et victoriam ei ad Issum (Ol. CXI, 4.) reportatam gratularentur ab eoque orarent, ut captivos Graecos suis restitueret, Athenas reversi ad populum rettulissent, ab rege se quae petivissent impetrasse (Curt. 4, 34, 12.). Aelianus (V. H. 2, 19.) auctor est Alexandrum aliquando edixisse, ut Graeci se inter deos referrent; ea in opportunitate Graecos alia alios, Lacedaemonios autem decrevisse ut Alexander deus esset, quoniam vellet deus esse. Possit igitur quispiam suspicari Demadis rogationem illa ipsa in tempora cadere, aut brevi post oraculum Ol. CXII, 1. editum, quo Ammon patrem se Alexandri dixisse ferebatur (Diodor. 17, 21. Arrian. 3, 4. 4, 9. 7, 8. Curt. 4, 32. Plutarch. Alex. 27.), esse factam. Verum ut id oraculum (cf. quae Muetzellius meus in Curt. 4, 32. excitat), ita Aeliani narratio sublestae est fidei, quin incredibilia sapit. Iam vero in Lycurgi acute dicto „καὶ ποδαπὸς ἂν“, εἶπεν, „ὁ θεός, οὔ τὸ ἱερόν (malim οὔ τοῦ ἱεροῦ, Turicenses coni.: οὔ τῶν ἱερῶν) ἐξιόντας δεήσει περιῤῥάνασθαι,“ Coraes et Turico. de coniectura scripserunt καὶ ποδαπὸς, ἀνεῖπεν, difficile est autem dicere, quorsum hic valeat ἀνειπεῖν, mihi εἴη supplendum neque opus esse videtur coniectura a Corae in adnott. proposita: καὶ ποδαπὸς ἂν εἴη. Acumen autem in eo latet, quod cum immortalium deorum templa vel ingressuri vel ingredientes aqua ex περιῤῥαντηρίοις in limine templi constitutis aspersa, domo autem funesta exeuntes aqua lustrali ex figlino vase — ἀρδάνιον vel ὄστρακον dicebant — ad fores illarum aedium constituto aspersa lustrari soliti sint (cf. Lomeier p. 156. 222.), Lycurgus Alexandrum deum esse negat, quippe cuius aedem non ingressuri sed egressi lustrari debeant.

p. 8.

ἀποθανόντος δ' αὐτοῦ παρέδωκαν τοὺς παῖδας τοῖς ἕνδεκα, Μενεσαίχμου μὲν κατηγορήσαντος, γραψαμένου δὲ Θρασυκλέους.] Eadem habet Photius, nihilo minus Ruhnkenius (H. cr. orat. graec. p. 157.) ex Demosthenis, si diis placet, epistola III. p. 1478, 15. εἰ δὲ Μοιροκλῆς ἀποκρίνεται, ταῦτα μὲν σοφώτερα ἢ καθ' ἑαυτὸν εἶναι, ἵνα δὲ μὴ ἀποδρῶσιν, αὐτὸς αὐτοὺς δῆσαι, et Photio et huic vitae scriptori Μοιροκλέους pro Θρασυκλέους reddit, id quod probare utique nequeo. Primum enim utrumque et hoc Pseudo-Plutarchi Photiique et illud epistolae Demosthenicae integrum esse potest; fieri enim potuit, ut Thrasycle quodam nomen deferente subscripserit cum Menesaechmo etiam Moerocles aliquis, ceterequin ignotus homo; nam eum quidem Moeroclem, qui ab iisdem partibus steterit a quibus praeter Demosthenem et Hyperidem etiam Lycurgus fuerit, donec in vivis esset, eum igitur probabile non est Lycurgi mortui filios fuisse accusaturum. Dein exigendum si ex altero alterum est, promptius est uni epistolae Θρασυκλῆς quam ementito Plutarcho et Photio Μοιροκλῆς reddere, quorum consensus id certe demonstrat, sic in eo repertum fuisse, qui communis utrique quasi fons fuerit. Undecimviris igitur commissi sunt post Lycurgi fata filii eius, cum eorum nomen detulisset Thrasycles, in iudicio autem accusasset Menesaechmus, in altera vero accusationis parte, quae erat περὶ τοῦ τιμήματος sive de litis aestimatione, verba fecisset Moerocles. Cuius criminis rei facti sint, non traditur; sed ipsa rerum cohaerentia et epistola illa Demosthenica atque Menesaechmi nomen efficere videntur accusationem ad paternam aerarii administrationem pertinuisse. Nam primum Menesaechmus sine dubio idem est, qui mox narratur solus ausus esse Lycurgum accusare, cum hic morti

proximus, ut rationes rerum ab se gestarum redderet, ferri se in metroum et curiam iussisset; idem est, qui in quaestura aerarii Lycurgo successisse videtur (Boeckh. Oec. Civ. Ath. I, 472. Kiessling. p. 50.); idem denique qui antea ab Lycurgo superstite erat accusatus (Kiessling. p. 50.). Dein ex filiis Lycurgi Habronem aliquando ἐπὶ τῆς διοικήσεως itaque affinem procurationis paternae fuisse supra (p. XVII.) comprobavimus. Credimus igitur demonstrare conatos esse accusatores, magnam mulctam commisisse per aerarii quaesturam Lycurgum, iccirco ipsum fuisse aerarii debitorem, eius autem priusquam solveret debitum mortui filios etiam ipsos debitores aerarii factos et donec eam solvissent pecuniam, carcere retinendos esse. Itaque eodem iure in Lycurgi filios usi sint accusatores, quo Athenienses in Cimonem usi erant, qui custodia tenebatur neque emitti carcere poterat, nisi pecuniam, qua pater mulctatus erat, solvisset (Nep. Cim. 1. Plutarch. Cim. 4. Diodor. Exc. Vatic. p. 42.); eodem, quo in Aristogitonem usos esse Suidas [1]) testatur; is enim narrat Aristogitonem, cum pater eius ut aerarii debitor in carcere obiisset, postea ut haeredem debiti ipsum in vincula coniectum esse, id quod sane repugnat Demosthenicis (c. Aristogiton. I. 786, 29. sqq.) et Dinarcheis (c. Aristogit. §. 8. et 18.), unde patrem Aristogitonis apparet Eretriae exulem fato esse perfunctum. Iam vero Demosthenicae illius quae fertur epistolae verba p. 1480, 9. *Λάχητι τῷ Μελανώπου ἁλῶναι μὲν ὁμοίως ἐν δικαστηρίῳ συμβάν, ὡς καὶ νῦν τοῖς Λυκούργου παισίν, ἀφεθῆναι δὲ πᾶν τὸ ὄφλημα ἐπιστείλαντος Ἀλεξάνδρου,*

1) Suid. v. *Ἀριστογείτων Σκυδίμου — τούτου ὁ πατὴρ ὀφλήσας τῷ δημοσίῳ τελευτᾷ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ· καὶ αὐτὸς Ἀριστογείτων μετὰ ταῦτα ὡς κληρονόμος τοῦ ὀφλήματος ἐδέθη.*

coll. c. Aeschinis quae fertur epist. 12. §. 14. *καὶ περὶ μὲν τῶν Λυκούργου παίδων Δημοσθένης ὑμῖν ἐπιστέλλει καὶ δεῖται, καλῶς ποιῶν, χαρίσασθαι τὸ πατρῷον αὐτοῖς ὄφλημα καὶ ὑμεῖς οὐδὲν ἀλλ' ἢ Ἀθηναίων ἔργον ἐλεήσαντες αὐτοὺς καὶ χαρισάμενοι ἐποιήσατε*, probant filiorum Lycurgi *ὄφλημα* fuisse ex mulcta ab iudicibus dicta ortum, verba autem p. 1477, 25. *περὶ ὧν τὸν πατέρα αἰτιῶνταί τινες, τοὺς υἱεῖς δεδέκατε* et 1478, 5. *ἐκεῖνον, ὅτ' ἔζη, ἔδει δίκην διδόναι, τούτους δὲ μηδ' οὕτως ἐφ' οἷς ἐκείνῳ τις ἐγκαλεῖ, τυγχάνειν ὀργῆς*, et illud Hyperidis *τοῦτον ἡ πόλις ἡμῶν ἠτίμασε καὶ τοὺς παῖδας ἔδησεν αὐτοῦ*, ea igitur omnia docent damnationem liberorum ad res a patre gestas pertinuisse. Lycurgi filios non tantum in carcerem coniectos esse, sed in vinculis etiam et catenis fuisse, demonstrant verba epistolae 1477, 25. modo commemorata et p. 1478, 20. sq.

Δημοσθένους δὲ καθ' ὃν ἔφευγε (ita Cor. et Bait.) *χρόνον ἐπιστείλαντος τοῖς Ἀθηναίοις ὡς κακῶς ἀκούοιεν ἐπὶ τοῖς Λυκούργου παιδίοις, μετενόησαν καὶ ἀφῆκαν αὐτούς, Δημοκλέους τοῦ Θεοφράστου μαθητοῦ ὑπὲρ αὐτῶν ἀπολογησαμένου.*] Athenienses igitur, ab Demosthene exule litteris datis moniti, quam male apud omnes Graecos audierint propter liberos Lycurgi male habitos, hos poenitentia capti libertati reddiderunt defensore usos Democle Theophrasti discipulo. Demosthenis litteras eo eventu fuisse nec tacet Aeschinis commentitia epistola 12, 14. modo a nobis commemorata, et docet Photius qui rectius *παῖδας* Lycurgi dicit, qui huic scriptori *παιδία* dicuntur; Democlis memoriam ceteroquin ignoti hominis, ut plerique ex bis mille discipulis, quos ad Theophrastum concurrisse Diog. Laert. (5, 37.) auctor est, ne nomine quidem nobis cogniti sunt, unus hic vitae scriptor servavit; nihilominus nolim cum Ruhnkenio H. cr. p. 166. R. facere, qui

ab Democlide eum statuit non fuisse diversum. Etiam Hyperidem inter defensores liberorum Lycurgi fuisse, fragmentum quoddam eius docet, quod est ab Longino servatum (IX. p. 545. sq. Walz.). Ita qui superstite Lycurgo familiarissime usi erant eumque in consiliorum suorum societatem vocaverant, Demosthenes et Hyperides, iidem fato defuncti liberos defenderunt. Certe ab singulis horum trium virorum omnibus contra Demadem orationes scriptae sunt (Lhardy de Demade p. 44. 50. sq.) et ut earumdem partium fautores coniungit eos Lucianus de Parasit. 42. — Qua via rationeque filii Lycurgi liberati sint vinculis remissioque iis facta mulctae ab iudicibus[1]) dictae ignoramus; sed illud certe scimus, non potuisse remissionem tribui nisi a concione et ne ab hac quidem peti, nisi postquam petendi ἄδεια esset per illam facta. Fortasse concio tum ad simile quoddam artificium descendit, quo ad liberandos Timotheum Demosthenem et Peloponnesio bello ad Phormionem eximendum Athenienses usi sunt. Timotheus enim cum esset iudicio damnatus lisque centum talentis aestimata, eam ob rem urbe relicta Chalcidem se contulit; post mortem autem eius populus mulctae novem partes detraxit, decem talenta Cononem filium eius ad muri quandam partem reficiendam iussit dari (Nep. Timoth. 3.), id quod sic accipio, Cononi decem talentis murum qui minimi sumptus fuerit, reficiendum locatum esse. Demosthenem autem revocatum eum mulcta liberare vellent quinquaginta talentorum, eam autem remittere per leges non liceret, ut legi satisfieret, tanti ei locarunt aram in sacrificio Iovis Ser-

1) Neque enim hic agitur de mulctarum ab magistratibus dictarum (ἐπιβολῶν) remissionibus.

vatoris parandam ornandamque [1]). Similem rationem iam Peloponnesio bello excogitatam esse, ut Phormioni mulcta centum minarum remitteretur neque tamen legi detraheretur, docuit Boeckhius (ap. Meinekium Fr. Comic. II. p. 527. sqq.). Ceterum temporibus illis mulctae, quae ab iudicibus erant aestimatae, ab Attica concione saepius remittebantur regum gratia pro reis deprecantium; sic ut his utar exemplis, Lacheti Melanopi filio Alexandri gratia (Demosth. epist. 1498, 9.), Cleomedonti autem, cui lis quinquaginta talentorum erat aestimata, muleta propter Demetrium Poliorcetam remissa est, abs quo Cleomedontis filius Cleaenetus, litteras commendatitias ad Athenienses datas acceperat, quibus rex populum rogabat, ut eam litem remitteret (Plutarch. Demetr. 24.).

ἐτάφη δ' αὐτὸς καὶ τῶν ἐκγόνων τινὲς δημοσίᾳ — ἔτι σωζόμεναι.] Lycurgus igitur, sic pergit vitae scriptor idque huic proprium est, et ipse et nonnulli ex posteris eius publice elati, monumenta vero eorum e regione Minervae Paeoniae sunt, in hortis Melanthii philosophi; ea vero constant mensis arte factis (ita enim *τραπέζας πεποιημένας* recte explicarunt Turicenses, quibus antea verbum excidisse visum est, quo materia significaretur); inscripta autem monumentis erant nomina ipsius Lycurgi et filiorum eius eaque monumenta perdurabant usque ad scriptoris huius vel potius usque ad eius, unde hic sua derivavit, aetatem. Cum Stratoclis decreto constet (p. 12.) publi-

1) Plutarch. Demosth. 27. *τῆς δὲ χρηματικῆς ζημίας αὐτῷ μενούσης (οὐ γὰρ ἐξῆν χάριτι λῦσαι καταδίκην), ἐσοφίζοντο πρὸς τὸν νόμον. εἰωθότες γὰρ ἐν τῇ θυσίᾳ τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος ἀργύριον τελεῖν τοῖς κατασκευάζουσι καὶ κοσμοῦσι τὸν βωμόν, ἐκείνῳ τότε ταῦτα ποιῆσαι καὶ παρασχεῖν πεντήκοντα ταλάντων ἐξίδωσιν, ὅπερ ἦν τίμημα τῆς καταδίκης.*

cam sepulturam in Ceramico iam maioribus Lycurgi Diomedi et Lycurgo datam esse, e Pausania autem appareat tum Lycurgi oratoris monumentum in Ceramico suburbano fuisse (I, 29, 16,), tum Minervae Paeoniae statuam non longe ab porta Ceramici abfuisse (I, 2, 4.): credibile est utique oratoris et posterorum eius monumenta finitima fuisse monumentis Diomedis et Lycurgi antiquioris, Melanthii autem philosophi hortos cum hortis ipsius Academiae cohaesisse. Publica sepultura Athenis tum promiscue omnibus concedebatur, quicumque in bello pro patria occubuissent, tum singularibus decretis si qui praeclare de Atheniensibus meruisse visi essent, veluti Pericli, Phormioni, Chabriae, Zenoni (Paus. I, 29, 3. Diog. Laert. 7, 10. 15.). Atque in bello quidem qui ceciderant plerique omnes in Ceramico sive in via, quae in Academiam ducit, sepeliebantur, exceptis solis iis qui Marathone caesi sunt; nam hi eodem loco humati sunt, quo ceciderant; reliquis vero, quibus contigerit ut publice sepelirentur, non omnibus sepulcrum fuisse in Ceramico, Solonis docere videtur exemplum, quem ut Aelianus (V. H. 8, 10.) narrat, ἔθαψαν δημοσίᾳ παρὰ τὰς πύλας πρὸς τῷ τείχει ἐν δεξίᾳ εἰσιόντων καὶ περιῳκοδόμητο αὐτῷ ὁ τάφος: nisi verbis παρὰ τὰς πύλας Dipylon significatur, quo interior Ceramicus cum exteriore coniungebatur; plurali enim τῶν πυλῶν saepius utuntur scriptores, ubi unam portam, vel potius unius portae fores significant, veluti ap. Lycurg. c. Leocr. §. 86. κατὰ τὰς πύλας. — Fuerunt qui ἐκγόνους vocem tantum de filiis, de nepotibus autem omninoque de posteris ἐγγόνους dici statuerent; verum cum ex Lycurgi filiis unus tantum Habron, ut πολιτευσάμενος ἐπιφανῶς, potuerit publicae sepulturae honore dignus videri: hic ἐκγόνων τινὲς sine dubio de posteris oratoris intellegendum est,

etsi non constat, de quibusnam potissimum. Illud enim discrimen vanum esse cum multi docuerunt, tum Nitzschius in Hom. Od. 3, 123. Schoemannus in Isaeum p. 387. et Boeckhius in C. I. T. II. p. 234. Quod autem nomina filiorum inscripta esse dicuntur mensis sepulcralibus, non est ita accipiendum, quasi vero eorum omnium hic fuerint monumenta, immo titulus, qui monumento patris erat additus, comprehendisse videtur etiam nomina filiorum.

τὸ μέγιστον χίλια διακόσια τάλαντα προςόδου τῇ πόλει κατέστησε πρότερον ἑξήκοντα προςιόντων.] Quae hic de publicis reditibus ab Lycurgo auctis traduntur, nec loco suo extant, certe multo commodius legerentur p. 2. sq. post memoriam talentorum, quae ille per duodecim annorum quaesturam tractarit, neque facilem habent explicatum. Nam omnes reditus Atheniensium, antequam Lycurgus curam aerarii susciperet, ad sexaginta talenta redactos fuisse, eo magis incredibile est dictu, quod Charetis tempore ab solis insulanis *συντάξεως* nomine quotannis totidem talenta exacta sunt (Aeschin. F. L. 250.). Quodsi de uno *συντάξεων* reditu locum intellegas, non minus incredibile est istum reditum sub Lycurgo ad MCC talenta auctum esse; nam etsi tributa sociorum cum Alcibiades ad rempubl. accessisset, ita creverunt, ut MCCC talenta quotannis inde redirent: Lycurgi tamen temporibus ut magnum quiddam praedicatur, quod Demostheni contigerit ut socii amplius quingenta talenta in bellum conferrent (Decret. ap. Pseudo-Plutarch. Vit. X. orat. p. 276. Hutt. *σύνταξιν χρημάτων, ἣν ἔπεισε πρεσβεύσας διδόναι τοὺς μὲν συμμάχους εἰς τὸν πόλεμον πλείω πεντακοσίων ταλάντων*). Itaque uti Demetrii Phalerensis tempore, si Duridi Samio fides est (ap. Athen. 12, 542, c.), omnes annui Atheniensium reditus mille et ducentorum talentorum fuerunt, ita hoc quoque loco MCC

talenta omnes annuos reditus significant; quocum, ut supra (p. XV.) indicavimus, fere conspirat quod quater decies mille talenta per XII annos administrasse Lycurgus dicitur. Nihil igitur reliquum est nisi aut cum Reiskio, Corae et Turicensibus ἑξακόσια de coniectura pro ἑξάκοντα rescribere, aut statuere scriptorem vitae summam omnium redituum per Lycurgum auctam male contulisse cum reditibus ex tributis sociorum quales ante oratorem fuerint, qui conferre inter se debuerit vel solos tributorum reditus, vel omnium redituum summas quales et ante Lycurgum et post eum fuerint; cf. Boeckh. Oec. Cic. Ath. I, 469. sqq. Ceterum cohaeret cum hac re, quod Hyperides ap. Longin. (T. 9. p. 945. εὗρε πόρους) novos reditus excogitasse dicit Lycurgum.

μέλλων δὲ τελευτήσειν — καίτοι πολλῶν κατηγορησάντων.] Lycurgus igitur cum mortem sibi instare intellexisset, in metroum et curiam portari se iussit, ubi rerum ab se publice gestarum rationes redderet. Nemo inventus est, qui eum accusaret, praeter unum Menesaechmum; huius igitur criminationibus refutatis domum reportatus animam efflavit. Eadem fere Photius. Non illud ad legitimas εὐθύνας pertinuisse et locus et tempus evincit; nam illarum locus in λογιστηρίῳ, non vero in metroo et curia, tempus autem iustum erat, postquam eos, qui magistratu abissent, praeco logistarum ad tribunal citasset. Immo videtur Lycurgus munerum suorum iam suo quidem et tempore et loco iustas reddidisse rationes, cum vero rumores malos spargi de se a malevolis animadvertisset, imprimis a Menesaechmo, qui ipsi in cura aerarii successerat, denuo se innocentiamque suam purgasse civibus, ut et sui bona memoria apud cives suos superesset, neve filii sui post ipsius obitum in periculum vocarentur. Eam igitur ob caussam denuo sui copiam fecerit accusatoribus;

e metroo, ubi tabularium erat publicum, deprompserit documenta et rationum exempla, quibus in ea defensione uteretur; in curia autem permittentibus praedris et prytanibus verba fecerit usus fortasse etiam columnis leges et PScita continentibus, quae in curia erant, nam *τῆς στήλης τῆς ἐν τῷ βουλευτηρίῳ* memoria saepius recurrit; cf. Lycurg. c. Leocr. §. 124. 126. Quaedam horum, quae modo scripsimus, etsi aliis verbis, iam Nissenus (p. 94.) et Blumius (p. 16.) docuerunt. Novissima *ἐπιεικὴς νομισθεὶς παρὰ πάντα τὸν βίον* (ita Kiessl., *παρὰ πάντα τὸν βίου χρόνον* libri, *παρὰ πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον* Coraes et Turic. de coni., equidem si quid mutandum, *π. πάντα τὸν χρόνον* malim) *καὶ ἐν λόγοις ἐπαινεθεὶς καὶ μηδένα ἀγῶνα ἆλοὺς καίτοι πολλῶν κατηγορησάντων*, aptiora et commodiora viderentur, si loco de Lycurgi laudibus non tam intempestive interpositus esset qui huic proprius est, ab Photio autem plane abest locus de posteris Lycurgi, sed quae p. 10. extant *ἐστεφανώθη δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου πολλάκις καὶ εἰκόνων ἔτυχεν* cum verbis *καὶ ἐν λόγοις ἐπαινεθεὶς κ. τ. λ.* arctius essent coniuncta, locus autem de posteris Lycurgi p. 8. extr. *ἔσχε δὲ τρεῖς παῖδας ἐκ Καλλιστοῦς* — p. 9. extr. *διετάξατο δὲ καὶ τὴν ἱερωσύνην τοῦ Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως* statim ante p. 10. *κατῆγον δὲ τὸ γένος ἀπὸ τούτων* extarent. — Ceterum quod Lycurgo contigit, ut accusaretur quidem a multis, numquam autem condemnaretur, idem accidisse videtur Aristophonti Azeniensi [1]).

ἔσχε δὲ τρεῖς παῖδας ἐκ Καλλιστοῦς τῆς Ἄβρωνος μὲν θυγατρὸς κ. τ. λ.] Suscepit igitur Lycurgus tres

1) Aeschin. c. Ctesiph. §. 194. *ἐτόλμα δ' ἐν ὑμῖν ποτε σεμνύνεσθαι Ἀριστοφῶν ἐκεῖνος ὁ Ἀζηνιεύς, λέγων ὅτι γραφὰς παρανόμων πέφευγεν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε.* Schol Demosth. de cor. §. 70. *ἀνὴρ πολλάκις κριθεὶς οὐδέποτε δὲ καταγνωσθείς.*

filios ex Callistone Calliae sorore, Habronis Batensis filia; nam Ἄβρωνος non Ἅβρωνος nomen scribendum esse iam Turicenses monuerunt, id quod valet etiam in nomina Ἁβρωνίδης, Ἁβροστράτη (Ross. Inscr, 182.), Ἁβροτέλης, Ἁβροτέλεια, Ἁβρότονον. Habron autem Calliae fil. Batensis, rituum sacrorum interpres, qui de diebus festis et de sacrificiis commentatus est (Stephan. Byz. v. *Βατή* — *ὅθεν ἦν Ἄβρων ὁ Καλλίου ἐξηγητὴς περὶ ἑορτῶν καὶ θυσιῶν γεγραφώς*), sitne, id quod C. O. Muellerus (Minerv. Pol. p. 43.) et Nissenus (p. 99.) statuerunt, ipse huius Callistonis pater, ut stemma sit hoc: *Καλλίας — Ἄβρων ὁ ἐξηγητής — Καλλίας ταμίας στρατιωτικῶν* sororque *Καλλιστώ*, id in medio relinquo; generis propinquitate hunc cum illo fuisse coniunctum, id vero dubitationem non patitur; idem cadit in eum Ἄβρωνα *Βατῆθεν* qui in titulo quodam commemoratur, quem Rossius (die Demen v. Att. p. 40.) publici iuris fecit. Habron ille num ex Eumolpidis fuerit, ut infra p. 9. *Μήδειος* dicitur *ὁ καὶ ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμολπιδῶν γενόμενος*, et C. I. 392. est *Ἀπολλώνιον — ἐξηγητὴν ἐξ Εὐμο*[*λπιδῶν*], an Eupatrida tantum sive Patricius atque eo iure ad rituum sacrorum interpretationem accesserit, ut C. I. n. 765. est, *τοῦ ἐξ Εὐπατριδῶν ἐξηγητοῦ*, an denique nullo hereditatis iure eo pervenerit, non magis ausim discernere quam num Lycurgus, ut erant ipsius genti sanctissima sacerdotia propria, ita eam ob caussam ista se devinxerit affinitate, quod etiam uxoris gens cum sacris cohaereret. Callias Callistonis frater quaestor hic dicitur rei militaris fuisse, id autem munus non perpetuum sive annuum sed extraordinarium et bellicorum tantum temporum videri fuisse merito statuit Boeckhius Oec. Civ. I. 194. — Ceterum in *τοῦ ταμιεύσαντος στρατιωτικῶν* articuli *τῶν* absentiam recte tuentur Turicenses allato titulo C. I. n. 416. *ταμιεύ*]*σαντα στρατιωτικῶν*. Orationem c. Pistiam,

stiam, in qua Dinarchum illius affinitatis meminisse vitae scriptor testatur, in εἰσαγγελίας iudicio habitam esse Dionysius probat, qui (de Dinarch. p. 652.) εἰσαγγελίαν κατὰ Πιστίου commemorat; neque dubito quin tum Dinarchus eam orationem eidem scripserit, cui etiam orationem c. Demosthenem, tum Pistias ab iisdem partibus steterit, a quibus Demosthenes et Lycurgus; fuisse Pistiam Areopagitam iramque meruisse actoris Dinarcheae huius orationis ea re, quod cum Pythocle eum apud iudices criminatus esset, actorem igitur iratum, ut se ulcisceretur, εἰσαγγελίας iudicio Pistiam arcessivisse, εἰσαγγελίαν vero eam ad προδοσίαν pertinuisse, denique Pistiam in iudicio bis mille et quingentorum civium condemnatum esse, ea omnia ex Dinarcho c. Demosth. §. 52. sqq. apparent, qui locus simul id docet, orationem Dinarchi c. Pistiam tempore priorem fuisse eiusdem viri oratione c. Demosthenem. Ceterum vana est Maetzneri (in Dinarch. p. 120.) coniectura, apud Harpocr. v. Βουλεύσεως — Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Πιστίου ἐν Ἀρείῳ πάγῳ (sc. τὰς τῆς βουλεύσεως δίκας εἶναι λέγει) rescribentis κατὰ Πιστίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου.

p. 9.

κατέλιπε δὲ παῖδας κτλ.] Filii, quos reliquit Lycurgus, quod et hic et p. 11. eo ordine commemorantur, ut Habronem Lycurgus, hunc Lycophro excipiat, hinc effecit Nissenus (p. 99.) Habronem maximum, Lycophronem minimum natu fuisse, in eamque sententiam C. O. Muellerus (de munim. Athen. p. 27.) adeo discessit, ut constare scriberet Habronem filiorum natu maximum fuisse. Ista vero coniectura repugnat tum diserto huius scriptoris testimonio (p. 11.) scribentis ἀποθανόντος τε Λυκούργου ὁ πρεσβύτατος τῶν παίδων Λυκόφρων, tum consuetudini Graeco-

rum, apud quos fere sollemne erat filiorum primum ab avo paterno, secundum ab avo materno, tertium a patre dicere; itaque probabile est Lycophronem maximum, Habronem medium, Lycurgum minimum natu fuisse; ab naturali autem ordine vitae scriptor cur discesserit, multae fingi possunt rationes; mihi vero propterea discessisse videtur, quod cum Habro et Lycurgus sine prole obierint, unus Lycophro prolem propagaverit, de illis pauca erant et in principio dicenda, de hoc accuratius debebat disserere; altero autem loco (p. 11.) quod scriptor eundem tenuit ordinem, non hinc colligi licet eodem etiam in Erechthei imagines fratrum collocatas fuisse. Habronem vero etiam propterea primo loco posuit, quod, cum fratres eius nihil egerint, quod admodum esset memoratu dignum, Habro re publica praeclare gesta fato functus est (Ἅβρων καὶ πολιτευσάμενος ἐπιφανῶς μετήλλαξε). Neque vero de rebus ab eo gestis quidquam constat, nisi quod ex inscriptione murali ab Muellero edita v. 35. apparet ἐπὶ τῇ διοικήσει fuisse Ἅβρωνα Λυκούργου Βουτάδην, cf. supra p. XVII. et LVI.

De reliquo stemmate admodum pauca sunt quae nobis reliqui fecerit superiorum industria, Muelleri imprimis et Boeckhii. Cum enim Lycophro (II.), oratoris filius maximus natu, nullos filios, unam filiam susceperit, quam a matre sua Callistonem (II.) dixit, haec aut θῆσσα erat aut ἐπίκληρος; atqui θῆσσαν eam fuisse per facultates familiae credibile non est; erat igitur ἐπίκληρος; ἐπίκληρος quae non a patre vivente et superstite una cum omnibus bonis paternis collocata erat, post parentis fata nubere debebat ei, qui genere esset proximus, nisi is suapte sponte suo iure in eius gratiam cedebat, qui post ipsum gradu proximus esset. Itaque Cleombrotum Acharnensem possis propterea, quod ei nupserit Callisto II., credere

agnatum fuisse proximum Lycophronis; verum quoniam ab Lycophrone vivente ei collocata erat, id inde colligi non licet. Qui ex eo matrimonio natus est Lycophro (III.), eum avus Lycophro (II.) adoptavit, obsecutus legi Atticae, quae filium ἐπικλήρου heredem avi et post huius fata ἐπιδίκους ἡβήσαντα in honorum eius possessionem venire iussit. Lycophrone tertio sine prole mortuo iterum vacuus sive ἔρημος factus est Lycophronis secundi οἶκος; post huius fata — nam μετὰ δὲ τὴν Λυκόφρονος τελευτὴν referenda sunt ad obitum Lycophronis II. — Callisto Socrati nupsit, utrum Cleombroto mortuo an divortio ab Cleombroto facto sive quod nulla ex eo prolis suscipiendae spes supereset, sive quod non proximus agnatus esset Lycophroni II., id non traditur. Illud autem probabile est, Socratem ἀγχιστέα fuisse Lycophroni II., Socratis autem ex Callistone filium, Symmachum, in huius avi domum adoptatum esse; certe alioquin vix explices unde factum sit, ut ex posteris Symmachi Medius II. et Philippe II. ad sacerdotia Erechthei et Minervae Poliadis pervenerint, quae Eteobutadarum propria erant. Quod enim C. O. Muell. (Min. Pol. 43.) coniecit, etiam Symmachum ab ipso avo materno adoptatum in gentem Butadarum transisse, mihi propterea improbatur, quod avus eius iam antequam Callisto Socrati nupsisset, fato defunctus erat. Verum quod Medius prior, Medii posterioris pater, Symmachi autem abnepos, ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμολπιδῶν erat, id probare videtur etiam ad Eumolpidarum gentem vel Symmachum ipsum vel unum ex posteris eius pervenisse. Matrimonio autem Nicostratae Medii prioris proneptis inito cum Themistocle daducho, cum daduchia temporibus illis Lycomidarum fuerit, iam factum est, ut in domo Lycurgi simul essent trium sanctissimarum gentium sacerdotia, Eteobutadarum, Eumolpidarum et Lycomi-

darum. Cum Charmides Aristonymi filius, Symmachi nepos, Socratis pronepos, Lycophronis II. abnepos, unam filiam Philippen I. vel susceperit vel reliquerit, erat ea quoque *ἐπίκληρος* et sacerdotia paterna in mariti domum propagavit; etiam Philippe II. Medii I. et Timotheae filia videtur *ἐπίκληρος* facta esse fratre Medio II. et sorore Laodamia sine prole fato functis, idemque valet in Nicostraten Dioclis II. et Hedistae filiam. Philippe autem II. quod antea nupsit Diocli I. et postea sacerdos Poliadis facta est, id probat, ut iam intellexit C. O. Muellerus (Minerv. Pol. 13. not. 4.), non tantum innuptas sed etiam viro viduatas ad id sacerdotium potuisse accedere. *Διοκλῆς ὁ Μελιτεύς* — sic enim recte Coraes rescripsit — filium suscepit *Διοκλέα τὸν ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας στρατηγήσαντα.* De potestate *στρατηγοῦ ἐπὶ τὰ ὅπλα s. ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας* post Ahrensium et Beutlerum pauca quaedam adieci in libro Rossii mei „Die Demen“ p. VIII. Novissima *διετάξατο δὲ καὶ τὴν ἱερωσύνην τοῦ Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως* Pinzgerus et Turicenses ad Lycurgum oratorem, C. O. Muellerus ad Dioclem III., Nissenus (p. 99.) ad Themistoclem rettulit; eum igitur statuit non modo daduchum fuisse, sed etiam sacerdotio Neptuni Erechthei functum esse; sic enim interpretatur *διετάξατο* verbum. Mihi neutrum liquet, neque quodnam subiectum neque quemnam significatum habeat *διετάξατο*, sitne „testamenti tabulis eo de sacerdotio constituit“ an „ordinavit, quae ad id pertinebant sacerdotium.“

p. 10.

ἐστεφανώθη δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου πολλάκις καὶ εἰκόνων ἔτυχεν.] Coronatum Lycurgum saepius a populo esse habet etiam Photius; quod autem addit vitae scriptor, etiam imagines eum esse consecutum, id neque habet

Photius et displicet vehementer; sic enim collocatum est, ut viventem eum non minus imaginibus positis quam coronis datis a populo honoratum credas, atqui constat nullam eius viventis [1]), unam mortui statuam aeneam a populo positam esse, neque pluralem εἰκόνων ea licet tueri ratione quam iniit Nissenus (p. 98.), qui eo et aeneam in foro et ligneam in Erechtheo positam significari statuit; nam hanc non populus, sed Habron filius posuit.

ἀνάκειται δ' αὐτοῦ χαλκῆ εἰκὼν ἐν Κεραμεικῷ κατὰ ψήφισμα ἐπὶ Ἀναξικράτους ἄρχοντος.] Desideres fortassis κατὰ τὸ ψήφισμα τὸ ἐπὶ Ἀν. ἄρχ., verum articulus saepius abest ante eam vocem, ubi eum ex vernaculi sermonis ratione expectes; veluti in inscriptione navali XI, b. 49. κατὰ ψηφίσματα ἃ Δημάδης εἶπε. XIV, a. 40. κατὰ ψήφισμα δήμου ὃ εἶπεν Κηφισοφῶν. cf. 58. 113. Ceramicus, in quo aenea Lycurgi statua posita erat, forensis est; nam tum in ipso Stratoclis decreto est (p. 13.): καὶ στῆσαι αὐτοῦ τὸν δῆμον χαλκῆν εἰκόνα ἐν ἀγορᾷ, tum Pausanias in foro inter statuam Pacis Plutum ferentis et statuas Calliae Demosthenisque esse scribit Lycurgi statuam aeneam (P. I. 8, 2. ἐνταῦθα Λυκοῦργός τε κεῖται χαλκοῦς ὁ Λυκόφρονος.). Similiter statuas Harmodii et Aristogitonis in Ceramico, qua ad acropolin ascendatur, esse Arrianus (Anab. 3, 16.) et Pausanias (I, 8, 5.), in foro esse testantur Aristophanes Aristoteles Lucianus (cf. C. O. Mueller. Prooem. hib. 1839—40. p. 5.); eademque Ceramici et fori

1) Isocratis tres aeneae erant statuae, una Eleusine ab illustri imperatore Timotheo Cononis filio (Ps.-Plutarch. p. 241.), quo familiariter utebatur, altera ab Aphareo filio ad Olympium, tertia pueri nescio ab quo, fortasse a parentibus, in arce (p. 243. sq.), una autem γραπτὴ εἰκών in Pompeo (p. 245.), eaeque omnes, ni fallor, viventis positae, verum nulla earum ab populo erat collocata.

homonymia in aliarum statuarum civibus positarum memoria reperitur (cf. eund. 1840 — 41. p. 8.). Anaxicratis autem nomen cum fasti Attici bis prae se ferant, et primum quidem Ol. CXVIII, 2. deinde Ol. CXXV, 2., Boeckhius alio loco (Oec. Civ. Ath. I. 185.) sub posterioris, alio loco (I, 174.) sub prioris praetura id plebiscitum datum esse statuit, Nissenus (p. V.) vero Ol. CXXV, 2., denique Clintonius (F. H. I. p. 185. ed. Kr.) et Sauppius (p. 84. 86.) Ol. CXVIII, 2. anteposuerunt. His ut calculum adiiciam, tum ea moveor ratione, qua iam Sauppius usus est, quod credibile non sit Stratoclem, quem iam Demosthenes (c. Pantaenet. 980.) *πιθανώτατον πάντων ἀνθρώπων καὶ πονηρότατον* esse dixerit, Ol. CXXV, 2. et vixisse et valuisse, tum duobus argumentis his adducor; primum enim probabile est, quo anno Demetrius Poliorceta electo Demetrio Phalerensi Athenas Macedonum praesidio liberarit et imperium ademptum optimatibus plebi restituerit, quo Dinarchus, optimatium ille et Macedonum assecla adsentatorque ex *εἰσαγγελίᾳ* exulatum iverit (Dionys. H. 5, 650.), eodem anno Lycurgi tam popularis hominis, perpetuo Macedonibus adversati memoriam ornatam honoribus esse; deia Stratoclem veri simile est eo ipso anno hanc de Lycurgi honoribus rogationem pertulisse, quo turpi adulatione insignem Demetrii Poliorcetae gratiam meruerit et plurimum apud Athenienses valuerit (Plutarch. Demetr. 11. sq. 24. Grauert. Analect. 324.). Haec de anno Anaxicratis. In iis quae sequuntur, *ἐφ' οὗ ἔλαβε καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ αὐτός τε καὶ ὁ Λυκοῦργος καὶ ὁ πρεσβύτατος αὐτοῦ τῶν ἐκγόνων κατὰ τὸ αὐτὸ ψήφισμα, ἀποθανόντος τε Λυκούργου ὁ πρεσβύτατος τῶν παίδων Λυκόφρων ἠμφισβήτησε τῆς δωρεᾶς*, alterum *καὶ* merito abesse iusserunt Wyttenb. et Turicenses. Ineptum est autem non solum illud *ἐφ' οὗ ἔλαβε — κατὰ*

τὸ αὐτὸ ψήφισμα pro καθ' ὃ ψήφισμα ἔλαβε, sed etiam magis quod eodem PSC. victum in prytaneo Lycurgum ipsum accepisse eoque demum mortuo Lycophronem filiorum eius natu maximum id sibi donum postulasse scribit, quorum nihil in ipso decreto Stratoclis (p. 13.) inest. Scilicet ignoravit iste decretum aliquot demum annis post mortem oratoris esse factum, neque illius ignorantiae culpa aut ea ratione, quam Sauppius indicavit, aut sic liberari potest, ut verba eius per librariorum socordiam vitium contraxisse statuas; sententiae enim vix aliter satisfeceris nisi eiectis αὐτός τε καὶ ὁ Λυκοῦργος καὶ rescribatur: πρυτανείῳ δεῖ ὁ πρεσβύτατος αὐτοῦ τῶν ἐκγόνων, καὶ ὁ πρεσβύτατος τῶν παίδων Λυκόφρων κτλ., id quod nimis abhorret ab libris. Etiam ἠμφισβήτησε minus aptum; nam ἀμφισβητεῖν ita demum de rei vindicatione dicebatur (Boeckh. C. I. T. I. p. 112.), si ea coniuncta erat cum lite, atqui lis non poterat hic locum habere, quoniam credibile non est intercessisse alterum, qui se Lycophronis postulationi opposuerit; debetur illud errori ἀπεγράψατο verbum, de quo infra dicturus sum, prave intellegentis.

εἶπε δὲ καὶ περὶ ἱερῶν πολλάκις, γραψάμενος Αὐτόλυκον τὸν Ἀρεοπαγίτην καὶ Λυσικλέα τὸν στρατηγὸν καὶ Δημάδη τὸν Δημέου καὶ Μενέσαιχμον ἄλλους τε πολλούς, καὶ πάντας εἷλεν. ἔκρινε δὲ καὶ Λίφιλον ἐκ τῶν ἀργυρίων μετάλλων τοὺς μεσοκρινεῖς — ὀφελόντα — μνᾶν. ὁ δὲ εὐθύνας Ἀριστογείτονα καὶ Λεωκράτην καὶ Αὐτόλυκον δουλείας.] In his primum Δημέου rescribendum esse iam intellexit Coraes, qui ex Plutarchi Phocion. 30. comprobavit Demadis et patri et filio nomen fuisse Demeae; idem etiam luculentius evicit Lhardy (de Demad. p. 19. sqq.), qui vel locum orationis περὶ δωδεκαετίας §. 7., ubi Demades de se ipse dicit: γεγονὼς γὰρ ὢ ἄ. Ἀθ. Δημάδου πατρός, in corruptelae suspicionem vocavit; atque idem visum est confirmari inscri-

ptione quadam navali XI. p. 403., ubi extat *κατὰ ψηφίσματα ἃ Δημάδης Δημέου Παιανιεὺς εἶπε*, id quod Boeckhius p. 234. sq. ad clarum oratorem refert, quem quod Suidas *Λαχιάδην* dicit, errori Boeckhius tribuit Suidae, qui cum Demadem gente (*γένει*) Laciadem fuisse reppererit, id secus acceperit et de demo sive pago intellexerit. Verum caussae nihil est, quidni eodem tempore Demadem Demeae Paeaniensem et Demadem Demeae Laciadem vixisse statuas, quorum uterque rogationes nonnumquam ad populum tulerit. Nihilominus etiam hic titulus probabile certe reddit, oratoris patri nomen fuisse Demeae, non Demiae aut Demaeae. — Non minus certum est *ἀργυρείων μετάλλων* cum Baitero, qui eam in rem et Thucydide 2, 55. *μέχρι Λαυρίου οὗ τὰ ἀργύρεια μέταλλά ἐστιν Ἀθηναίοις* et Plutarcho Them. 4. testibus utitur [1]), in novissimis autem pro *δουλείας* non *δειλείας*, sed cum Valesio et Tayloro esse *δειλίας* rescribendum [2]). Verum illa paucis expediri poterant, insunt autem verbis naevi, qui nos diutius morabuntur.

Primum enim cum sua deesse viderentur orationi ligamenta, Coraes et Pinzgerus rescripserunt: *πολλάκις. γραψάμενος δὲ Αὐτόλυκον — ἄλλους τε πολλοὺς πάντας εἶλεν*, Nissenus (p. 55.) autem librorum scripturam sic defendit, ut hanc loco inesse diceret sententiam, in orationibus contra Autolycum Lysiclem Demadem et reliquos sermonem fecisse Lycurgum de sacris; idem fere voluit Sauppius, qui locum sic in-

---

1) Hyperid. ap. Suid. v. *Ἀπεψηφίσατο — τοὺς ἐκ τῶν ἔργων τῶν ἀργυρείων*. Xenoph. de Redit. 4, 14. *Νικίας ὁ Νικηράτου ἐκτήσατο ἐν τοῖς ἀργυρείοις*. Demosth. c. Aristocr. p. 668. §. 146. *τοὺς ἐκ τῶν ἀργυρείων*, ubi itidem in libris non paucis est *ἀργυρίων*, cf. Weber. in h. l. p. 433.

2) Apud Lyc. c. Leocr. §. 130. pro *δειλίας* habet Vratisl. *δουλείας*.

terpretatur: „Dixit etiam saepius de rebus sacris cum accusaverit Autolycum“, neque vero necessarium esse ut Autolyci Demadis et Lysiclis caussae ad res sacras pertinuerint. Atque verum est utique Lycurgum saepe in orationibus etiam iis, quae ad sacra non spectarint, quasi praetereuntem sacrorum mentionem iniecisse, e sacris et fabulis multa immiscuisse (Mueller. Min. Pol. 17. Kiessling. p. 42.), id quod quae aetatem tulit oratio c. Leocratem et memoria Hyacinthidum in oratione c. Lycophrona satis probat, et ut supra significavimus, cum sacerdotali gente Lycurgi cohaerere videtur. Attamen isti explicationi repugnat, quod neque εἶπε περὶ ἱερῶν significat „rerum sacrarum mentionem iniecit“, neque γραψάμενος est „cum orationes haberet“. Immo illud significat „de re sacra idque data opera saepius verba fecit“ referendumque est ad orationes de sacerdote femina, de sacerdotio et contra Menesaechmum aliasque eius sive concionales sive iudiciales orationes, quarum vel nomina interciderunt, hoc autem est „cum iudiciis publicis arcessivisset“. Neque vero propterea statim arripiendam arbitror Corais et Pinzgeri emendationem, sed circumspiciendum antea, quid novissimis faciendum. In his non offendor quidem εὐθύνας verbo; nam etsi quas proprie εὐθύνας dicebant, iis neque in Aristogitonem neque in Leocratem aut Autolycum usus est orator, sed contra Aristogitonem ἐνδείξει, contra Autolycum et Leocratem εἰσαγγελίᾳ egit: nihilominus poterat vitae scriptor εὐθύνας verbo uti, quippe quod, praesertim apud sequiores scriptores, generalius sit et de quovis iudiciorum genere dicatur. Sed pungit me, primum quod ὁ δὲ εὐθύνας suo caret verbo, dein quod male et perquam incommode καὶ Αὐτόλυκον repetitum est, postquam praecessit iam γραψάμενος Αὐτόλυκον τὸν Ἀρεοπαγίτην, denique ut nunc

collocata sunt verba, δειλίας etiam ad Aristogitona spectat, debebat autem sic poni, ut intellegeretur pertinere ad solos Λεωκράτην καὶ Λυτόλυκον. Audaciora sunt, quae Kiesslingus (p. 22.) et Nissenus (p. 64. sqq.) proposuerunt, quorum ille ὁ δὲ ἐνδείξας Ἀριστογείτονα, Λεωκράτην καὶ Λυτόλυκον δειλίας ἐγράψατο, hic pro δειλίας voluit εἶλεν rescribi. Paullo minus improbabile videri potest quod Sauppius proposuit, qui post δειλίας addendum putavit ἐκαλεῖτο, quod ante ἐπεκαλεῖτο poterat facile intercidere, dicitur autem eodem significatu, quo προσεκαλεῖτο; cf. de lit. Attic. p. 376. Est vero nimis ieiunum; quorsum enim valeat, quod orator in ius vocasse dicatur Leocratem et Autolycum, postquam accusasset Aristogitonem? Denique nulla istarum emendationum omnibus malis medetur, quae hic inesse diximus. Quid multa? locus ita turbatus videtur, ut facilius sit refellere quod alii non recte viderint, quam ipsum docere, quid rectum verumque sit. Mihi certe nondum contigit ut probabilem invenirem medicinam. Illud tantum intellegere mihi videor, melius consulturum fuisse scriptorem et veritati et orationi, si sic fere scripsisset: δωρεᾶς. ὁ δὲ Λυκοῦργος ἐνδείξας Ἀριστογείτονα, καὶ εἰσαγγείλας Λεωκράτην μὲν καὶ Λυτόλυκον τὸν Ἀρεοπαγίτην δειλίας, Μενέσαιχμον δὲ ὕβρεως, καὶ εὐθύνας Λυσικλέα τὸν στρατηγόν, καὶ γραψάμενος Δημάδη τὸν Δημέου ἄλλους τε πολλούς, πάντας εἶλεν. ἔκρινε δὲ καὶ Λίφιλον — μνᾶν. εἶπε δὲ καὶ περὶ ἱερῶν πολλάκις. — Tantum de universo loco. De caussa Diphili illud unum monendum habeo, si publicatis eius bonis centum sexaginta talenta redierint iisque viritim inter cives divisis singuli quinquagenas drachmas acceperint, cives in partem vocatos fuisse numero undevicies mille et ducentos, id quod ad civium numerum satis quadraverit, qualis tum fuerit; ditiores enim non est credibile accipere voluisse aut acce-

pisse congiarium; sin autem centenas singuli drachmas acceperint, novies tantum mille sexcenti cives participaverint, id quod parum verisimile est; cf. de numero civium Atticorum Boeckh. Oec. Civ. Ath. I. 38. Clinton. F. H. II. p. 388. sqq. p. 397. ed. Krueg. Leak. Topogr. Athen. p. 619. sq. 377. sqq. interpr. Rienaeck. — Mox Ἶβις bis ponendum esse monuerunt etiam Wyttenb. et Turicenses, versum autem illum Aristophanis Ἶβις Λυκούργῳ Χαιρεφῶντι νυκτερίς hic praepostere assutum Clintonus (F. H. p. 161. Krueg.) ad avum oratoris refert, ad alium quendam Lycurgum spectare Nissenus (p. 19.) et Sauppius (p. 85.) statuunt.

κατῆγον δὲ τὸ γένος ἀπὸ τούτων καὶ Ἐρεχθέως τοῦ Γῆς καὶ Ἡφαίστου.] Pro ἀπὸ τούτων καὶ, quod nihili est, Reiskius ἀπωτέρω μὲν ἀπ', Coraes τὰ μὲν ἀπωτάτω ἀπ', Sauppius primum ἀπωτάτω μὲν ἀπ', dein ἀπὸ Βούτου καὶ coniecit; hoc ingeniose inventum praeferrem, nisi esset sic potius scribendum: ἀπὸ Βούτου τοῦ Ἐρεχθέως τοῦ Γῆς; itaque malim: τὰ ἀπωτάτω μὲν ἀπὸ Ἐρεχθέως.

τὰ δ' ἐγγυτάτω ἀπὸ Λυκομήδους καὶ Λυκούργου.] Qui a vitae scriptore Lycomedes, idem in Stratoclis decreto, errore ut videtur librarii, Diomedes dicitur; nam cum familiis sua cuique nomina fuerint ex eadem radice sive profecta sive composita, veluti Python Pythodorus, Cleon Cleaenetus Cleonymus, Callidamas Callicrates Callimedon, Diotimus Diopithes, Demades Demeas, Demosthenes Demomeles Demochares, Nicias Niceratus (Boeckh. Staatshaush. II, 235.): probabilius sane est, Lycophronum et Lycurgorum familiae nomen Lycomedis quam Diomedis fuisse. Eodem argumento usi iam sunt Pinz-

gerus et Sauppius [1]). Neque vero id pro certo venditari licet, cum affinitatibus in familias inferri solita sint alienae radicis nomina. Facio autem cum Sauppio, qui C. O. Muelleri Bosslerique coniecturam improbavit hunc Lycurgum oratoris avum, Lycomedem eius proavum fuisse statuentium; nam hic Lycurgus publice sepultus, avus autem oratoris ab XXX tyrannis necatus est. Illi igitur Lycurgus et Lycomedes quo cognationis gradu et se et oratorem attigerint, ignoramus. Fuit cum illum ab Lycurgo Aristolaidae filio, qui factioni praefuerit Pediensium effeceritque ut Pisistratus primum urbe eiiceretur (cf. Herodot. I, 59. sq.), fuit cum eum Lycurgum neque diversum esse arbitrarer ab Lycurgo eo, quo et Lysistrato Cratinoque imperatoribus Athenienses Ol. LXXVII, 4. ad Eiona a Thracibus victi sint (ut auctor est Schol. in Aeschin. F. L. §. 31.), et avum eius Lycurgi fuisse statuerem, qui ab XXX tyrannis necatus sit (cf. Comment. Andoc. V. p. 104.). —

καὶ ἔστιν αὕτη ἡ καταγωγὴ τοῦ γένους τῶν ἱερασαμένων τοῦ Ποσειδῶνος.] Fabulosum autem sacerdotii Erichthonii Neptuni auctorem Attici Eteobutadae eodem animo Erechtheum ferebant, quo Halicarnassii sacerdotes heredetarii Neptuni Isthmii in sacerdo-

---

1) Eo argumento non debebat sic abuti Maetznerus in Lycurg. p. 277. sq., ut ap. Harpocr. v. *Ἵππαρχος — ἄλλος δέ ἐστιν Ἵππαρχος ὁ Χάρμου, ὡς φησι Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λεωκράτους*, quod apud Lycurgum in ea oratione extet *Ἵππαρχον τὸν Τιμάρχου*, librariorum lapsu *Χάρμου* pro *Τιμάρχου* scriptum esse contenderet. Immo memoria lapsus Harpocratio de Hipparcho Charmi ratus est in oratione c. Leocratem agi, cum de multum diverso ab eo, de Hipparcho Timarchi ibi agatur; idem fere statuit Sauppius in Lycurg. p. 167. sq.

tum eius catalogo (C. I. n. 2654.) Neptunum, in quem locum commentatus est Boeckhius, quid de eiusmodi indicibus sacerdotum sit iudicandum.

p. 11.

ἐν πίνακι τελείῳ ὃς ἀνάκειται ἐν Ἐρεχθείῳ γεγραμμένος ὑπ' Ἰσμηνίου τοῦ Χαλκιδέως.] Boeckhius (C. I. T. I. p. 793. T. II. p. 664. ubi etiam de hoc loco diligenter et acute disserit) εἰκόνα τελείαν imaginem explicat „totius corporis, non solius faciei cum pectore". Letronnius (Lettres d'un antiquaire à un artiste p. 442.) explicat „tableau achevé d' une execution parfaite", denique Welckerus (A. L. Z. 1836. n. 177.) ita scribit: „πίναξ τέλειος ist ohne Zweifel der, welcher eine Totalität, eine vollständige gebildete Composition enthält, also aus mehreren Figuren und Tafeln". C. I. 3065. εἰκὼν γραπτὴ τελεία distinguitur ab εἰκόνι γραπτῇ et ab εἰκόνι χαλκῇ et ab ἀγάλματι μαρμαρίνῳ. Mihi verbis τελείῳ πίνακι tabula significari videtur, quae plures imagines easque totius corporis (ganze Figuren) comprehendat. Pictor eius tabulae Ismenias Chalcidensis ignotus est ceteroquin, sed tempus eius eo declaratur, quod Habro Lycurgi oratoris filius eam tabulam dedicavit (τὸν δὲ πίνακα ἀνέθηκεν Ἅβρων ὁ παῖς αὐτοῦ), qui quod pictus ibi erat tridentem Lycophroni fratri tradens (καὶ διὰ τοῦτο πεποίηται ὁ Ἅβρων παραδιδοὺς — ita enim pro προσδιδοὺς recte rescripserunt Reiskius et Turicenses — αὐτῷ τὴν τρίαιναν), eo significabatur sua sponte fratri cessisse sacerdotio Erichthonii Neptuni, quod esset sorte nactus (λαχὼν ἐκ τοῦ γένους τὴν ἱερωσύνην καὶ παραχωρήσας τῷ ἀδελφῷ Λυκόφρονι). Erat igitur id sacerdotium ita hereditarium Eteobutadis, ut non a patre ad filium natu maximum, sed sortitione facta ad unum ex gentilibus perveniret. Quodsi Pausanias

ubi in Erechtheo in parietibus scribit picturas esse gentis Butadarum (I, 26, 6. *γραφαὶ δὲ ἐπὶ τῶν τοίχων τοῦ γένους εἰσὶ τῶν Βουταδῶν*), hanc ipsam Ismeniae tabulam significat, ea tabula inclusa fuerit parietibus, atque paries pictus sane nonnumquam de pictura parieti inclusa dici videtur. — Ab hac tabula diversae fuerunt ligneae Lycurgi et filiorum eius, quas Timarchus et Cephisodotus Praxitelis filii fecerunt (*καὶ εἰκόνες ξύλιναι* — sic enim recte pro *ξύλινοι* Sauppius rescripsit — *τοῦ τε Λυκούργου καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ Ἄβρωνος Λυκούργου Λυκόφρονος, ἃς εἰργάσαντο Τίμαρχος καὶ Κηφισόδοτος οἱ Πραξιτέλους υἱεῖς*), quarum memoria nunc ita interposita est, ut incommode interrumpat *πίναξος* descriptionem, commodius erat post *τὴν τρίαιναν* ponenda. Timarchi et Cephisodoti artificum coniuncta nomina sagaciter Rossius noster in inscriptione basis latere intellexit, quae ante aliquot annos in arce, haud procul ab Erechtheo inventa est (Kritios, Nésiotès Kresilas, Athènes 1839. 8. p. 14. Kunstblatt zum Morgenblatt 1840. n. 11. 12.), eam ille sic supplendam putat: *τοῦ δεῖνος Βουτ]άδου ἱε[ρέως Ποσειδῶνος] ‖ Λυ]σίστρατ[ος] Βατῆθεν ‖ .... ος Πολυεύκτου Ἐρ[χι]ε[ὺς] ‖ ἀ]νέθηκε. ‖ [Κηφισόδοτ]ος Τίμα[ρχ]ος ἐποίησαν.* Incertius est, atque incertius esse etiam Stephani censet (Mus. Rhen. 1845. p. 20.), quod eam basin Rossius unius vult illarum *εἰκόνων ξυλίνων* fuisse, de quibus hic sermo sit, easque hinc colligit non picturas in ligno factas, sed statuas fuisse ligneas. Et enim sive *Λυσίστρατ[ος* sive *Λυσιστράτ[ου* suppleatur, cum hoc et praecedente genitivo nomina eorum contineantur necesse sit, qui imaginibus basi illi impositis expressi et efficti erant; non poterat ea basis imaginum Lycurgi et filiorum eius esse. *Πολύευκτος Λυσιστράτου Βατῆθεν* legitur in inscriptione Attica, quam Curtius noster in Inscr. Attic. n. 1. edidit, is-

que Lysistratus per scripturae aetatem potest idem esse, qui in illa extat inscriptione.

πάντων δὲ ὧν διῴκησεν ἀναγραφὴν ποιησάμενος ἀνέθηκεν ἐν στήλῃ πρὸ τῆς ὑπ' αὐτοῦ παρασκευασθείσης παλαίστρας.] Rationes quas reddere debebant, postquam abissent magistratu, quicumque pecunias publicas sacrasve tractaverant, plerumque in lapidibus scriptae et publice expositae sunt; Lycurgi igitur id unum proprium erat, quod cum lapides illi maximam partem in arce poni soliti sint, raro Eleusine, columna, quae rationes a Lycurgo perscriptas continebat, ante palaestram ab ipso extructam collocata est.

ἔγραψε δὲ καὶ Νεοπτόλεμον Ἀντικλέους στεφανῶσαι καὶ εἰκόνα ἀναθεῖναι, ὅτι ἐπηγγείλατο χρυσώσειν τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν ἀγορᾷ κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ θεοῦ.] In duabus inscriptionibus navalibus *Νεοπτόλεμος Ἀντεκλέους Μελιτεὺς* pecunias traditur populo *εἰς τὰ σιτωνικὰ* largitus esse (*ἐπέδωκε*). Eum Boeckhius (Urkunden über das Seewesen des attischen Staats p. 245.) statuit non diversum esse neque ab eo Neoptolemo, qui cum aliis divitibus pro Midia iram Demosthenis deprecatus sit, neque ab eo qui in oratione de corona dicatur multis operibus publicis faciendis praefuisse, propter liberalitatem autem ea in curatione reipublicae impensam honoratus esse, neque denique ab eo cui Lycurgus coronam et statuam rogaverit. Non est autem credibile eos ei honores Lycurgum iam propterea decrevisse, quod aram Apollinis auro fore ut obduceret promisisset, sed quod promisso stetisset; debebat igitur dicere potius *ὅτι καθ' ὃ ἐπηγγείλατο ἐχρύσωσε.* Neque vero illud ita excusabis, quod in decreto quodam Pergameno (C. I. 3521.) Apollonio, quia *ἐπήγγελται ἀναθήσειν φιάλας δύο*, et in decreto Attici pagi alicuius (ap. Curt. Inscr. Attic. n. 2.) ei qui *τὰ λοιπὰ ἱερὰ ἐπαγγέλλεται ἐξοικοδομήσειν καὶ ἀνα-*

θήματα ἀναθήσειν ἐν τοῖς ἱεροῖς, honores decernuntur; nam in illis decretis promissorum ratio ad alias rationes accedit, non autem sola obtinet. In foro, id est sub divo fori, ἐν ὑπαίθρῳ τῆς ἀγορᾶς, ut iis utar verbis, quibus Pausanias subinde utitur (veluti 6, 24, 2. 5. 7, 20, 2. 9, 5, 7.), scimus aram fuisse XII deorum, olim a Pisistrato minore, Hippiae filio dedicatam, postea a populo deleta priore inscriptione melius adornatam et pro milliario aureo habitam, quod ab ea ara computabantur intervalla pagorum (Boeckh. C. I. T. I. p. 32. p. 483. Leak. Topogr. Athen. p. 163. ed. II.), aram Misericordiae (Paus. I, 17.), aram Matris Deorum (Aeschin. in Timarch. §. 84. §. 60.), aram Eudanemorum (Arrian. Anab. 3, 16, 8.), neque improbabile est ibidem Iovis Forensis (Διὸς ἀγοραίου) aram fuisse, id quod de aliquot urbibus Siciliae constat (Eustath. in Il. Α, 54. Intpp. in Aristoph. Eq. 498.). Apollinis autem aram in foro Attico collocatam, qui praeterea commemoret, habeo neminem. Id per se non iniecerit scrupulum, cum fora apud Graecos constet uti templis, uti Mercurii imaginibus (τοῖς κατ' ἀγορὰν Ἑρμαῖς sive τοῖς ἀγοραίοις Ἑρ. Ps.-Plutarch. Vit. Andoc. p. 228.), ita aris quoque deorum multis consecrata esse (Homer. Il. Α, 808.), eamque ob religionem et περιῤῥαντήρια in aditibus fororum collocata sint (Aeschin. c. Timarch. §. 21. c. Ctesiph. §. 176. ἔξω τῶν περιῤῥαντηρίων τῆς ἀγορᾶς ἐξείργει), et homicidis atque infamia notatis (ἀτίμοις) aditu fororum interdictum (Demosth. Leptin. §. 158. Maetzn. in Lycurg. p. 83.). Nihilominus arbitror hic ἐν ἀγορᾷ male post τοῦ Ἀπόλλωνος positum, post εἰκόνα ἀναθεῖναι transponendum esse, post τοῦ Ἀπόλλωνος autem vel τοῦ Πυθίου vel τοῦ Πατρῴου intercidisse; nam huius Pythii sive Patrii Apollinis aram significari arbitror, quam Pisistratus minor, maioris ex Hippia nepos,

in

in praetura dedicavit addita inscriptione: *Μνῆμα τόδ' ἐξ ἀρχῆς Πεισίστρατος Ἱππίου υἱὸς Θῆκεν Ἀπόλλωνος Πυθίου ἐν τεμένει* (Thuc. 6, 54. *Πεισίστρατος ὁ Ἱππίου τοῦ τυραννεύσαντος υἱὸς — ὃς τῶν δώδεκα θεῶν βωμὸν τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἄρχων ἀνέθηκε καὶ τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν Πυθίου*); Pythius enim Apollo Atheniensibus Patrius (*πατρῷος*) erat (Demosth. de Cor. 274. *τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον ὃς πατρῷός ἐστι τῇ πόλει.* Harpocr. *Ἀπόλλων πατρῷος ὁ Πύθιος*); eius autem templum *τὸ Πύθιον* in foro erat arcem versus (Thuc. 2, 15.). In eo igitur libro, cui iste imitator Plutarchi sua accepta referat, locum sic fere extitisse arbitror: *ἔγραψε δὲ καὶ Νεοπτόλεμον Ἀντικλέους* [*Μελιτέα*] *στεφανῶσαι καὶ εἰκόνα ἀναθεῖναι* [*αὐτοῦ χαλκῆν ἐν ἀγορᾷ*], *ὅτι καθ' ὃ ἐπηγγείλατο ἐχρύσωσε τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος* [*τοῦ Πυθίου*] *κατὰ τὴν μαντ.* — Denique etiam verba *κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ θεοῦ* minus concinne et sic posita sunt, ut Neoptolemum credas oraculi iussu promisisse quod promiserit, quae debebant sic collocari ut intellegeretur Athenienses oraculo iussos esse aram auro obducere. Pausan. 5, 21, 3. *ἀνατεθῆναι ἀγάλματα μαντείᾳ τοῦ θεοῦ.*

ἐψηφίσατο δὲ καὶ Διοτίμου Διοπείθους Εὐωνυμεῖ τιμάς.] Esse *Διοτίμῳ* rescribendum perspexit iam Coraes probaturque *Εὐωνυμεῖ* quod sequitur, quod cur Kiesslingus in *Εὐωνυμιεῖ* mutatum iverit nescio; certe hoc nihili est, illud in sat multis inscriptionibus reperitur. Alioquin genitivus retineri poterat, ut ap. Ps.-Plut. in vita Hyperidis p. 270. est *ἔγραψε καὶ Δημοσθένους τιμάς*, quamquam dativus in hac formula magis frequentatur, ut in eadem vita p. 272. est *ἐψηφίσατο τιμὰς Ἰόλᾳ*. Ceterum docuit Boeckhius (Urkunden über das Seewesen p. 237.) Diotimum Euonymensem olim quidem inter eos divites trierarchosque fuisse, qui essent pro Midia, cum ab Demosthene

accusaretur, deprecaturi, ab iisdem tamen partibus stetisse, a quibus Demosthenes, factumque inde esse ut Alexander rex eum quoque sibi tradi iuberet, eundemque alio tempore equitatui (*στρατηγὸν ἐπὶ τῶν ἱππέων*), alio classi praefuisse. Ante honores ab Lycurgo ei decretos corona aurea rogante Callia Phrearrhio ab populo donatus est, quod suis sumptibus scuta octingentis militibus parasset.

Tantum de vita. Videamus nunc Stratoclis decretum.

II.

In Stratoclis decretum.

P. 12.

Λυκόφρων Λυκούργου Βουτάδης ἀπεγράψατο αὐτῷ εἶναι σίτησιν ἐν πρυτανείῳ κατὰ τὴν δοθεῖσαν δωρεὰν ὑπὸ τοῦ δήμου Λυκούργῳ Βουτάδῃ.] Haec Turicenses recte maiore distinctione secernunt ab iis quae sequuntur; neque enim ipsius plebisciti verba sunt, sed enarrationem continent eorum, quae ex eo PSC. facta sunt. Eius modi appendices ubi additae reperiuntur, plerumque in calce additae sunt, veluti SCTo de Antiphonte in iudicium deducendo additur *τούτῳ ὑπογέγραπται τῷ δόγματι ἡ καταδίκη*; similiter in decreto Atticorum cleruchorum in Delo C. I. 2270., Astypalaeae ib. 2483., Teorum 3066. Quod hic praemissa est ipsi rogationi, id, quod equidem sciam, caret exemplo; cf. Schoemann. de Comit. p. 130. sq. Eius rei culpa utrum in eo, qui verba de tabulario transscripsit, an in hoc socorde scriptore resideat, qui de illius fonte suos hortulos irrigavit, in medio relinquo; id certum est ea culpa liberandum esse prytaniae scribam qui decretum scripserit. — Neque vero *ἀπο-*

γράψατο hic explicandum est „scripto petere", ut cum Schoemanno explicant Turicenses; quid enim opus erat petere, quod sibi iure debebatur; sed significat „profiteri, publice declarare"; cum enim decretum in perpetuum dederit victum in prytaneo ei qui esset ex Lycurgi posteris maximus natu futurus, Lycophro, qui primus doni eius particeps est factus, declaravit ad se, ut natu maximum, illud pertinere; simili declaratione usi fuerint, qui post eum eius doni compotes fieri volebant, sed decreto subscripta tantum est prima professio.

Ipsum decreti initium mancum est; neque sufficit ἐκτῆς vel ἐνάτης πρυτανείας, quod pro ἐν τῇ πρυτ. Schoemannus proposuit, immo interciderunt, nisi plura, certe haec: Ἐπὶ Ἀναξικράτους ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος [πρώτης vel δευτέρας — δωδεκάτης πρυτανείας, Ἑκατομβαιῶνος vel alius mensis ἐνάτῃ ἱσταμένου] ἐν[ά]τῃ [τῆς] πρυτανεία[ς. ἐκκλησία. τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος καὶ οἱ συμπρόεδροι.] Στρατοκλῆς Εὐθυδήμου Διομειεὺς εἶπεν. De Stratocle cf. quae post Ruhnkenium disseruit Grauertus (Analekt. p. 330.).

Ἐπειδὴ Λυκοῦργος Λυκόφρονος Βουτάδης παραλαβὼν παρὰ τῶν ἑαυτοῦ προγόνων οἰκείαν ἐκ παλαιοῦ τὴν πρὸς τὸν δῆμον εὔνοιαν, καὶ οἱ πρόγονοι οἱ Λυκούργου Διομήδης τε καὶ Λυκοῦργος καὶ ζῶντες ἐτιμῶντο ὑπὸ τοῦ δήμου καὶ τετελευτηκόσιν αὐτοῖς δι' ἀνδραγαθίαν ἔδωκεν ὁ δῆμος δημοσίας ταφὰς ἐν Κεραμεικῷ καὶ Λυκοῦργος αὐτὸς πολιτευόμενος νόμους τε πολλοὺς καὶ καλοὺς ἔθηκε τῇ πατρίδι κτλ.] Post εὔνοιαν ut infra ante δόξας δὲ ἅπαντα ταῦτα δικαίως διῳκηκέναι interrumpi orationis filum signis adiectis significarunt Turicenses; stili elegantiam nemo in psephismatis desideraverit, sed tam rudis confusique stili neque exemplum aliud mihi innotuit ex Atticis psephismatis, neque culpam credibile est Stra-

toclem, hominem non eloquentem quidem neque tamen indisertum, commeriturum fuisse; certe hic maluisset et post ἔννοιαν addere: ἀνθ' ὧν, et post ἐν Κεραμεικῷ omittere καὶ Λυκοῦργος αὐτὸς et πολιτευόμενος voci adiicere ἐπιφανῶς. — Quinque leges cum credibile non sit Stratoclem iam pro multis habuisse, necesse est praeter eas, quarum memoriam vitae scriptor servarit, aliae etiam ad Lycurgum auctorem relatae sint.

καὶ γενόμενος τῆς κοινῆς προσόδου ταμίας τῇ πόλει ἐπὶ τρεῖς πενταετηρίδας καὶ διανείμας ἐκ τῆς κοινῆς προσόδου μύρια καὶ ὀκτακισχίλια καὶ ἐνακόσια τάλαντα.] Iam supra probavimus τῆς κοινῆς προσόδου ταμίαν non iustum eius magistratus nomen sed periphrasin potius esse, legitimo enim nomine eum τὸν ἐπὶ τῆς διοικήσεως dici; offensioni est autem primum τῇ πόλει, quod si ab hoc loco abesset, non desideraretur, et fortasse inferius est ponendum: καὶ παρασκευάσας [τῇ πόλει] κόσμον τῇ θεῷ; dein perquam ingrata sunt verba ἐκ τῆς κοινῆς προσόδου eodem fere versu bis posita, quae etiam ipsa sine ullo sensus damno abesse possunt; διανείμας autem, in quo Coraes offendit, qui eius in loco διοικήσας coniecit, aut eodem significatu est, quo μερίσαι in psephismatis dicitur (cf. Boeckh. Oec. Civ. Ath. I. 185.), aut in διαχειρίσας mutandum est.

πολλὰ δὲ τῶν ἰδιωτῶν διὰ πίστεως λαβὼν καὶ προδανείσας καὶ εἰς τοὺς τῆς πόλεως καιροὺς καὶ τοῦ δήμου τὰ πάντα ἑξακόσια καὶ πεντήκοντα τάλαντα.] Hic primum tollenda videtur καὶ particula ante εἰς τοὺς, dein καὶ τοῦ δήμου aut etiam ipsum ut ex inferiore ὑπὸ τοῦ δήμου male ortum, abiiciendum, aut τῷ δήμῳ eius loco rescribendum est; nam inter τοὺς καιροὺς τοῦ δήμου et τοὺς τῆς πόλεως καιροὺς distinguere, argutias male argutuli sapit. Oratores enim ubi uti Lycurgus c. Leocr. §. 2.: ὃ καὶ τῷ δήμῳ καὶ τῇ πόλει συμφέρει

coniungunt, aut priore vocabulo „populare imperium“ significant, aut amplificandi studio indulgent (cf. Maetzner. in h. l.), quorum neutrum huc cadere videtur. — *Καιρούς* plerumque in malam partem accipiendos esse i. e. de periculosis temporibus, docet idem Maetzner. l. c. §. 36. p. 144. — Usus igitur Lycurgus est pecuniis, quas privati ipsius fidei commiserant, ad reipublicae necessitates, id est commodavit eas aerario.

ἔτι δὲ αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου χρήματα πολλὰ συνήγαγεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν.] Intercidit hic ad *αἱρεθεὶς* nomen magistratus nescio cuius [1]); dein scrupulum iniiciunt verba, *χρήματα — συνήγαγεν*; etenim si *χρήματα* sic intelliges, ut plerique, etiam Boeckhius (Oec. Civ. Ath. I, 470.) eumque secutus Pinzgerus, ceperunt de pecuniis in arce coacervatis, tria erunt, quae te morentur; primum enim, id quod iam ipse monuit Boeckhius, parum credibile est, temporibus illis gazam collectam esse reconditarum pecuniarum, quibus non uterentur nisi necessitate urgente; dein servandas pecunias in aerarium referre quaestoris eius fuisse videtur, qui *ἐπὶ τῆς διοικήσεως* dicitur, verbis autem *ἔτι δὲ αἱρεθεὶς* alia potestas quam illius quaestoris significatur, ad quem pertinent quae antecedunt; denique de pecuniis reservandi caussa in aerarium relatis non dixeris *συνήγαγεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν*, sed potius *ἀνήνεγκεν*. Quominus vero *χρήματα* cum Nisseno (p. 7. 53.) non ad pecunias sed ad eas res referas quae statim enumerentur, ad ornatum deae, victorias, vasa pomparum, reliqua, quae sane in arce asservari

1) In C. I. Gr. 2270. *καὶ πάλιν αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ λαχὼν τοῦ Διονύσου* tollenda est distinctio ante *καὶ*, ut coniungantur *αἱρεθεὶς καὶ λαχὼν τοῦ Διονύσου*, „electus inter eos, qui de sacerdotio Bacchi inter se sortirentur.“

solita sint, repugnat *χρήματα* vocis significatus, quae de pecuniis dicitur, de vasis, de ornatu non dicitur; denique in utraque explicatione offensioni sunt *εἰς τὴν ἀκρόπολιν* intra quattuor versus bis repetita. Quare arbitror non pauca hic et loco suo mota et male repetita esse, omnem autem locum integritati posse in hunc fere modum reddi: *καὶ γενόμενος τῆς κοινῆς προσόδου ταμίας ἐπὶ τρεῖς πανταετηρίδας χρήματα πολλὰ συνήγαγεν, καὶ διανείμας μύρια καὶ ὀκτακισχίλια καὶ ἐνακόσια τάλαντα, πολλὰ δὲ τῶν ἰδιωτῶν διὰ πίστεως λαβὼν καὶ προδανείσας εἰς τοὺς τῆς πόλεως καιροὺς τὰ πάντα ἑξακόσια καὶ πεντήκοντα τάλαντα, δόξας δὲ ἅπαντα ταῦτα δικαίως διῳκηκέναι, πολλάκις ἐστεφανώθη ὑπὸ τοῦ δήμου. ἔτι δὲ αἱρεθεὶς .... καὶ παρεσκεύασε τῇ πόλει κόσμον τῇ θεῷ Νίκας τε ὁλοχρύσους πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ* (ita enim iam Coraes Blumius Sauppius pro *ἀργυρία*) *καὶ κόσμον χρυσοῦν εἰς ἑκατὸν κανηφόρους. χειροτονηθεὶς δὲ ἐπὶ τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς* (in vita p. 3. est: *ἐπὶ τὴν τ. π. παρασκευήν*), *ὅπλα μὲν κτλ.* De re satis supra dictum est, ubi etiam docuimus distinctionem, quae post *ἐξειργάσατο* legatur, tollendam esse, et quem in modum accipienda sint *καὶ τὸ γυμνάσιον καὶ τὸ Λύκειον.*

p. 13.

Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως — φόβον.] Locus hic, quo Alexander Asia omni devicta cum reliquis Graecis imperiosius praecepisse, tum ab Atheniensibus ut Lycurgum sibi dederent postulasse dicitur, iam a Blumio est eo quidem nomine in suspicionem vocatus, quod Ol. CXI, 2. quo tempore Alexander oratores sibi dedi iuberet, ne inchoatum quidem esset Persicum bellum, „nisi forte“, addit Blumius, „bis Lycurgum ab Alexandro expostulatum mavis“. At vero Lycurgum ab Alexandro non modo Ol. CXI, 2. sed iterum etiam idque post totam Asiam devictam ex-

postulatum esse neque a scriptoribus antiquis narratur, quorum certe Diodorus et Plutarchus rem non praeteriissent, si eam traditam invenissent, neque suapte sponte probabile est; videntur enim Athenienses, ex quo per Demadem cum Alexandro in gratiam redierant, ea gratia certe ante Harpalicam caussam, id est donec superstes erat Lycurgus, non excidisse. Atqui tam turpiter errare non poterat Stratocles praesertim in re tam recentis memoriae. Accedit, quod maxime inopportuno loco interpositus est hic pannus, quo interiecto iustus rerum ordo interrumpitur, qui ferendus fortassis videretur, si extaret demum post *διετέλεσεν ἀνεξέλεγκτος καὶ ἀδωροδόκητος τὸν ἅπαντα χρόνον* et cum his sic fere esset coniunctus: *ἀνθ' ὧν* (sive *ὅθεν*) *καὶ ὁ δῆμος Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως ἐξαιτήσαντος Λυκοῦργον ὡς ἐναντία πράττοντα αὑτῷ οὐκ ἐξέδωκε παρ' Ἀλεξάνδρου φόβον.* Ut nunc vero res se habet, non dubito quin a supino vel scriptore, si scriptor dici potest eiusmodi farraginis auctor, vel a librario scriba male diligente male assutus sit.

καὶ δικδοὺς (Coraes de coni.: *δοὺς*) *εὐθύνας πολλάκις τῶν πεπολιτευμένων ἐν ἐλευθέρᾳ καὶ δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει, διετέλεσεν* (errore typothetae ap. Kiessl. est: *διετέλησεν*) *ἀνεξέλεγκτος καὶ ἀδωροδόκητος τὸν ἅπαντα χρόνον.*] Adiecit *ἐν ἐλευθ. καὶ δημοκρ. τῇ πόλει*, quia rogatio brevi post sublatam optimatium potentiam restitutumque populare imperium facta est et homini populari videbatur ut non magnum apud optimatium iudices, ita aliquid esse apud legitimos iudices sub populari imperio constitutos in rationibus reddendis probari. Saepius autem reddidit rationes, non quo eiusdem muneris plus semel subierit rationes, sed quod tum complurium munerum vel curationum reddere debuit rationes, tum etiam in aliis opportunitatibus adversus multorum accusationes defendere res suas coa-

ctus est, ut est in vita: μηδένα ἀγῶνα ἄλους καίτοι πολλῶν κατηγορησάντων. — In omisso ad διετέλεσεν participio ὤν non moror, cum eius rei exempla apud optimos scriptores reperiantur (Matth. Gr. Gr. §. 553.), sed offendor in sententia; illis enim καὶ διδοὺς εὐθύνας πολλάκις non respondet διετέλεσε ἀδωροδόκητος τ. ἅ. χρ., responderet: διετέλεσεν ἀποφυγών· οὕτως ἦν ἀνεξ. καὶ ἀδωρ.

ὅπως ἂν εἰδῶσι πάντες, διότι τοὺς προαιρουμένους ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας καὶ τῆς ἐλευθερίας δικαίως πολιτεύεσθαι καὶ ζῶντας μὲν περὶ πλείστου ποιεῖται, καὶ τελευτήσασι δὲ ἀποδίδωσι χάριτας ἀειμνήστους.] In decretis, etiam Atticis, ὅπως ἄν cum coniunctivo de consilio dicitur [1]), nam ab scriptoribus idem fieri ex grammaticorum libris volgaribus satis constat [2]); διότι autem eodem significatu quo ὅτι est etiam apud oratores Atticos [3]). Desidero autem tum οὖν post ὅπως ἄν, tum ὁ δῆμος post διότι vel post ποιεῖται ponendum; contra in iis quae sequuntur: ἀγαθῇ τύχῃ, δεδόχθαι τῷ δήμῳ, ἐπαινέσαι μὲν Λυκοῦργον Λυκόφρονος Βουτάδην ἀρετῆς ἕνεκα καὶ δικαιοσύνης, καὶ στῆσαι αὐτοῦ τὸν δῆμον χαλκῆν εἰκόνα ἐν ἀγορᾷ πλὴν εἶπου ὁ νόμος ἀπαγορεύει μὴ ἱστάναι, malim abesse τὸν δῆμον.

Statuae ab Atheniensibus publice olim raro et mortuorum tantum, primae, ni fallor, Harmodii et Aristogitonis ponebantur [4]); nam Solonis statua diu post

---

1) Vide, si tanti est, C. I. n. 100. 101. Inscr. Nav. XIV. p. 461. sq.

2) Matthiae Gr. Gr. p. 1002. Hartung. de Partic. II. p. 289.

3) Cf. Schaefer. in Demosth. p. 279, 11. Schoemann. in Isaeum p. 254. Maetzner. in Dinarch. p. 91.

4) Plin. N. H. XXXIV, 9: Athenienses nescio an primis omnium Harmodio et Aristogitoni tyrannicidis publice posuerint statuas.

eius fata est collocata [1]); post tyrannoctonos vero primae non Miltiadi aut Themistocli (Demosth. c. Aristocr. §. 198.), sed Cononi (Dem. Lept. §. 70. p. 478.), dein Chabriae Iphicrati Timotheo sunt positae. Lycurgi autem temporibus quam vilis etiam is honor sit factus (Boeckh. Oec. Civ. Ath. I, 265.) et in viventes translatus, vel inde apparet, quod Epicrati propter legem de ephebis rogatam statua collocata est [2]). Demadi autem, perditissimo homini, ut statua poneretur rogatio facta perlataque est, quae quidem rogatio παρανόμων est a Polyeucto accusata (Rhett. Gr. IX. 544. Walz.). Statuae vero, quas quidem populus bene de civitate meritis civibus vel peregrinis poni iussisset, pleraeque omnes in foro [3]) collocabantur. Itaque decretum, quod Hyrcano pontifici et ethnarcho Iudaeorum ab Atheniensibus est datum [4]), cum alia mirabilia habet, tum hoc continet singu-

---

1) Demosth. F. L. p. 420. c. Aristog. p. 807. Schol. Aeschin. in Tim. §. 25.

2) Lycurg. περὶ διοικήσ. p. 86. Kiessl. χαλκοῦς ἐστάθη διὰ τὸν νόμον τὸν περὶ τῶν ἐφήβων.

3) Lycurg. c. Leocr. §. 51. εὑρήσετε δὲ παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἀθλητὰς ἀνακειμένους, παρ' ὑμῖν δὲ στρατηγοὺς ἀγαθοὺς καὶ τοὺς τὸν τύραννον ἀποκτείναντας. Demosth. F. L. §. 330. ἔστιν ὅντιν' ὑμεῖς τῶν πρέσβεων ὧν ἔπεμψε Φίλιππος, χαλκοῦν στήσαιτ' ἂν ἐν ἀγορᾷ; Aeschin. c. Ctesiph. p. 575. §. 186. ἁπάντων γὰρ ὑμῖν τῶν καλῶν ἔργων τὰ ὑπομνήματα ἐν ἀγορᾷ ἀνάκειται. Sic in decreto, quod Audoleonti regi est datum, editum a me in A. L. Z. 1834. I. Bl. Mai. n. 31. iubetur στῆσαι δὲ αὐτοῦ καὶ εἰκόνα χαλκῆν ἐφ' ἵππου ἐν ἀγορᾷ, Spartoci vero regis maioribus tum in foro tum in emporio statuae erant ab Atheniensibus collocatae, ipsi autem Spartoco in eo decreto, quod C. I. Gr. 107. et A. L. Z. 1836. I. Bl. n. 43. editum est, statua in foro non procul ab statuis maiorum eius poni iubetur.

4) Cf. Ioseph. A. I. 14, 8.

lare, quod iubet *καὶ στῆσαι αὐτοῦ εἰκόνα χαλκῆν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Δήμου καὶ Χαρίτων*, cuius quidem templi memoria, quod sciam, alibi nusquam extat. Ceterum id quod diximus valet tantum in statuas a populo positas; nam a tribubus et pagis, a collegiis et corporibus, denique a privatis positae statuae non in foro sed alibi collocabantur; sic in aede Iovis Servatoris erat aenea statua, quam pater Leocratis sibi, ut videtur, ipse collocavit, in arce autem Hipparchi erat statua, quae illo proditionis condemnato sublata illinc et conflata est [1]). — Novissimis *πλὴν εἶπον ὁ νόμος ἀπαγορεύει μὴ ἱστάναι* potestas facta est iis, quibus mandatum erat, ut statuam faciendam curarent, eam quocumque fori loco libuisset collocandi, exceptis iis locis quibus per legem non liceret, unde discimus, quod non constat aliunde, in quibusdam fori locis interdictum fuisse ne statuae ponerentur, id quod haud scio an ad deorum religiones pertinuerit; quamquam Cononis et Euagorae statuae prope Iovis Servatoris simulacrum positae erant [2]), assignari autem locus statuis publice collocandis a magistratibus solebat; cf. ut his utar, C. I. Gr. 3657. 3067.

δοῦναι δὲ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ τῶν ἐκγόνων ἀεὶ τῶν Λυκούργου τῷ πρεσβυτάτῳ εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον.] Non videtur suo loco positum esse *ἀεὶ* et rescribendum potius: *τῶν ἐκγόνων τῶν Λυκούργου ἀεὶ τῷ πρεσβυτάτῳ*, similiter in duobus aliis decretis, quae habet ementitus Plutarchus, p. 275. *αὐτῷ καὶ ἐκγόνων ἀεὶ τῷ πρε-*

1) Cf. Lyc. c. Leocr. §. 136. §. 117. sq. et quae supra scripsi p. III. Nondum vero vidi Koehleri commentationem, cui inscriptum est „Geschichte der Ehre der Bildsäule".

2) Isocrat. 9. §. 57. *καὶ τὰς εἰκόνας αὐτῶν ἐστήσαμεν οὗπερ τὸ τοῦ Διὸς ἄγαλμα τοῦ Σωτῆρος πλησίον ἐκείνου τε καὶ σφῶν αὐτῶν.*

σβυτάτῳ, p. 276. καὶ τῶν ἐκγόνων ἀεὶ τῷ πρ. C. I. 2347, c, 53. οἱ δὲ πρυτάνεις ἀεὶ οἱ ἐν ἀρχῇ ὄντες. 2448, II, 29. τὰν δὲ ἱερατείαν — ἐχέτω — ἀεὶ ὁ πρεσβύτατος ἐκ τοῦ γένους. 3046. πρὸς συνέδρους ἀεὶ τοὺς ἐνάρχους. Lycurg. c. Leocr. §. 138. μισθοῦ δὲ συναπολογουμένοις ἀεὶ τοῖς κρινομένοις i. e. τοῖς ἀεὶ κρ. cf. intprr. in h. l. Maetzner. p. 309. Atque ea ἀεὶ adverbii positio ut vel articulo praeponatur vel substantivo postponatur, ubi vernaculi sermonis ratio postulat, ut articulo et substantivo interponatur, fere sollemnis est, a qua ne poetae quidem et rerum scriptores abstinent[1]). — Victus igitur in prytaneo ita Lycurgi posteris dabatur, ut non decessori succederet filius eius natu maximus, sed is, qui ex superstitibus posteris esset aetate maxime provectus, id est, ut nostratium vocabulis utar, erat is non maioratus sed senioratus. Verba autem εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, quibus hoc loco facile careas carentque decreta Demostheni et Demochari data, haud scio sintne in versum proximum releganda: ἀναθεῖναι δ' αὐτοῦ — καὶ εἶναι κύρια [εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον] πάντα τὰ ψηφίσματα.

De victu in prytaneo publice praebito cum nemo de industria egerit[2]), neque plane satisfaciant quae ante hos XVI annos adolescentulus scripsit Aht. Westermannus[3]), operae pretium fuerit hac oblata opportunitate dici paullo accuratius, neque vero animus est omnia cum pulvisculo exhaurire, sed sat multas spicas relicturus sum aliis legendas. Abstinebo autem earum rerum memoria, quae minus huc pertinent, veluti stipis ἀδυνάτοις datae, stipendii liberis

1) Aeschyl. Prom. 939. τὸν κρατοῦντ' ἀεί. Herodot. VI, 58. τὸν ὕστατον ἀεί. Cf. Monk. in Eurip. Alc. 716.
2) Quaedam habet Petitus Legg. Attic. III, 6. p. 288. sq.
3) De publ. Ath. honorib. p. 46.

eorum qui pro patria occubuerant concessi, sacri ministerii Epulonum, quae minus apte immiscuit Westermannus.

Prytanum C. O. Muellerus [1]) recte duo distinxit genera, unum antiquiorum [2]), qui magistratum quidem non perpetuum sed annuum, potestatem autem, ut in imperio optimatium, insignem et fere regiam haberent, numero autem essent pauci, plerumque bini ut apud Rhodios, nonnumquam singuli ut apud Corinthios et Pergamenos atque Milesios [3]), raro quini ut apud Corcyraeos [4]) Corinthiorum colonos; alterum recentiorum, qui popularis essent imperii, numero semper satis magno. Priorem rationem sequuntur prytanes ii, qui eponymi erant, i. e. a quibus annus dicebatur, veluti apud Corcyraeos (C. I. 1845.), Eresios, Ephesios (ib. 2955.), Gambreos (ib. 3562.), eodemque loco habendi sunt prytanes Lesbiorum [5]), Pergamenorum, apud quos prytanes non solum eponymi sed etiam hereditarii fuisse videntur [6]). Probabile est igitur prytanum nomen a *πρό* vel *πρῶτος* derivatum [7])

---

1) In Pind. N. XI. Explicat. p. 476. ed. Boeckh. et Doriens. II. p. 134. sqq.

2) Ad hos refero Aristot. Polit. VI, 5, 11. *καλοῦσι δ' οἱ μὲν ἄρχοντας τούτους, οἱ δὲ βασιλεῖς, οἱ δὲ πρυτάνεις.*

3) Aristot. Polit. V, 4, 5.

4) Boeckh. in C. I. 1847.

5) C. I. 2166, 31. ubi forma extat *πρότανις*, cf. Boeckh. in h. l.

6) C. I. 2189. laudatur A. Cl. Perennianus, qui et apud Mytilenaeos prytanis fuerit et *πεπληρωκὼς καὶ τὰς ἐν τῇ πρώ τῃ πατρίδι καὶ νεωκόρῳ Περγαμηνῶν τῶν συγγενέων πόλει τὸν ἐπώνυμον ἀπὸ βασιλέων πρυτανηίαν ἐκ γένους διαδεξάμενος τοῖς τῆς ἀξίας βαρυτίμοις ἀνελόγησε.*

7) Vanum est veriloquium, quod Perizonius in Aelian. V. H. 9, 39. proposuit, qui recurrendum ad Orientem ratus est, ubi proceres sive principes gentis „partemim“ sint dicti.

et Aeolica origine esse, praesertim cum etiam in ὄνομα et ὄνυμα in ἀπό et ἀπύ utriusque vocalis affinitas cernatur; suapte autem sponte „primores, principes" significare, unde factum est, ut a poetis dii regesque nonnumquam eo nomine dicantur. — Alterius generis prytanes erant tum Atheniensium, ex quo Clisthenes Atticam rempublicam ordinavit, tum Cyzicenorum [1]), apud quos Romanis dominantibus vel mulier ea erat dignitate, ut alias civitates taceam. Tantum de prytanibus; transeo ad πρυτανεῖα. Horum nomen aut omnino cum prytanum magistratu non cohaeret, atque inditum quibusdam aedibus propterea est, quod principem quendam locum civitatis obtineant aedemque contineant principis civitatium deae, Vestae; aut si cohaeret, dictum est certe non ab his recentioribus sed ab illis antiquioribus prytanibus. Namque magnam antiquitatem prytaneorum vel unus quidam Dionysii [2]) locus satis docet, analogia autem utrumque tuetur veriloquium; aut enim πρυτανεῖον temenicorum Ὀλυμπιεῖον Μουσεῖον Ἡράκλειον Ἀνάκειον all. rationem sequitur, aut non aliter locum significat, quo prytanes convenire soliti sint, atque κουρεῖον et λογεῖον ab κουρεῖ et λογεῖ dicta sunt. Prytaneo autem nulla fere urbs Graeca carebat, ne ea quidem, quae prytanum magistratu numquam usa est, nisi quod non ubique eo nomine dicebatur; apud Achaeos enim λήϊτον, id est „publicum", ei nomen fuisse Herodotus [3]) docet. Hinc

1) Cf. Marquardt. Cyzic. p. 53. sq. p. 92.

2) Dionys. H. A. R. 2, 65. extr. τὰ παρ' Ἕλλησιν ἔθη μιμησάμενος, ἃ παρὰ ταῖς ἀρχαιοτάταις τῶν πόλεων ἔτι γίγνεται. τά γέ τοι καλούμενα πρυτανεῖα παρ' αὐτοῖς ἐστιν ἱερὰ καὶ θεραπεύεται πρὸς τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον ἐν ταῖς πόλεσι κράτος.

3) Herod. 7, 197. λήϊτον δὲ καλέουσι τὸ πρυτανήϊον οἱ Ἀχαιοί.

Plato (Legg. V. p. 745.) in civitatibus condendis aedem primum dicit Vestae extrui solitam esse, atque Philo (de mundi opificio p. 000.) quo loco partes novae urbis a perito architecto delineandas enumerat, statim commemorat prytanea. Erant autem prytanea singula singulis civitatibus; Callimachus igitur quod (h. in Cerer. v. 127.) τὰ τῆς πόλεως πρυτανήϊα scripsit, plurali usus est ornatus caussa. Omnibus vero prytaneis sive „penetralibus urbium", quo nomine a Livio (41, 20.) dicuntur, id erat commune, ut sacra essent Vestae publicae (κοινῆς Ἑστίας) phratriarum [1]) vel civitatis, quae quidem Vesta Ἑστία πρυτανεία [2]) s. πρυτανῆτις [3]) dicebatur, ab Βουλαίᾳ [4]) Ἑστίᾳ nunc diversa nunc non diversa, ut focum haberent [5]) in eoque ἄσβεστον πῦρ sive ignem semper ardentem [6]), qui

1) Dionys. H. A. R. 2, 23. ἐν δὲ τοῖς Ἑλληνικοῖς πρυτανείοις ἑστία κοινὴ τῶν φρατριῶν. Pindarus N. XI, 1—3. παῖ Ῥέας ἅτε πρυτανεῖα λέλογχας Ἑστία — εὖ μὲν Ἀριστα γόραν δέξαι τεὸν ἐς θάλαμον. Schol. in h. l. αἱ τῶν πόλεων ἑστίαι ἐν τοῖς πρυτανείοις ἀφίδρυνται καὶ τὸ ἱερὸν λεγόμενον πῦρ ἐπὶ τούτων ἀπόκειται.

2) C. I. Gr. 2347, k. T. II. p. 1060. A., 11.

3) Athen. 4. 150. d.

4) Andocid. de Myst. p. 22, 10. §. 44. de Redit. 82, 16. §. 15. Xenoph. H. Gr. 2, 3, 52. Diodor. 14, 4. Harpocr. v. Βουλαία. Ps.-Plutarch. Vit. Isocr. p. 236. Hutt. C. I. Gr. 2349, b. T. II. p. 1063., qui titulus, si recte restitutum est ξενισμὸν εἰς τὸ [πρυταν]εῖον ἐπὶ τὰν βουλαίαν ἑστίαν, probat hanc quoque cum πρυτανείῳ certe illa in urbe cohaesisse. Cf. Ast. in Platon. Legg. IX, 2.

5) Cic. de Legg. II, 12.

6) Paus. 5, 15, 9. de Eleorum prytaneo disserens, ἐν δὲ αὐτῷ τῷ πρυτανείῳ, inquit, ἡ ἑστία. ἔστι δὲ ἡ ἑστία τέφρας καὶ αὕτη πεποιημένη καὶ ἐπ' αὐτῆς πῦρ ἀνὰ πᾶσάν τε ἡμέραν καὶ ἐν πάσῃ νυκτὶ ὡσαύτως καίεται. Pollux I, 7. οὕτω δὲ (sc. ἑστίαν) ἂν κυριώτατα καλοίης τὴν ἐν πρυτανείῳ, ἀφ' ἧς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον ἀνάπτεται. Schol. Thuc. 2, 15. πρυτανεῖον πυρὸς ἦν ταμιεῖον ἔνθα καὶ ἦν τὸ ἄσβεστον πῦρ. Hinc

quidem ignis quandam quasi vitam civitatis referret, unde factum est, ut grammatici quidam male arguti [1]) ineptam originem πρυτανεῖον vocis fingerent, quasi vero fuerit πυροταμεῖον. Hinc in coloniis deducendis, quippe quae vitam quasi propagarent metropoleon, illud observatum est, ut eum ignem coloni secum ferrent et in suae civitatis prytaneo reponerent [2]).

Apud Athenienses ex quo Clisthenes tribubus decem factis senatum quingentorum instituit, prytanum nomine fere semper senatores quinquageni significabantur, qui cum eiusdem essent tribus, per decimam anni partem senatum et concionem moderabantur; rarius post illa tempora principatus diurnus eorum magistratuum, qui quidem collegium constituebant, πρυτανεία, qui autem eo principatu erat, πρύτανις dicebatur [3]). Senatus Quadringentorum, quem Solo instituerat, num eodem modo fuerit adornatus atque senatus Clisthenis, ignoratur. Prytaneum igitur qui grammatici [4]) inde appellatum volunt, quod prytanes eo convenerint, sine dubio de prytanibus ab Clisthene factis cogitarunt. Id autem eos iniuria statuisse inde satis efficitur, quod Athenarum prytaneum non modo Solone longe est antiquius, quippe quod tum in lege Solonis de in integrum restitutione

---

τὸ δὲ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ ap. Theocr. 21, 36. proverbii loco est de iis quae numquam deficiunt.

1) Schol. Pindar. Nem. XI, 1. Schol. Thuc. 2, 15. Suid. s. v.

2) Etym. M. 694, 28. 693, 49.

3) Ad Antiphontem oratio referebatur, cui κατὰ Πρυτανέως inscriptum erat, Teleclidis comoedia erat Πρυτάνεις. Utraque si tulisset aetatem, de prytanibus Atticis sciremus sine dubio multa, quae nunc ignoramus.

4) Sic Schol. Thuc. l. c. ἐκαλεῖτο δὲ οὕτως ἐπειδὴ ἐκεῖ ἐκάθηντο οἱ πρυτάνεις.

infamia notatorum commemoretur [1]), tum iudicio cuidam, quo de caede iudicabatur in ipsius vicinia posito nomen fecerit τὸ ἐπὶ πρυτανείῳ [2]) δικαστήριον, omnia autem caedis iudicia apud Athenienses extremae vetustatis et ipso Dracone antiquiora erant, verum etiam ipsa Thesei urbe non erat recentius. Theseus enim cum Attica esset ante ipsum oppidatim habitata atque sua quodque oppidum prytanea suosque magistratus habuisset, ceterorum curias et magistratus sustulisse et unam communem curiam unumque prytaneum fecisse dicitur [3]). Prytaneum igitur Athenarum si a prytanibus dictum est, certe ab Clistheneis prytanibus non est dictum. Neque vero magis ab prytanibus naucrariarum, penes quos et Solonis aetate et aliquamdiu tum ante Solonem tum post eum summa erat reipublicae; naucrarias enim, etsi non constat quando institutae sint, probabile est tamen Theseo aliquantum recentiores esse. Hoc regnante fuerintne omnino prytanes convenerintque in prytaneum, ignoramus. Sed antiquitus in prytaneo tum privata tum maiestatis publica iudicia habita esse videntur; illud πρυτανείων nomen suadet, quo sacramentum apud Athenienses perpetuo dicebatur (Boeckh. Oec. Civ. Ath. I. 188.), hoc ex lege Solonis efficitur, quam modo commemoravimus; namque in hac videntur coniungenda esse ὅσοι — ἐκ πρυτανείου — ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, eaque referenda [4]) ad turbas Cylonias; Cylonis enim

1) Ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου δικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον.

2) Demosth. c. Aristocr. 745, 14. Poll. 8, 20. Minus accurate Paus. I, 28, 10. τὸ ἐν πρυτανείῳ δικαστήριον.

3) Thuc. 2, 15. ἓν βουλευτήριον ἀποδείξας καὶ πρυτανεῖον ξυνῴκισε πάντας. Plutarch. Thes. 24.

4) Significavit id iam Schoemann. Antiquitt. I. P. Graec. p. 172.

enim asseclas, ut Herodotus auctor est (5, 71.), *ἀνιστέασι μὲν οἱ πρυτάνις τῶν ναυκράρων.*

Erat autem Athenarum prytaneum in foro [1]), in vicinia Pandrosii [2]) et statuae Bonae Fortunae [3]); pone illud [4]) Campus Famis (*Λιμοῦ πεδίον*), neque longe abfuisse videtur ab curia sive senaculo (*βουλευτηρίῳ*) Quingentorum [5]). Habebat illud statuas Vestae et Pacis [6]), scriptae ibi erant leges Solonis, ab Ephialta, ut videtur, eo delatae [7]), fortasse alia quoque acta publica ibi scripta et exposita erant [8]). In prytaneo collocabantur, quaecumque publice nuptui da-

---

1) Pollux 8, 128. *εἰς τὸ πρυτανεῖον καὶ τὴν ἀγορὰν μετεκομίσθησαν.* 2) Paus. I, 18. 3) Aelian. V. H. 9, 39.

4) Zenob. 4, 93. *οἱ δ' Ἀθηναῖοι ἀνῆκαν αὐτῷ* (sc. *τῷ Λιμῷ*) *τὸ ὄπισθεν τοῦ πρυτανείου πεδίον.* C. O. Muell. Attica p. 237.

5) Id propterea probabile dico, quod statuas eponymorum grammaticus quidam prope ab prytaneo abfuisse scribit (Schol. Aristoph. Pac. 1149. *τόπος Ἀθήνησι παρὰ πρυτανεῖον, ἐν ᾧ ἑστήκασιν ἀνδριάντες οὓς ἐπωνύμους καλοῦσιν*), Pausanias autem (I, 5.) in vicinia curiae supra tholum fuisse testatur. 6) Paus. I, 18.

7) Paus. l. c. *πρυτανεῖόν ἐστιν ἐν ᾧ νόμοι οἱ Σόλωνός εἰσι γεγραμμένοι.* Plutarch. Sol. 25. *ὧν* (sc. *ἀξόνων*) *ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο.* Poll. 8, 128. *οὔτε κύρβεις καὶ οἱ ἄξονες ἐν ἀκροπόλει πάλαι, αὖθις δ' ἵνα πᾶσιν ἐξῇν ἐντυγχάνειν εἰς τὸ πρυτανεῖον καὶ τὴν ἀγορὰν μετεκομίσθησαν.* Cum illis pugnare videtur Harpocr. v. *Ὁ κάτωθεν νόμος: τοὺς ἄξονας καὶ τοὺς κύρβεις ἄνωθεν ἐκ τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ τὴν ἀγορὰν μετέστησεν Ἐφιάλτης, ὥς φησιν Ἀναξιμένης ἐν Φιλιππικοῖς.* Licet ea vero sic componere et conciliare, ut aut leges alias in curiam alias in prytaneum, aut omnes ab Ephialta quidem in curiam, postea vero in prytaneum delatas esse dicas, aut quod prytaneum ab curia non longe abfuerit, perinde dici statuas in prytaneum atque in curiam deferri.

8) Titulum in C. I. Gr. n. 113. Boeckhius ita supplevit: [*ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα*] *τὸν γραμματέα τὸν κατὰ* [*πρυ-*

bantur dote de publico adiecta, id quod certe de filiabus Aristidis constat [1]). Atque haec quidem de prytaneo. Transeo ad victum in prytaneo praebitum.

Is autem victus adeo erat cum caussa consilioque prytanei quasi conglutinatus, ut ab quibusdam grammaticis [2]) prytaneum explicetur aedicula in qua apud Athenienses victus bene meritis praebeatur. Origo eius instituti ab heroica aetate repetenda videtur; nam illis temporibus viri plerique omnes, imprimis reges et principes, communia convivia exclusis feminis celebrare soliti sunt. Id cum Dorienses et Arcades diu et constanter servarent, unde Cretensium *ἀνδρεῖα* fuerunt et Spartanorum *φιδίτια*, Asiatici autem Iones tamquam tyrannidi periculosum non secus quam gymnasia et fortem generosumque puerorum amorem fugerent, reliqui Graeci id certe eius retinebant ut magistratus una epularentur. Apud Athenienses statis quidem temporibus epulae nunc tributim nunc omni plebi promiscue praebebantur [3]), quarum illis, quae *φυλετικὰ δεῖπνα* dicebantur, sumptus dabant decem *ἑστιάτορες*, singuli de singulis tribubus electi; harum nomen erat *δημοσία ἑστίασις*, impensas autem aerarium publicum *θεωρι-*

τανείαν καὶ στῆσαι] *ἐν πρυτανείῳ*. Supplementum incertum est, sed si verum est, id docet quod supra diximus.

1) Plutarch. Aristid. 27.

2) Schol. Aristoph. Eq. 167. *πρυτανεῖον οἰκίσκος* (Suid. addit *δημόσιος*) *παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ἔνθα σιτοῦνται* (Suid. *ἐσιτοῦντο*) *δημοσίᾳ οἱ τῆς τοιαύτης τιμῆς παρ' αὐτοῖς τυχόντες. περισπούδαστον δὲ ἦν τῆς τοιαύτης δωρεᾶς τυχεῖν. ἐπὶ γὰρ μεγάλοις κατορθώμασι τὴν τοιαύτην ἀπεδίδουν χάριν.* ibid. 281. *πρυτανεῖον τόπος Ἀθήνησιν οὗ τὰς δημοσίας σιτήσεις ἐποιοῦντο. τιμὴ δὲ οὐκ ἐλαχίστη τοῖς δημοσίᾳ σιτουμένοις ἦν.* Schol. Thuc. 2, 15. *πρυτανεῖόν ἐστιν οἶκος μέγας, ἔνθα αἱ σιτήσεις ἐδίδοντο τοῖς πολιτευομένοις.*

3) Boeckh. Oec. Civ. Ath. I. p. 226. 498. sq.

χῶν faciebat. Apud eosdem sodalicia collegiaque quae multa multorum erant, semel duntaxat singulis mensibus una epulabantur. Magistratus autem, qui quidem conventum sive collegium faciebant, publicis sumptibus quotidie una coenare solebant [1]). Valet illud in novem archontas, in sex thesmothetas, in decem imperatores, in quinquaginta prytanes, quorum archontes in stoa quadam [2]), thesmothetae in thesmothesio [3]), prytanes cum aisitis suis et scribis in tholo [4]) coenabant, quae in vicinia curiae erat. Quod igitur scribae [5]) quoque quidam in tholo victum accipiebant,

1) Demosth. F. L. p. 400, 25. καὶ ἡ βουλὴ δὲ — συνεστιάθη — οἱ στρατηγοί, σχεδὸν ὡς εἰπεῖν αἱ ἀρχαὶ πᾶσαι.

2) Hyperid. c. Patrocl. ap. Poll. 4, 122. et ap. Cosmam Indicopleust. excerpt. ab Villois. in Sturz. Empedocl. p. XLIX. οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἰστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ περιφραξάμενοί τι μέρος αὐτῆς αὐλαίᾳ.

3) Schol. Plat. p. 313. Bekk. ἀφ' ὧν καὶ ὁ τόπος ὅπου συνῆεσαν καὶ ἐσιτοῦντο, θεμίστιον (immo „θεσμοθέσιον" c. Bekk.) ἐκαλεῖτο. Hinc tum Plutarchus Symp. 7, 9. Attica πρυτανεῖον et θεσμοθέσιον coniungit eaque componit cum ἀνδρείοις Cretensium et φιδιτίοις Spartanorum, tum similiter ap. Schol. Plat. p. 202, 12. Suid. II, 2. p. 518, 10. copulantur πρυτανεῖον θεσμοθέσιον θόλος ut publicae coenae loca, atque Hesychio v. Πρυτανεῖον probabile est pro τρία Ἀθήνησι συσσίτια πρυτανεῖα θεσμοφορεῖον πρυτανεῖον reddendum esse: πρυτανεῖον, θεσμοθέσιον, θόλος. Cf. Preller „Demeter u. Persephone" p. 341.

4) Demosth. F. L. 400, 20. πάντες οἱ πρυτάνεις θύουσιν ἑκάστοτε κοινῇ καὶ συνδειπνοῦσιν ἀλλήλοις καὶ συσπένδουσι. Paus. 1, 5, 1. τοῦ βουλευτηρίου τῶν πεντακοσίων πλησίον θόλος ἐστὶ καλουμένη καὶ θύουσί τε ἐνταῦθα οἱ πρυτάνεις. Harpocr. v. Θόλος. ὁ δὲ τόπος, ὅπου ἐστιῶνται οἱ πρυτάνεις, καλεῖται θόλος. Pollux 8, 155. ἡ θόλος ἐν ᾗ συνεδείπνουν ἑκάστης ἡμέρας πεντήκοντα τῆς τῶν πεντακοσίων βουλῆς ἡ πρυτανεύουσα φυλή.

5) Dem. F. L. p. 419, 25. τὸ τελευταῖον ὑφ' ὑμῶν γραμματεῖς χειροτονηθέντες δύο ἔτη διετράφησαν ἐν τῇ θόλῳ.

Aeschines qui ipse scriba aliquamdiu erat, ab Demosthene [1]) opprobrii caussa „adorasse hucusque tholum“ dicitur. Victus autem in tholo dabatur, ni fallor, scribis tantum sive ὑπογραμματεῦσιν iis, qui senatui et prytanibus apparebant, non autem aliorum magistratuum apparitoribus. Ab hac igitur prytanum in tholo convivantium communi coena plerique omnes hucusque adeo non distinguendam esse arbitrati sunt δημοσίαν σίτησιν bene meritis in prytaneo praebitam, ut quibus is victus datus esset, his una cum prytanibus et prytanum aisitis coenandi potestatem factam esse crederent. Istam vero sententiam plane falsam esse primum loci differentia docet, cum prytanes in tholo, bene de republica meriti in prytaneo coenarint, prytaneum autem in vicinia tholi neque vero idem atque tholus fuerit. Dein idem probatur temporis ratione, namque etsi victus praemii caussa in prytaneo praebiti ipsum auctorem et tempus, quo is vixerit, ignoramus, probari tamen potest Solone illud institutum aliquanto antiquius esse. Praetereo ut fabulosum quod Celeum eius victus auctorem ferebant [2]); praetereo quod Cleomanti Delpho ab Atheniensibus, quia oraculum ad se detulisset quod ad Codrum regem pertineret, perpetuum victum in prytaneo ita praemii caussa praebitum esse ut etiam ad posteros transiret, Lycurgus (c. Leocr. §. 87.) memoriae mandavit; fabulosa enim ea quoque memoria est eique eo minus fides habenda, quod perpetuus victus qui ad posteros transiret, nemini videtur concessus esse, nisi civibus Atticis, Attica autem civitate Cleomantin posteros-

1) Dem. F. L. p. 442, 19. ὁ τέως προσκυνῶν τὴν θόλον.

2) Plutarch. Symp. IV, 4, 1. Κελεὸν πρῶτον ἱστοροῦσιν εὐδοκίμων καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν κατασκευάσαντα σύνοδον καθημερινὴν ὀνομάσαι πρυτανεῖον.

que eius donatos esse, certe non traditum est litteris. Neque magis Demosthenis quodam loco [1]), ubi orator, ex quo civitas fuerit, nullos Atticos legatos id passos esse dicit ut ex legatione reversi non in prytaneum invitarentur, eo igitur loco non magis sic abutar, ut inde colligam iam ab incunabulis civitatis victum in prytaneo bene meritis praeberi solitum esse; etenim nimis manifesta est ista exaggeratio oratoris, quam ut illud inde colligere liceat. Verum cum fuerint, qui ad Solonem demum eius instituti originem referrent, probandum mihi est de duobus locis, quibus eam ob caussam testimonium denuncietur, alterum ne pertinere quidem huc, alterum docere ab Solone quaedam circa eam rem instituta esse, non docere eam ab ipso receptam et introductam esse. Etenim prior locus qui est Plutarchi [2]), non huc sed ad sacrorum epulones spectat, id quod tum παρασιτεῖν verbum docet, quod cum de parasitis proprium sit, de iis, quibus in prytaneo victus datus est, nusquam alias reperitur dictum [3]), tum ipsa lex probat, quae si interdixisset ne quis cibum publicum in prytaneo ampliu̯s semel caperet, id simul interdi-

---

1) F. L. p. 350, 22. Verba ipsa adscripsi infra p. CIII. n. 3.

2) Sol. 24. ἴδιον δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ τὸ περὶ τῆς ἐν δημοσίῳ σιτήσεως ὅπερ αὐτὸς παρασιτεῖν κέκληκε. τὸν γὰρ αὐτὸν οὐκ ἐᾷ σιτεῖσθαι πολλάκις. ἐὰν δ' ᾧ καθήκῃ μὴ βούληται, κολάζει, τὸ μὲν ἡγούμενος πλεονεξίαν, τὸ δ' ὑπεροψίαν τῶν κοινῶν.

3) Refragatur quidem huic sententiae a me iam olim propositae C. F. Hermannus (Staatsalterth. §. 127. not. 15.), sed nulla ille affert argumenta quibus me refellat. Moeris sane p. 322. emendandus ille ex Thom. M. p. 280. Ritschl. παρασίτους τοὺς τὰ δημόσια (Thom.: τοὺς δημοσίᾳ) σιτουμένους ἐν τῷ πρυτανείῳ Ἀττικῶς, τοὺς κόλακας Ἑλληνικῶς, sed falsus est uterque; cf. quae de parasitis commentatus sum in Encyclop. Hal. III, 11. p. 418. not.

xisset ne quis amplius semel rem eo praemio dignam faceret, id quod absonum esset. Alter locus Athenaei [1]) est, is vero docet Solonem cavisse, ut qui victum in prytaneo acciperent, ii panis aliis quidem diebus solus hordeaceus, diebus autem festis insuper triticeus apponeretur. Is igitur locus tantum abest ut probet eam σίτησιν ab Solone introductam esse, ut contra doceat iam ante Solonem extitisse, quae si esset ab hoc demum instituta, non id profecto praeterissent vitae Solonis scriptores. — Cephisophon quidam rogationem ad populum tulit de iis, quibus prytanei victu interdiceretur [2]), sed ad quosnam ea pertinuerit rogatio, ne divinatione quidem assequor. — Victus igitur in prytaneo gratuitus [3]) erat sumptus praebente aerario per Colacretas [4]).

Iam vero videndum est, victus in prytaneo quibusnam concedi solitus sit. Pollux (9, 40.) in eam rem haec habet: πρυτανεῖον καὶ ἑστία τῆς πόλεως, παρ' ᾗ ἐσιτοῦντο οἵτε κατὰ δημοσίαν πρεσβείαν ἥκοντες, καὶ οἱ διὰ πρᾶξίν τινα σιτήσεως ἀξιωθέντες καὶ εἴ τις ἐκ τιμῆς ἀείσιτος ἦν. Ille igitur tria genera distinxit. De his primum eorum est, qui publice legati venerint. Id au-

1) Athen. 4, 137, e. Σόλων δὲ τοῖς ἐν πρυτανείῳ σιτουμένοις μᾶζαν παρέχειν κελεύει, ἄρτον δὲ ταῖς ἑορταῖς προσπαρατιθέναι.

2) Schol. Aristoph. Ran. 944. ἕτερος δέ ἐστι Κηφισοφῶν ὁ καὶ τὸ ψήφισμα εἰσενεγκὼν ὑπὲρ τοῦ εἰρχθῆναι τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως.

3) Hinc explicandus locus Timoclis comici poetae ap. Ath. 6, 237, f. qui parasitum dicentem facit: οὔ γὰρ μὴ τίθενται συμβολαί, Πρυτανεῖα ταῦτα πάντα προσαγορεύεται.

4) Androtio ap. Schol. Aristoph. Av. 1541. ταμίαι δὲ ἦσαν καὶ προεστῶτες τῆς δημοσίας σιτήσεως, quod utrum de solo prytanei an de omni publice praebito victu intellegendum sit, parum constat.

tem ipsum duas complectitur species, alteram eorum, qui a peregrinis civitatibus missi sint Athenas legati, alteram eorum, qui cum ab Atheniensibus peregre essent legationis caussa missi, domum reversi legationem renunciarint. Illi enim plerumque in prytaneum invitabantur et eorum alii quidem ad coenam cum bene meritis civibus capiendam, alii, qui quidem honos minor habebatur, ad lautia accipienda; illud *καλεῖν εἰς πρυτανεῖον ἐπὶ δεῖπνον*, hoc *καλεῖν εἰς πρυτανεῖον ἐπὶ ξένια* dicebatur [1]). Simile institutum erat Cretensium, apud quos Cosmis sociorum id honoris dabatur, ut liceret iis *ἐς τε πρυτανήιον καὶ ἀνδρήιον ἐς πομπὰν ἕρπειν* [2]). — Atticos autem legatos ex legatione reversos, nisi si qui eam male obiisse aut aliquid in ea deliquisse viderentur, in prytaneum ad coenam *εἰς αὔριον* sive in diem perendinum post renunciatam in concione legationem invitare quam fuerit usitatum, Demosthenis quidam [3]) locus probat, quo quod tantum senatus consultum commemoratur, noli inde efficere in eiusmodi re non opus fuisse plebisscito; immo plebisscito in utriusque generis legatis in prytaneum invitandis carere non potuisse aliunde [4]) satis apparet.

Secundum genus eorum est, qui propter rem aliquam praeclare gestam eo honore digni visi sint (*οἱ διὰ πρᾶξίν τινα σιτήσεως ἀξιωθέντες*). Id ipsum tri-

---

1) Disserui de utroque in commentatione de Diaetet. p. 52.

2) Cf. foedus inter Latios et Olontios in C. I. Gr. 2554.

3) Dem. F. L. 350, 22. *ἡ βουλὴ δὲ — οὔτ' ἐπῄνεσε τούτους οὔτ' εἰς τὸ πρυτανεῖον ἠξίωσε καλέσαι. καίτοι τοῦτ' ἀφ' οὗ γέγονεν ἡ πόλις, οὐδεὶς πώποτε φήσει παθεῖν οὐδένας πρείσβεις.*

4) Dem. ib. p. 414, 9. *πάλιν ἐν τῷ δήμῳ, ταῖς ἐκκλησίαις — καὶ ἐπῄνεσα τούτους καὶ εἰς τὸ πρυτανεῖον ἐκάλεσα.* Aeschin. de leg. sua p. 228. *ἔγραψε ἡμᾶς στεφανῶσαι καὶ καλέσαι ἐπὶ δεῖπνον εἰς τὸ πρυτανεῖον εἰς αὔριον.*

bus constat speciebus. Nam alii in unum modo diem eumque perendinum ad coenam in prytaneum invitabantur; de his solis *καλεῖν ἐπὶ δεῖπνον εἰς τὸ πρυτανεῖον*, de duabus autem reliquis speciebus *δοῦναι σίτησιν* dicebatur. In eam primam speciem referendus est tum Agoracritus Aristophaneus [1]) propter Cleonem devictum ad coenam in prytaneum vocandus, tum Apollodorus [2]) Pasionis, propter trierarchiam praeclare obitam a populo laudatus et eodem invitatus; nonnullos autem nesciente populo id honoris dolo malo sibi arrogasse ex illa ipsa Aristophanis fabula [3]) apparet. —

Altera species eorum est, quibus per omnem vitam eo victu publico perfruendi potestas fiebat. Etiam *σίτησις ἐν πρυτανείῳ* olim raro concessa, labente republica, ut reliqui honores, vilior est facta [4]). Dabatur ea autem primum civibus Atticis iis, qui victoriam Olympicam [5]), imprimis curulem *ἵππῳ ἢ ξυνωρίδι ἢ ζεύγει* [6]), reportassent. Sic Alcibiades, ut hoc utar exemplo, propter curules Olympiae victorias victum in prytaneo accepit [7]). Aristidis ex Lysimacho nepti Polycritae Plutarchus [8]) Callisthe-

---

1) Aristoph. Eq. 1409. *καί σ' ἀντὶ τούτων ἐς τὸ πρυτανεῖον καλῶ.*

2) Demosth. c. Polycl. 1210, 22.

3) Ar. Eq. 280. *κἄγωγε τοῦτον* (sc. *δείκνυμι*) *ὅτι κενῇ τῇ κοιλίᾳ ἐσδραμὼν ἐς τὸ πρυτανεῖον εἶτα πάλιν ἐκθεῖ πλέᾳ.*

4) Aeschin. c. Ctesiph. p. 567: *καὶ σιτήσεις ἐν πρυτανείῳ πότερον τότε ἦσαν πλείους ἢ νυνί;*

5) Plat. de Rep. 5, 465, c. Athen. 6, 238, f. cf. Aelian. H. A. 6, 49.

6) Plat. Apolog. Socr. c. 26. p. 36. extr.

7) Ps.-Andocid. c. Alcib. p. 128.

8) Plutarch. Aristid. 27. *ἔτι δὲ Λυσιμάχου θυγατέρα Πολυκρίτην ἀπολιπόντος, ὡς Καλλισθένης φησί, καὶ ταύτῃ σίτησιν ὅσην καὶ τοῖς Ὀλυμπιονίκαις ὁ δῆμος ἐψηφίσατο.*

ne auctore victum eundem qui Olympionicis a populo tributum esse scribit; mulierem cum viris publice coenasse apud Athenienses cum parum credibile sit, statuendum erit aut victus ei pretium esse redditum aut cibos domum missos. Neque vero Athenis tantum sed aliis quoque in Graecis civitatibus idem privilegium erat [1]) Olympionicis; diversi generis est quod Elei post peractos ludos Olympia qui vicissent, eos epulis in *ἑστιατορίῳ*, quod intra prytaneum erat, excipiebant [2]). Idem vero privilegium, quod Olympionicis, postea, in nonullis certe civitatibus, aliorum quoque quorundam certaminum victoribus datum esse videtur; alioqui non suasisset Maecenas Augusto, ut *ἀθάνατον σίτησιν* non ad victores cuiuscumque generis certaminum, sed ad eos tantum patere iuberet, qui vel Olympiae vel in Pythiis vel Romae vicissent (Dio Cass. 52, 30.). — Dein eadem dabatur imperatoribus ob victoriam de hoste reportatam; sic Peloponnesio bello Cleo propter Pyli praeturam uti proedriam [3]), ita victum perpetuum in prytaneo praemii caussa accepit [4]), rogatione, ni fallor, Cleaeneti eam in rem facta; neque vero illi primo eam ob caussam id praemium tributum est, immo ex facete quodam Aristophanis dicto [5]) apparet iam tum vulgatum eum honorem esse; olim enim, dicit, nullus praetor vi-

---

1) Cf. Xenophan. ap. Athen. 12, 414.

2) Paus. 5, 15. extr. *ἔστι δὲ καὶ ἑστιατόριον Ἠλείοις. καὶ τοῦτο ἔστι μὲν ἐντὸς τοῦ πρυτανείου τοῦ οἰκήματος τοῦ τῆς Ἑστίας ἀπαντικρύ, τοὺς δὲ τὰ Ὀλύμπια νικῶντας ἑστιῶσιν ἐν τούτῳ τῷ οἰκήματι.*

3) Aristoph. Eq. 710. *νὴ τὴν προεδρίαν τὴν ἐκ Πύλου.*

4) Ibid. 716. *ἀπονυχιῶ σου τὰν πρυτανείῳ σιτία.*

5) Ibid. 576. *καὶ στρατηγὸς οὐδ' ἂν εἷς τῶν [πρότου] σίτησιν ᾔτησ' ἐρόμενος Κλεαίνετον. νῦν δ' ἐὰν μὴ προεδρίαν φέρωσι καὶ τὰ σιτία, οὐ μαχεῖσθαί φασιν.*

ctum sibi petivisset per Cleaenetum; nunc vero iam ante victoriam eum sibi postulant, alioquin praelium detrectaturi. Dein idem datum est Iphicrati [1]), qui apud Lechaeum Lacedaemoniorum moram concidit; Cononi autem Timotheoque et Chabriae, quibus omnibus nobiles victoriae navales et Cononi quidem ad Cnidum, Timotheo ad Corcyram, Chabriae apud Naxum contigerant, statuae in foro collocatae aliique honores multi concessi sunt; perpetuum in prytaneo victum iis datum esse nemo [2]), quod sciam, memoriae mandavit, unde sane non consequitur nulli eorum eum victum tributum fuisse. Immo cum ex Aeschine [3]) appareat ipsius aetate multis id imperatoribus contigisse, credibile est sane, id non modo ad unum alterumve de his tribus ducibus, quos modo dixi, pervenisse, sed Chareti [4]) quoque Aristophontem Azenien-

---

1) Demosth. c. Aristocr. 663. *χαλκῆς εἰκόνος οὔσης παρ' ὑμῖν Ἰφικράτει καὶ στατήσεως ἐν πρυτανείῳ καὶ δωρεῶν καὶ τιμῶν ἄλλων δι' ἃς εὐδαίμων ἐκεῖνος ἦν.* Cf. p. 665. et quae de Iphicratis adversus Harmodium oratione *περὶ τῶν δωρεῶν αὐτοῦ* tum ipse in Schol. Demosth. Midian. p. 79. sq. tum Rehdantzius Vit. Iphicr. Chabr. Timoth. p. 170. sq. scripsimus.

2) Weberus in Demosth. Aristocr. §. 202. p. 513. Timotheo victum quoque prytanei contigisse scribit, quem vero eam in rem testem excitat, Aeschines c. Ctesiph. §. 243. p. 88. diserte nihil dicit, quamquam non nego verbis *πάνθ' ἃ μέγιστα ἦν, αὐτῷ* (i. e. *Τιμοθέῳ*) *δοῦναι* etiam illum victum fortasse significatum esse.

3) Aeschin. c. Ctesiph. p. 585. *οἱ στρατηγοὶ ὑμῶν καὶ τῶν τὰς στήσεις εὑρημένων ἐν πρυτανείῳ.*

4) Schol. Aeschin. c. Tim. §. 64. *κεκωμῴδηται ὁ Ἀριστοφῶν ὡς ὑπὲρ Χάρητος μισθοῦ λέγων, καὶ ὡς παρανόμων γραφὴν* (malo *γραφάς*, namque ipse Aristophon gloriatus apud populum est quinquies et septuagies se *παρανόμων* in iudicium arcessitum semperque absolutum esse, cf. Aeschin. c. Ctesiph. §. 194.) *πεφευγὼς καὶ ὡς στρατηγήσας ἐν Κέῳ καὶ διὰ*

sem, qui pecunia corruptus pro Charete dixisse visus eamque ob rem παρανόμων accusatus est, inter alios honores eum quoque victum rogasse. Diphilus cui id praemium Demosthenes rogavit [1]), sine dubio imperator ille est, qui Ol. CIX, 3. in Hellesponto stationem habuit [2]). — Tantum de imperatoribus. Simile autem quiddam etiam oratoribus praeclaris nonnumquam concessum esse, Demadis [3]) exemplum docere potest nescientem. Quod vero Aristophanes [4]) festive finxit, apud inferos elegantioribus artibus id dari, ut in suo quisque genere praestantissimus victum in prytaneo capiat, noli inde efficere simile quoddam institutum revera Athenienses tenuisse; ne illud quidem aut ex hoc aut ex alio [5]) lepide dicto Aristophanis collegerim, in votis habuisse poetam, ut simile quiddam apud cives suos introduceretur.

φιλοχρηματίαν πολλὰ κακὰ ἐργασάμενος τοὺς ἐνοικοῦντας, ἐφ' ᾧ γραφεὶς ὑπὸ Ὑπερείδου παρανόμων ἑάλω., ubi alterum παρανόμων ut male ex superioribus repetitum tollendum videtur, cum probabilis ratio excogitari nequeat, qua Aristophon propter mala quae Ceis inflixerat, in παρανόμων iudicium vocari potuerit. Secus statuit Kiesslingus in comm. de Hyperid. orat. III. p. 21.

1) Dinarch. c. Demosth. 42. προῖκα τοῦτον οἴεσθε γράψαι Διφίλῳ τὴν ἐν πρυτανείῳ σίτησιν. Ad eam rogationem spectavit oratio, cui inscriptum erat Διφίλῳ δημηγορικὸς αἰτοῦντι δωρεάς. Hanc fuerunt qui ad Dinarchum auctorem referrent, id quod improbat Dionysius Halic. de Dinarch. p. 659.; esse enim eam Demosthenis potius, quem Diphilus tum in extrema oratione patronum sibi adesse iubeat, tum honorum sibi decretorum esse rogatorem significet.

2) Clinton. F. H. II. p. 154. Krueg.

3) Dinarch. c. Dem. §. 101. Verba ipsa posui infra p. CVIII. not. 1.

4) Aristoph. Ran. 775. sqq. ἀπὸ τῶν τεχνῶν ὅσαι μεγάλαι καὶ δεξιαί, τὸν ἄριστον ὄντα τῶν ἑαυτοῦ ξυντέχνων σίτησιν αὐτὸν ἐν πρυτανείῳ λαμβάνειν.

5) Aristoph. Eq. 538. Cratinum poetam ebriosum dicit, ὃν χρὴ διὰ τὰς προτέρας νίκας πίνειν ἐν τῷ πρυτανείῳ.

Tertia species eorum est, quibus is victus ita praemii causa dabatur, ut etiam in posteros eorum aut certe in posterorum natu maximum transiret. Eorum antiquissimi post fabulosum Cleomantin Delphum, de quo iam diximus, sunt posteri Harmodii et Aristogitonis [1]), atque horum quidem non tantum maximi natu, sed omnes masculi posteri ad id honoris pervenisse videntur. Sequitur Hippocrates [2]) medicus. Post hos nominandi sunt Lycurgi posteri, denique Demosthenes [3]) et Democharis [4]), atque haud scio pertineatne eodem etiam Charidemus [5]) Ischomachi.

---

1) Isaeus de Dicaeog. hered. extr. ἐβουλήθης μᾶλλον Δικαιογένους καλεῖσθαι υἱὸς ἢ Ἁρμοδίου, ὑπεριδὼν μὲν τὴν ἐν πρυτανείῳ σίτησιν, καταφρονήσας δὲ προεδριῶν καὶ ἀτελειῶν ἃ τοῖς ἐξ ἐκείνων γεγονόσι δέδοται. Dinarch. c. Demosth. §. 101. περιεῖδες αὐτὸν (sc. τὸν Δημάδη) ἐν τῇ ἀγορᾷ χαλκοῦν σταθέντα καὶ τῆς ἐν τῷ πρυτανείῳ σιτήσεως κεκοινωνηκότα τοῖς Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἀπογόνοις.

2) Sorani Vita Hippocrat. ed. Lind. II. p. 954. ed. Kuehn. 853. καὶ λαμπρῶν ἔτυχε τιμῶν παρὰ — Ἀθηναίοις, οἵτινες καὶ — πολίτην ἔγραψαν καὶ τὴν ἐν πρυτανείῳ σίτησιν ἔδοσαν εἰς ἐκγόνους.

3) De Demosthene rogatio est ap. Pseudo-Plutarch. p. 275. αἰτεῖ Δημοσθένει τῷ Δημοσθένους Παιανιεῖ δωρεὰν εἰκόνα χαλκῆν ἐν ἀγορᾷ καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ καὶ προεδρίαν αὐτῷ καὶ ἐκγόνων ἀεὶ τῷ πρεσβυτάτῳ.

4) De Demochare est ib. p. 276. αἰτεῖ δωρεὰν τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων Δημοχάρει Λάχητος Λευκονοεῖ εἰκόνα χαλκῆν ἐν ἀγορᾷ καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ καὶ προεδρίαν ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσι αὐτῷ καὶ τῶν ἐκγόνων ἀεὶ τῷ πρεσβυτάτῳ. Ita enim scribendus is locus est, qui vulgo est pessumdatus.

5) Rem satis obscure significat auctor orationis c. Theocrin. p. 1331. ὅτε τὴν τῶν παρανόμων αὐτὸν ἐδίωκε γραφήν, ἔλεγεν, ὡς ἐπιβεβουλευμένος ὁ παῖς εἴη περὶ οὗ τὸ ψήφισμα γεγραμμένον ἦν ἐν ᾧ τὴν σίτησιν ἔγραψε Χαριδήμῳ ὁ πατὴρ τοῦ Ἰσχομάχου υἱῷ κ. τ. λ. Videtur autem illa sic esse comparata. Ischomachus cum optime esset de republica

Tertium genus a Polluce commemoratum eorum est, εἴ τις ἐκ τιμῆς ἀείσιτος ἦν, quibus verbis Pollux aut eos significarit, quos equidem tertiam speciem secundi generis constituere volui, aut eos, qui propter munera sua vel propter honores ἀείσιτοι erant. Etenim in titulis aliquot Atticis aetate Hadriano inferioribus (C. I. n. 184—201. 353. Ross die Demen 11.) ἄϊσιτοι vel ἄΐσσιτοι dicuntur iique partim Eleusiniorum sacerdotes et ministri sunt, veluti hierophanta, daduchus, hierocéryx, ὁ ἐπὶ βωμῷ, partim scribae, praecones, musici, custodes. At vero illi ἀείσιτοι prytanum parasiti erant itaque cum prytanibus in tholo publice epulabantur, non vero cum bene meritis eorumque posteris in prytaneo; eos igitur si Pollux illis verbis significavit, memoria ea ab re, de qua agitur, aliena est.

Neque vero id institutum Atheniensibus proprium peculiareque erat, immo in aliis quoque Graecis civitatibus bene multis reperiebatur. Argivorum δημοσίας θοίνας ab Athenaeo XI, 483, c. prolatas, victum litteratis hominibus Alexandriae in Museo publice praebitum sciens praetereo et praeterire debebat Westermannus, quippe quae plane huc non pertineant. Verum recte ille Hermionae et Cyzici id obtinuisse ex C. I. 1193. (καλέσαι ἐπὶ τὰν κοινὰν ἑστίαν τοὺς πρε-

---

meritus — cognatione fortasse attigit Ischomachum eum, qui ut καλὸς κἀγαθὸς multis laudibus a Xenophonte Oecon. 6. extr. et 7. pr. ornatur — Epicharis Olympionicae filius id honoris memoriae eius tribuit, ut filio eius Charidemo victum in prytaneo rogaret. Eam rogationem Theocrines sic impugnavit eiusque caussa rogatorem παρανόμων in iudicium arcessivit, ut in fraudem Charidemi factam eam diceret; hunc enim, ut ab Aeschylo adoptatum, non amplius e domo Ischomachi esse; ad quam si rediret, verendum esse ne patrimonio Aeschyli privaretur.

σβευτάς) et Livio (41, 20.) evicit. His addo Rhodios, a quibus legatos Genthii regis ἐπὶ τὴν κοινὴν ἑστίαν receptos esse Polybius (29, 5.) auctor est, addo Eleos qui in ἑστιατορίῳ prytanei magno convivio omnes Olympiae victores excipere solebant, addo Naucratitas ex Hermia ap. Athen. 4, 150, d., ubi coenae in prytaneo Naucratitarum praebitae ratio accuratius describitur, quam satis parcam et tenuem fuisse inde apparet; addo quod μεταπέμπτοις s. ἐξαποσταλεῖσι δικασταῖς civitates quarum illi lites iudicavissent, inter alia praemia et hoc tribuere solebant, ut ad coenam eos in prytaneum invitarent [1]). Idem praemii genus erat apud Parios [2]), apud Pergamenos [3]), apud Pharios [4]). Apud Lindios eundem locum, quem apud Athenienses victus in prytaneo, obtinebat σίτησις ἐν ἱεροθυτείῳ, quae in duobus titulis memoratur ab Rossio editis in Mus. Rhenan. 1845. p. 190. sqq. Denique fuit nuper, qui cum prytaneum focus quasi civitatis fuerit, victum in prytaneo praebitum cum veterum Romanorum more conferret, quos ad focum hieme ac frigoribus coenitasse Varro [5]) scripsit.

---

1) Veluti in titulo Adramyteno C. I. 2319, b. Vol. II. p. 1063. κληθῆναι δὲ αὐτοὺς καὶ ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ [πρυτανεῖ]ον (?) ἐπὶ τὰν βουλαίαν ἑστίαν, in titulo Calymnio C. I. 2671. καλέσαι δὲ καὶ τοὺς δικαστὰς τοὺς ἀποσταλέντας εἰς τὸ πρυτανεῖον, in titulo Iliensium ib. 3598. καλέσαι εἰς τὸ πρυτανεῖον.

2) C. I. 2376. ἐτίμησεν — καὶ σιτήσει ἐν πρυτανείῳ.

3) C. I. 3521. εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ σίτησιν ἐμ πρυτανείῳ.

4) C. I. 1837, b. Vol. II. p. 985. καλ[εσάντων...] ἐπὶ τὰ ἱερὰ εἰς τὸ πρυ[τανεῖον.

5) Ap. Non. v. Chortes p. 83. Cf. C. Boetticher „Ueber das Heilige und Profane in der Baukunst der Hellenen“ Berlin 1846. p. 23., qui multus est de Ἑστίᾳ Graecorum et de Vesta Romanorum.

Atque haec quidem de victu in prytaneo, quibus illud unum addo, δοῦναι ἐν πρυτανείῳ σίτησιν quanti sit factum et quam solis εὐεργέταις olim concessum sit, apparere etiam ex locis quibusdam infra [1]) afferendis. Pergo ad ea, quae in decreto Stratoclis reliqua sunt.

ἀναθεῖναι δ' αὐτοῦ καὶ εἶναι κύρια πάντα τὰ ψηφίσματα τὸν γραμματέα τοῦ δήμου ἐν στήλαις λιθίναις.] Esse ex superiore versu post κύρια reponenda εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον iam supra (p. XCI.) significavimus. καὶ εἶναι κύρια vero ita interposita sunt, ut καὶ significet ὥστε, neque opus est traiectione, ad quam nonnulli confugerunt. Magis me offendit εἶναθεῖναι, cuius loco ἀναγράψαι expectamus. Cura decreta in lapides inscribendi in antiquioribus titulis committitur scribae senatus (γραμματεῖ τῆς βουλῆς), qui in titulis aetate recentioribus scriba prytaniae (γραμματεὺς ὁ κατὰ πρυτανείαν) dicitur [2]). Verum similiter atque hic ea cura scribae populi mandatur tum in Salaminio decreto (C. I. n. 108.), tum in decreto quod Zenoni est datum (Diog. Laert. 7, 11.).

καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει πλησίον τῶν ἀναθημάτων.] „Intellege donaria non in templis posita sed sub diu,

---

1) Demosth. F. L. §. 330. Cicer. de Orat. I, 44: „Cum interrogatus Socrates esset, respondit sese meruisse ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut victus quotidianus in prytaneo publice praeberetur, qui honos apud Graecos maximus haberetur." Plat. Apolog. Socr. 26. p. 37. εἰ οὖν δεῖ με κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι, τούτου τιμῶμαι, ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. Diogen. Laert. II, 42. ἕνεκα μὲν τῶν ἐμοὶ διαπεπραγμένων τιμῶμαι τὴν δίκην τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. Quae imitatus est Lucianus (Prometh. 4.) Prometheum dicentem faciens: ἐφ' οἷς ἔγωγε τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως, εἰ τὰ δίκαια ἐγίγνετο, ἐτιμησάμην ἂν ἐμαυτόν (l. ἐμαυτῷ).

2) Cf. Boeckh. C. I. T. I. p. 148. n. 87. 90. 112. sq. Ross. „die Demen" n. 13.

statuas tripodas etc.“ Boeckh. Columnae, quae acta publica continebant, apud Athenienses plerumque in arce in templo Poliadis ponebantur; valet id in foedera pacisque instrumenta [1]), in rationes accepti et expensi [2]), nisi quod Eleusine [3]) collocabantur columnae, quibus bona eorum, postquam publicata essent, proscribebantur, qui Cereris Proserpinaeque religiones violassent, valet in decreta proxeniae [4]) vel aliorum honorum [5]); decreti tamen, quod Zenoni est datum, duo exempla fieri iubentur, alterum in Academia, alterum in Lyceo ponendum [6]), et plebiscitum quod ad Troezenios pertinet, in aede Apollinis collocari iubetur [7]). Columnae autem, quibus pagorum decreta et acta inscribebantur, nunc in templis, nunc in foro vel in lescha pagorum ponebantur; sic columna, quae decretum quoddam Piraeensium continet, in templo Vestae (C. I. n. 101.), quae alius pagi decretum habet, in templo Dianae Colaenidis (ibid. n. 100.), quae titulum quendam Piraeensium (ib. n. 102.), in foro pagi (ἐν ἀγορᾷ τῶν δημοτῶν) est collocata; titulus Aexonensium, qui ad locationes pertinet, duo exempla fieri iubet, alte-

1) Thuc. 5, 18. de pace Niciae: στήλας δὲ στῆσαι Ὀλυμπίασι καὶ Πυθοῖ καὶ Ἰσθμῷ καὶ ἐν Ἀθήναις ἐν πόλει, καὶ ἐν Λακεδαίμονι ἐν Ἀμυκλαίῳ. Id. 5, 23. de foedere cum Lacedaemoniis στήλην δὲ ἑκατέρους στῆσαι τὴν μὲν ἐν Λακεδαίμονι παρ' Ἀπόλλωνι ἐν Ἀμυκλαίῳ, τὴν δὲ ἐν Ἀθήναις ἐν πόλει παρ' Ἀθηνᾷ.

2) C. I. n. 76. τὰς στήλας τε]θέντων ἐμ πόλει ἐν αἷς ἀναγράψουσι τὰ χρήματα τὰ ἱερά.

3) Pollux 10, 97. ἐν δὲ ταῖς Ἀττικαῖς στήλαις αἳ κεῖνται ἐν Ἐλευσῖνι, τὰ τῶν ἀσεβησάντων περὶ τὼ θεὼ δημοσίᾳ προσθέντα ἀναγέγραπται.

4) C. I. 84. 87. καταθέτω ἐν ἀκροπόλει.

5) Ib. n. 107. Ross „die Demen“ n. 113.

6) Diog. Laert. 7, 11.

7) C. I. n. 106. στῆσαι ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος.

alterum in templo Iuventae, alterum in Iesche ponendum (ib. n. 93.); decretum Icadensium in templo Apollinis Parnessii (Ross. „die Demen“ p. IV.), denique *συλλογέων* decretum columnam poni iubet *ὑπὸ τὸ ἀνάθημα τὸ κοινὸν τῶν συναρχόντων* (C. I. n. 99.).

εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν τῶν στηλῶν δοῦναι τὸν ταμίαν τοῦ δήμου πεντήκοντα δραχμὰς ἐκ τῶν εἰς τὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ.] Idem munus quaestori populi etiam in nonnullis aliis decretis [1]) mandatur; in aliis aut apodectis [2]) committitur, aut quaestoribus [3]), aut *τῷ ἐπὶ τῇ διοικήσει* [4]), vel *τοῖς ἐπὶ τῇ διοικήσει*, ut in decreto quod est Spartoco datum (C. I. n. 107.); in decretis pagorum idem commendatur quaestori et antigrapho pagi (ib. n. 100.), in titulo vero Serapiastarum idem imponitur quaestori. Inscribendis decretis in columnis plerumque triginta [5]) drachmae, hic quinquaginta attribuuntur, id quod fortasse inde est explicandum, quod in pluribus columnis inscribenda erant decreta. Ea pecunia pendi iubetur hic *ἐκ τῶν εἰς τ. ψ. ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ*, in decreto quod Arybbae est datum (Curt. n. IV.), *ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσματα μεριζομένων τῷ δήμῳ*, in titulo C. I. n. 92. *ἐ]κ τῶν κατὰ ψηφίσ[ματα*, in titulo Salaminio (C. I. n. 108.) *ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφί-*

1) Veluti C. I. n. 92. Ross. „die Demen“ n. 13. Curtius Inscr. Attic. n. 4.

2) C. I. n. 84., qui titulus Boeckhio iudice anni Ol. C, 4. est: *μερίσαι δὲ τὸ ἀργύριον τὸ εἰρημένον τοὺς ἀποδέκτας ἐκ τῶν καταβαλλομένων χρημάτων.*

3) C. I. n. 87., qui titulus Stratoni est datus: *εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴν τῆς στήλης δοῦναι τοὺς ταμίας τριάκοντα δραχμὰς ἐκ τῶν δέκα ταλάντων.*

4) Diog. Laert. 7, 11. *τὸ δ' ἀνάλωμα τὸ εἰς τὰς στήλας γενόμενον μερίσαι τὸν ἐπὶ τῆς διοικήσεως.*

5) C. I. n. 87. 100. Curt. Inscr. Attic. IV.

σματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ, eae vero formulae omnes idem videntur significare; in uno decreto (C. I. n. 84.) est ἐκ τῶν καταβαλλομένων χρημάτων, in alio (n. 87.) ἐκ τῶν δέκα ταλάντων, in decreto quodam pagi (ib. n. 100.) ex reditibus (ἀπὸ τῆς προσόδου), in titulo Serapiastarum (ib. n. 120.) ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, i. e. ex communi area sumi iubetur.

Desideres forsitan in decreto memoriam eius, qui curam statuae faciendae et in foro collocandae suscipiat, ut in decreto, quod Audoleonti est datum, extat (A. L. Z. 1834. Mai) τῆς δὲ ποιήσεως καὶ τῆς στάσεως ἐπιμεληθῆναι τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει, verum similiter in decreto, quod Spartoco est tributum (C. I. n. 107.), cavetur quidem ut coronae faciendae et renunciandae curam οἱ ἐπὶ τῆς διοικήσεως suscipiant, sed ad quemnam cura statuae aeneae, quae eo decreto regi data est, faciendae et collocandae pertineat, non dicitur.

Postquam sic et vitam ab ementito Plutarcho scriptam et decretum Stratoclis ei additum explicuimus singulatim, licebit iam summatim de utroque iudicare. Atque decretum quidem non videtur ipsum superesse iustum, ut ab Stratocle factum est, sed exemplum esse neglegentius et supine factum, in quo alia omissa, alia adiecta, alia perverso ordine collocata sunt. Etenim circa Augusti aetatem florebat, ni fallor, qui in vitas decem oratorum Atticorum in numerum receptorum data opera commentatus est. Is quicumque demum fuerit — erat autem sine dubio imprimis doctus homo, Hermippeae et Callimacheae eruditionis aemulus multisque et variis doctrinae subsidiis instructus — is igitur, secutus fortasse Caecilii Calactini exemplum, qui suo de Antiphonte libro exemplum decreti in Antiphontem lati adiecerat, vitis Lycurgi et Demosthenis e tabulario Attico deprompta

exempla decretorum quorundam eas vitas illustrantium adiecerit. Hic vero non quidem ipse sed per aliquot demum traduces et propagines, id est per aliquot gradus interiacentium scriptorum, sic utriusque et Photii et ementiti Plutarchi communis quasi fundus factus est, ut Photius quidem parciora sed prudenter electa et bene disposita, Plutarchi autem simia multo quidem pleniora inde ad se derivaret, sed nihil non susque deque ageret atque similiter etiam illa decreta corrumperet.

III.

De Lycurgi orationum fragmentis.

De orationum Lycurgi numero Plutarchus ementitus consentit cum Photio, quorum ille p. 10. habet: *φέρονται δὲ τοῦ ῥήτορος λόγοι ιε΄*, hic scribit: *φέρεσθαι δὲ αὐτοῦ ἐξ ἱστορίας* (sc. *λόγους*) *ιε΄ μεμαθήκαμεν*. Ab his discedit glossa quaedam, quae communi quasi ex fonte manans extat ap. Schol. Bekkeri in Aeschin. F. L. §. 18. extr., ap. Moschopul. Titzii p. 60. et in Crameri Anecdot. IV, 256. In primo est: *τῶν δέκα ῥητόρων ὁ σκάριφος — Λυκοῦργος λόγους η΄*, in altero: *τῶν δέκα ῥητόρων τὰ ὀνόματα καὶ πόσους ἔγραψαν λόγους, ὡς φέρεται, εἷς ἕκαστος — Λυκοῦργος λόγους η΄*, in tertio est *Λυκ. λόγους ηνʹ*, qui potest videri voluisse *νη΄*, id quod certe ad veritatem magis accesserit, quam *η΄*. Nam coniici licet orationes olim LVIII ad Lycurgum relatas earumque solas XV germanas esse antiquis arbitris visas; nisi *η* ex prava Graecorum pronunciatione *ι* litterae ortum et *ν* cum *ε* commutandum putas [1]). Suidas autem, qui vulgo cum Photio et Ps.-Plutarcho facere creditur, de numero tacet, et illud tantum dicit, germanas esse orationes eas, quae aetatem tulerint, *λόγοι δὲ αὐτοῦ εἰσι γνήσιοι οἱ σωζόμενοι*; fortasse vero quaedam hic interierunt in hunc fere modum restituenda: *λόγοι δὲ αὐτοῦ* [*φέρονται . . . ὧν*] *εἰσι γν. οἱ σωζ.*, id quod eo minus dissimile est veri,

1) Sauppius Orat. Attic. 2, 165. *λόγους ιδ΄* rescribendum esse dicit; cf. de istius grammatici perversis numeris eundem Sauppium ib. 170.

cum etiam aliis nominibus probabile sit in eo loco Suidae quaedam vel turbata esse vel intercidisse. Commemorat autem Suidas orationes XIII, nisi epistolarum volumen pro quarto decimo λόγῳ habendum est: itaque unius certe vel etiam duarum orationum tituli desiderari videntur. Erat ea fortassis oratio κατὰ Κηφισοδότου, quam nullo dubitationis signo adiecto ut Lycurgeam commemorat Harpocr. v. Χιλιωθέντα [1]). Quodsi etiam alius orationis titulus periit, aut ἀπολογισμὸν ὧν πεπολίτευται vel perisse, vel in verbis ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν latere coniecerim, ita ut distinguendum sit post αὐτόν statuendumque ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν verbis singularem orationem significari, aut titulum διαδικασίας Κροκωνιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας intercidisse censuerim; hanc enim orationem etsi ad Philinum tum Athenaeus refert tum Harpocratio uno loco (v. Κοιρωνίδαι) referri a nonnullis narrat, idem tamen Harpocratio quattuor locis ita tamquam Lycurgeam memorat, ut ne dubitationis quidem indicium illud εἰ γνήσιος adiiciat. — Orationis autem κατὰ Δεξίππου titulum quominus hic olim extitisse arbitrer, obstat primum, quod Harpocr., qui solus eius et semel meminit v. Σύνδικοι, dubitationis significationem εἰ γνήσιος addidit (cf. Kiessl. p. 109.); dein Sauppius in fragmentis Lysiae p. 183. probabiliter pro Lycurgo Lysiae no-

1) Cf. Kiessling. p. 109. Nissen. p. 75. Cephisodotum autem, contra quem ea oratio scripta sit, cum Kiesslingus imperatorem eum fuisse statuat, qui propter Alopeconnesi obsidionem in εἰσαγγελίας iudicium vocatus et quinque talentis mulctatus sit, Sieversius („Geschichte Griechenlands vom Ende des pelop. Krieges bis zur Schlacht bei Mantin." Kil. 1840. p. 302.) Ceramensem esse existimet: equidem ex tot cognominibus aequalibus, de quibus vid. Behdantz. Vit. Iphicr. p. 145., ad quemnam spectaverit oratio, non definio.

men rescripsit, saepe cum illo a librariis scribis male permutatum (cf. Kiessl. p. 117. et quae p. CXXIV. de orationis c. Aristogit. fragm. disseremus); syndicorum enim magistratum cum iurisdictione coniunctum probabilius est Lysiam quam Lycurgum memorasse, quippe qui Lysiae quidem aetate ea fuerit potestate, Lycurgi aetate non fuerit. — Verum praeter XV illas germanas orationes habuerit Lycurgus alias quoque orationes, quae vel non mandatae sint litteris vel in commentariis latuerint (cf. Nissen. p. 69.). Sic ex titulo orationis Hyperidiae ap. Harpocr. v. *Ἐπιχειροτονία* — *Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ Σιμμίου πρὸς Πυθέαν καὶ Λυκοῦργον* apparere videtur una cum Pythea etiam Lycurgum contra Simmiam verba fecisse. Accedit quod non modo in iudiciis sed apud populum quoque saepius dixit Lycurgus, ex titulis autem orationum, quas Suidas servavit, aut nullus aut unus *πρὸς τὰς μαντείας* ad concionale dicendi genus pertinet, reliqui omnes iudicialium orationum esse videntur.

Dicendum iam est de Suidae loco v. *Μηλόβοτος*, de quo neque quae Kiesslingus meus p. 16. sqq. commentatus est, plane mihi satisfecerunt, et displicent quae nuperus Suidae editor posuit. Consideremus primum verba ipsa. *Μηλόβοτος χώρα — Κεῖται δὲ νεῦνομα καὶ τῷ Λυκούργῳ ἐν τῷ κατ' Αὐτοκλέους. ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε. βουλευομένου δὲ ὅπως τῇ πόλει χρήσεται, Ἀθηναῖοι μὲν μηλόβοτον ἀνεῖναι συνεβούλευον, Φωκεῖς δὲ ἀντεῖπον σῶσαι.* Cum contra Autoclem orationem Hyperidis fuisse constet, Lycurgi fuisse non constet [1]), Kiesslingus perisse statuit tum titulum

1) Ipse sane Kiesslingus in comment. III. de Hyperid. orat. p. 17. propter locum quendam in scholiis in Hermog. T. VII. p. 766. coll. T. V. p. 407. n. 51. nunc Lycurgo quoque fuisse quandam contra Autoclem orationem arbitratur, sed

orationis Lycurgeae tum nomen Hyperidis in hunc fere modum supplenda: *κεῖται δὲ τοὔνομα καὶ* [*παρὰ*] *τῷ Λυκούργῳ ἐν τῷ* [*κατὰ Λεωκράτους καὶ παρὰ τῷ Ὑπερείδῃ ἐν τῷ*] *κατ' Αὐτοκλέους.* Est ea emendatio ex earum genere, ad quas in lexicographis graecis saepius refugiendum sit, id quod aliquot exemplis de Harpocratione repetitis confirmasse sufficiat. Harpocrat. v. *Ἀεί — καὶ Θουκυδίδης ἐν τῷ προοιμίῳ οὕτως ἤρξατο. οὕτω μὲν οὖν μοι δεῦρ' ἀεὶ τείνει λόγους.* Sauppius (Oratt. Attic. II. p. 143.) recte post *προοιμίῳ* et verba Thucydidis et nomen poetae, cuius versus sit, qui sequatur, excidisse statuit. Eum versum poetae alius alii tribuit, nos Euripidis esse putamus. — v. *Ἀρχιδάμους πόλεμος. Λυσίας ἐν τῷ κατ' Αὐτάνδρου καὶ Πυθέου ξενίας.* Scribendum esse: *Αὐτάνδρου καὶ* [*Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ*] *Πυθέου ξενίας* iam monuit Maussacus. — Apud eundem extat glossa *Ἄξιοῖ ἀντὶ τοῦ νομίζει. Ἀντιφῶν ὑπὲρ τῆς εἰς τὸν ἐλεύθερον παῖδα.* Hic post *τῆς* intercidisse per homoeoteleuton *ὕβρεως τῆς* iam conieci in libro de lite Attic. p. 319. idque habet etiam Coesiana. Sed cum in codd. DE Harpocrationis et ap. Suid. extet: *Ἀντιφῶν καὶ Λυσίας ἀντὶ τοῦ νομίζει,* atque *περὶ ὕβρεως* orationes plures constet Lysiae esse scriptas, ab Antiphontis autem eloquentia id orationum genus abhorruisse videatur, nunc locum sic red-

---

mihi non persuasit. Eademne fuerit atque Hyperidis, an eum illa discrepaverit ea oratio c. Autoclem, quam a nonnullis Lysiae adscriptam esse Pollux docet (VII, 200. *εἰ δὲ Λυσίου ὁ κατ' Αὐτοκλέους λόγος, ἐν ᾧ γέγραπται „ψηφοπαικτοῦσι τὸ δίκαιον“*), haud definio; subtilitas enim Lysiae acumini Hyperidis affinis erat, uterque satis facetus, ut vel veteres potuerint de una alterave oratione dubitare ad utrum eorum esset referenda. Rehdantzius Vit. Iphicrat. etc. p. 140. not. 62. Lysiae *κατ' Αὐτοκλέους* orationem in eum Autoclem habitam esse coniicit, qui ab Lysia in oratione c. Simon. commemoretur.

integrandum arbitror: *Ἄξιοῖ ἀντὶ τοῦ νομίζει. Ἀντιφῶν* [*ἐν τῷ . . . . . καὶ Λυσίας ἐν τῷ*] *ὑπὲρ τῆς* [*ὕβρεως τῆς*] *εἰς τὸν ἐλεύθερον παῖδα.* — Apud eundem v. *Ἀνάγειν* est: *Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Βοιωτόν.* Codd. alii *Βοιωτούς*, alii *Βοίωνα*, alii *Βίωνα*, alii *Μίωνα*, unde in libro de lite Attic. p. 529. emendavi: *πρὸς Μιχίωνα.* Meliora me edocuerunt codd. DE Harpocrationis et Suidas, ubi illorum verborum loco extat *οὕτω Λυσίας καὶ Δείναρχος.* Etenim cum hi libri in brevius contractam orationem Harpocrationis offerre soleant, ut titulis librorum omissis sola scriptorum nomina ponant, apparet in ampliori specie extitisse utrique oratori additam orationis memoriam. Iam vero cum *πρὸς Βοιωτὸν* orationem Lysiam scripsisse nemo litteris mandaverit, ad Dinarchum autem certe Demosthenicae orationes *πρὸς Βοιωτὸν περὶ ὀνόματος* et *πρὸς Βοιωτὸν περὶ προικός* ab antiquis quibusdam criticis relatae sint, cumque olim alia etiam adversus Boeotum oratio Isaei extiterit *πρὸς Βοιωτὸν ἐκ δημοτῶν ἔφεσις* (Harpocr. vv. *Κειριάδης* et *Λῆξις*), non audaciae in crimen incurram, si hanc periclitabor coniecturam: *Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Μιχίωνα*[1]) *καὶ Δείναρχος ἐν τῷ πρὸς Βοιωτόν.* Micionis nomen praeter eos locos, quos Papius affert, extat etiam ap. Rossium „die Demen“ n. 14. 69. 79. C.I. Gr. 3140, 10. Terent. Adelph. et alibi. — Ib. v. *Κακώσεως* post illius iudicii explicationem legitur: *Δημοσθένης κατὰ Τιμοκράτους καὶ Λυσίας ἔν τε τῷ περὶ τοῦ Ἡγησάνδρου κλήρου καὶ ἐν τῷ ὑπὲρ τοῦ Πυράνδρου* (*Πυῤῥάνδρου* Sauppius, recte) *κλήρου.* Intercidisse hic et Hyperidis nomen et vel Hyperidiae vel Lysiacae alicuius orationis titulum,

1) Possis etiam vel *Μίκωνα* vel *Βόωνα* coniicere. *Βόων Ἀναιτίθεν* est in titulo ab Rossio edito (in libro „die Demen“ 50.). Lysiae olim extitit oratio *πρὸς τοὺς ἐπιτρόπους τῶν Βόωνος παίδων.* Sauppius Orator. 2, 182. *Βοίωνα* coniecit.

fidem facit tum, quod apud Suidam et Photium, qui glossarum Harpocrationis sic, ut modo descripsimus, contractam speciem exhibere solent, extat in eadem glossa: *οὕτω καὶ Δημοσθένης καὶ Λυσίας καὶ Ὑπερείδης*, tum quod apud ipsum Harpocr. in fine eius glossae reperitur: *δηλοῦται ἔν τε τῷ προειρημένῳ λόγῳ Ὑπερείδου.* Maussacus igitur tentavit: *καὶ [Ὑπερείδης] ἐν τῷ ὑπὲρ Πυράνδρου κλήρου*, id quod probavit Hoelscher. de vita et script. Lys. p. 197. Verum cum duarum Lysiae orationum memoriam hic extitisse *τε* particula probet, malim reponere post novissimum *κλήρου*: *καὶ Ὑπερείδης [ἐν τῷ περὶ τοῦ δεῖνα* (ex. gr. *τοῦ Ἱππέως*) *κλήρου]*. Sauppius in Orator. Attic. II. p. 188. rescripsit: *καὶ ἐν τῷ ὑπὲρ [.... καὶ Ὑπερείδης] περὶ τοῦ Πυρράνδρου κλήρου*, argumentis usus, ni fallor, parum idoneis. — Denique apud eundem Harp. invenitur glossa: *Ἀποσάξαντα ἀντὶ τοῦ φράξαντα τὸ τρῆμα καὶ ἀποπληρώσαντα. Ἡρόδοτος ἐν ς'.* Cum vero ea vox apud Herodotum neque sexto neque alio libro reperiatur, Wesselingius in Herodot. 6, 44. probabiliter coniecit Herodoti memoriam male hic positam revocandamque esse ad glossam proximam superiorem *ἀπορώτατος*; nam apud Herodotum l. c. legi: *βορῆς ἄνεμος μέγας τε καὶ ἄπορος*. Verum nondum satis; cum enim in compendiaria eius glossae specie, qualem tum libri DE Harpocrationis tum Suidas et Lexica Segueriana p. 535. ostendunt, et Herodoti memoria omittatur et post *ἀποσάξαντα* accedat *Δείναρχος*, apparet in ampliore Harpocrationis recensione et Dinarchi nomen et orationis ab eo scriptae titulum intercidisse. — Sed satis nunc exemplorum praesertim in re, quae alio tempore a nobis erit explicanda de industria. Redeo igitur in viam, id est ad glossam Suidae v. *Μηλόβοτος*. Reliquum est enim de duobus locis dicatur, quibus, quod *μηλόβοτον* vo-

cem contineant, lexicographus testimonium denuncia-vit. Horum priorem ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε ad Lycurgum pertinere probabile est; neque vero arbitror verba Leocrateae significari „ὁ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν εἶναι φανερᾷ τῇ ψήφῳ καταψηφισάμενος". Quamquam enim scimus neglegentes aliquotiens esse grammaticos in scriptorum verbis excitandis, in rem quae agitur intentos, de reliquo securos, extitisse tamen illa coniicio in oratione contra Autolycum Areopagitam, quae quia ab argumento similis erat Leocrateae, debebat etiam sententias quasdam cum hac communes habere. Alterum vero locum Hyperidis c. Autoclem orationi vindicaverim cum Kiesslingo de Hyperid. Comment. III. p. 17.; neque enim fuit, cur nuperus Suidae editor eum locum ab rerum scriptore quopiam profectum esse maluerit. Esse in hoc Θηβαῖοι pro Ἀθηναῖοι rescribendum iam intellexit Kusterus [1]). Etenim spectat ad ea, quae Lacedaemone ante captas Athenas in sociorum consilio agitata sunt; ibi Thebanis imprimis et Corinthiis excidium Athenarum suadentibus Phocenses prae ceteris restiterunt. Id non tantum rerum scriptores narrant, sed memorant etiam Demosthenes [2]) et Isocrates [3]). Id quod satis evincit eiusmodi sententiam non ab oratoribus abhorrere. Hyperides autem ut in illa oratione c. Autoclem dominatus XXX virorum, ut Dracontidae, Mele-

1) De permutatione vv. Ἀθηναῖοι et Θηβαῖοι intprr. disserunt Suid. vv. Αὐτόχθονες et Καδμεῖος. Meinek. Exercitt. in Athen. II. p. 4. et copiosissime Ungerus meus Theban. Parad. p. 447. sqq.

2) F. L. 361, 26. ὅτι τὴν ἐναντίαν ποτὲ Θηβαίοις ψῆφον ἔθεντο οὗτοι (sc. οἱ Φωκεῖς) περὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἀνδραποδισμοῦ προτεθεῖσαν, ὑμῶν ἔγωγε ἀκούω πάντων.

3) Plataic. 31. δυστυχησάντων ὑμῶν μόνοι τῶν συμμάχων ἔθεντο τὴν ψῆφον, ὡς χρὴ τήν τε πόλιν ἐξανδραποδίσασθαι καὶ τὴν χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον, ὥσπερ τὸ Κρισαῖον πεδίον.

bii, Molpidis et Theognidis meminit, qui inter XXX fuerunt, ita etiam ibidem opportune eorum meminisse potuerit, quae ante institutum eum dominatum in seciorum Laconicorum concilio agitata sunt. Itaque glossam Suidae sic refingendam arbitror: *κεῖται δὲ τοὔνομα καὶ* [*παρὰ*] *τῷ Λυκούργῳ* [*ἐν τῷ κατὰ Λύτολύκου*] „*Ἀλλὰ καὶ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν ἀνῆκε*“ [*καὶ παρὰ τῷ Ὑπερείδῃ*] *ἐν τῷ κατὰ Λυτοκλέους* „*Βουλευομένου δὲ ὅπως τῇ πόλει χρήσεται, Θηβαίοις μὲν μηλόβοτον ἀνεῖναι συνεβούλευον, Φωκεῖς δὲ ἀντεῖπον σῶσαι.*“ Subiectum participii *βουλευομένου* videtur esse *τοῦ συνεδρίου τοῦ τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τῶν συμμάχων.*

I. Accedimus ad singularum orationum fragmenta, initium facturi ab oratione c. Aristogitonem, in qua explicanda ita versata est Kiesslingi diligentia, ut nihil fere sit quod desideres. In Suidae igitur loco v. *Ἀριστογείτων*, ubi Aristogito dicitur *λόγους ποιήσας ἀπολογίαν πρὸς Δημοσθένην τὸν στρατηγὸν πρὸς Λυκοῦργον*, merito offensus est Kiesslingus rescribique voluit *Λεωσθένην τὸν στρατηγόν*; neque enim si vel maxime *στρατηγοῦ* nomine grammaticis neglegentius loquentibus nonnumquam etiam orator significatur [1]), id hoc loco statui licet. Hinc orsus nuperus editor Suidae T. I. p. 726. coniecit: *πρὸς Λεωσθένην τὸν στρατηγὸν, πρὸς Δημοσθένην*, facilius promptiusque erat *πρὸς Δημοσθένην*, [*πρὸς Λεωσθένην*] *τὸν στρατηγόν* rescribere. De iudiciis *ψευδεγγραφῆς, βουλεύσεως* et *ἀγραφίου*, quorum memoria ea in oratione extitit (cf. Kiessl. p. 31. sqq.), iam melius iudicare licet editis imprimis inscriptionibus, quae ad rem navalem Atheniensium pertinent [2]), et, si fas est par-

1) Cf. Ps.-Plutarch. Vit. Hyperid. p. 269. *περὶ τῶν στρατηγῶν ὧν ἤγετο παρ' Ἀθηναίων ἀντεῖπε.*

2) In harum enim IV. Polyeucti est plebiscitum, quod inter alia etiam haec continet: *ἐὰν δὲ οἱ τῶν νεωρίων ἄρχοντες πα-*

vis componere magna, post emendata a me verba lexici rhetorici (Fragm. lex. rhet. p. V. sq.). Omnia ea iudicia pertinebant ad aerarii debitores, atque ἀγραφίου quidem iudicio tum aerarii debitor is, qui dolo malo vel prohibuisset quominus inter aerarios perscriberetur, vel effecisset ut expungeretur, antequam expedisset nomen, tum magistratus is arcessebatur, qui eum debitorem in alterutra fraude adiuvisset; ψευδεγγραφῆς vero in eum, qui nihil aerario debentem dolo malo inter aerarios perscripsisset, denique βουλεύσεως agebatur, siqui eum qui aliquid aerario debuisset quidem sed debitum iam solvisset, dolo malo vel non expunxisset vel iam expunctum inter aerarios iterum rettulisset. —

χιλιωθέντα quod in hac oratione pro χιλίας ὀφλόντα (sic enim scribendum est) Lycurgus dixisse fertur (cf. Kiessling. p. 34.), pertinuit sine dubio ad mulctam mille drachmarum, qua Aristogito affectus est, cum in iudicio publico, quo Hegemonem arcessiverat, quintam suffragiorum partem non tulisset; cf. Liban. ap. Demosth. p. 768. Apud Harpocr. in glossa Ἡλικία rescribendum est: ἀντὶ τοῦ οἱ ἐν ἡλικίᾳ, οἱ νέοι, ut est apud Suidam; quod autem Suidas Photiusque habent: ἡλικία τῆς πόλεως ἀντὶ τοῦ οἱ ἐν ἡλικίᾳ, οἱ νέοι, οὕτω Λυσίας καὶ Δημοσθένης, in his Lysiae nomen vulgari librariorum errore (de quo diximus supra p. CXVII. sq.) pro Lycurgo positum esse, docet Harpocratio-

---

ραλαβούσης τῆς πόλεως τοὺς κωπέας μὴ ἀναγράψασιν εἰς τὴν στήλην, ἢ ὁ γραμματεὺς τῶν ἕνδεκα μὴ ἀπαλείψῃ τοῦ ὀφλήματος τοῦ Σωπόλιδος τὸ γιγνόμενον τῶν κωπέων κατὰ τὰ ἐψηφισμένα τῇ βουλῇ. ὀφειλέτω ἕκαστος αὐτῶν τριάκοντα δραχμὰς τῷ δημοσίῳ καὶ [ὑπόδικος] ἔστω τῷ Σωπόλιδι καὶ τοῖς Σωπόλιδος οἰκείοις τῆς βουλεύσεως τοῦ ἀργυρίου τῆς τιμῆς τῶν κωπέων κ. τ. λ., de quibus egregie commentatus est Boeckhius.

nis *Λυκοῦργος κατὰ Ἀριστογείτονος*, cuius ipsius orationis verba *ἡλικία τῆς πόλεως* fuisse videntur. — *Βάραθρον* in hac oratione sic fortasse commemoravit Lycurgus, ut eo non indignum esse diceret Aristogitonem.

II. Progredior ad orationem in Autolycum Areopagitam (Kiessling. p. 35. sqq.). Est is fortasse idem Autolycus, qui in inscriptione murali, quam C. O. Muellerus edidit et inter Ol. CXI, 3. et CXIII, 3. scriptam esse statuit, v. 36. commemoratur. Crimini Autolyco datum est, quod cladis Chaeronensis nuncio allato cum a multis pavore consternatis metueretur, ne properaret cum victore exercitu Philippus et urbem ipsam vel oppugnaret vel obsidione clauderet, non ipse quidem urbem muniendam et defendendam deseruisset, at uxorem filiosque clam urbe subduxisset. Actum in eum est *δειλίας* iudicio accusatore Lycurgo apud heliasticos iudices; utrum *γραφῇ* an *εἰσαγγελίᾳ* tum usus sit Lycurgus, non definias[1]); num Areopagus quoque in hominem Areopagitam animadverterit, erat enim Areopago quaedam in omnes Areopagitas iurisdictio[2]), ignoramus; cum Lycurgus (c. Leocr. §. 52.) severitatem constantiamque laudet, qua temporibus illis Areopagus proditores desertoresque patriae capitali supplicio ultus sit, eaque re civitatem ad salutem eum reduxisse affirmet, coniicias eum ignavum socordemque ne in collegas quidem suos fuisse; sed est[3]) qui

---

1) Neque enim propterea, quod orationis argumentum (*ἡ τοῦ λόγου ὑπόθεσις*) Leocrateae simile erat teste grammatico eo qui Leocrateae hypothesin scripsit, opus est ut eodem iudicii genere in utraque re usus sit orator, id quod contra Nissenum monuit iam Maetznerus p. 71.

2) Aeschin. c. Ctesiph. p. 411. *οὐκ ἀγαπῶσιν (οἱ Ἀρεοπαγῖται) ἐάν τις παρ' αὐτοῖς μὴ ἀδικῇ, ἀλλ' ἐάν τις ἐξαμαρτάνῃ, κολάζουσιν.* 3) Plutarch. Phoc. 16.

Areopagum timidiorem tum dicat sese praebuisse quam illa tempora tulerint. Capitis damnatum esse Autolycum ab heliastis non recte coniecit Nissenus (p. 66.), quem iam muralis illa inscriptio refellit, si quidem ea ad hunc pertinet, immo non constat, qua in eum poena vindicatum sit. Prooemium eius orationis servavit incertus auctor *Τέχνης τοῦ πολιτικοῦ λόγου*, quam edidit Seguier (Notice du Ms. Grec. Paris. 1840. 4. p. 34. sq.): *Ἐκ δὲ τῶν πραγμάτων* (sc. *λαμβάνεται τὸ προοίμιον*), *ὡς Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Αὐτολύκου· „Πολλῶν δὲ καὶ μεγάλων ἀγώνων εἰςεληλυθότων, οὐδέποτε περὶ μειζόνων ἦκτε δικάσοντες.“* Anonymus ap. Walz. 7, 54. sola haec habet: *ἀπὸ τοῦ πράγματος* (sc. *λαμβάνεται τὸ προοίμιον*) *ὡς Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Αὐτολύκου.* — *Ἠρία* sive sepulcra sic in hac oratione commemoraverit orator, ut ab Autolyco deserta maiorum sepulcra diceret [1]). Si vera est coniectura, quam supra (p. CXXII.) commendavimus, posuerit etiam hic Autolycum quantum in ipso esset commisisse ut Attica deserta et pecoribus pascendis relicta (*μηλόβοτος*) esset.

III. IV. Dicendum iam est de duabus Lycurgi orationibus contra Lycophrona (Kiessling. p. 36. sqq.). Reum Butadam fuisse iam C. O. Muellerus (Minerv. Poliad. p. 17.) coniecit, id quod Nissenum fugit, qui p. 67. idem statuit; fortasse ille non tantum gentilis sed etiam propinquus et agnatus erat oratoris, quem scimus et patre fuisse Lycophrone et Lycophrona filium reliquisse; certe non abhorruerit ab severitate

---

1) Cf. Lyc. c. Leocr. c. 8. *ἐγκαταλιπόντα δὲ τὰς τῶν προγόνων θήκας.* §. 147. *τὰ μνήματα αὐτῶν ἀφανίζων.* §. 59. *τοὺς τετελευτηκότας — τῶν πατρίων νομίμων ἀποστερῶν.* §. 97. Ipsam vocem *ἠρία* orationi c. Leocr. §. 109. Coraes et Wurmius de coniectura restituerunt admodum incerta.

oratoris, ne suis quidem parcere, si quos delinquentes in legem offendisset. Utraque autem oratio in εἰσαγγελίᾳ ὕβρεως et prior quidem in priore actione, cum de re, altera in secunda actione habita esse videtur, cum de poenae sive litis aestimatione ageretur. Lycophrona in eo iudicio ab Hyperide esse defensum iam olim statui (de lit. Attic. p. 260.), Hyperidis autem orationem ad εἰσαγγελίαν pertinuisse apparet ex Polluce 8, 52. ὅτι δὲ ὁ εἰσάγγελλας καὶ οὐχ ἑλὼν ἀζήμιος ἦν, Ὑπερείδης ἐν τῷ ὑπὲρ Λυκόφρονός φησι, atque reprehenderit ni fallor Hyperides, quod accusator non mitiore et aequiore iudicio sit usus: certe huc rettulerim fragmentum ap. Polluc. 9, 56. ἐν μέντοι τῷ Ὑπερίδου ὑπὲρ Λυκόφρονος εὗρον γεγραμμένον· „ἢ νεωρίων προδοσίαν ἢ ἀρχείων ἐμπυρισμὸν ἢ καταλῆψιν ἄκρας“; ea enim suppleverim: εἰσαγγέλλειν χρή, οὐ μέντοι τοιοῦτό τι νεανίευμα. Cf. Demoath. c. Conon. p. 1261. Iam ut ὕβριν illis orationibus exagitatam in stupro constitisse arbitrer quod fuerit homini libero illatum, duo sunt, quae me moveant. Primum enim in alterutra illarum orationum extitisse videtur communis locus, quo in moechos invectus est orator; namque in Theonis loco (Progymnasm. c. 2. p. 162. Walz.): Ὁμοίως τὸν καλούμενον τόπον παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἔστιν εὑρεῖν — ἔτι δὲ καὶ Λυκούργου κατὰ μόσχου ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος vix dubitari potest, quin a Valesio recte rescriptum sit κατὰ μοιχοῦ. Etenim etsi Lysias orationem κατὰ Μόσχου scripsit et utriusque oratoris nomina saepe a librariis confunduntur, quominus tamen his abutens coniiciam [ἐν τῷ] Λυ[σίου] κατὰ Μόσχου [καὶ] ἐν τῷ [Λυκούργου] κατὰ Λυκόφρονος, obstat cohaerentia sermonis, quae postulat, ut in verbis κατὰ μόσχου insit significatio argumenti, in quo locus ille communis versetur. — Alterum quod me movet, hoc est, quod Hipparchi memoriam eius, qui Pisistrati

fuerit filius, in his orationibus extitisse ex Harpocratione apparet (cf. Kiessling. p. 44.); nam illum constat ab Harmodio et Aristogitone propterea necatum esse, quod cum Harmodius noluisset cum ipso stupri consuetudinem habere, eam ignominiam sorori eius intulisset, ut Panathenaeis inter virgines canephoros eam esse non pateretur, caussatus illam domo nobilem non esse, ad id autem sacrum munus non admitti nisi εὐγενῶν filias. Ea igitur memoria sic usus fuerit orator, ut comprobaret stupra et flagitia quantam perniciem afferrent nonnunquam iis, qui culpae affines essent. Vana est Nisseni coniectura, qui (p. 67.) Lycophrona in virgines κανηφόρους aliquid superbe egisse inde colligit, quod canephoros in his orationibus commemoratas esse Harpocratio doceat; eam enim memoriam probabilius Kiesslingus p. 44. cum Hipparchi memoria coniunxit. Theonis (p. 155. Walz.) testimonio affirmantis in Midianam Demosthenem quaedam derivasse ex Lysiae et Lycurgi orationibus περὶ ὕβρεως sic utitur Kiesslingus p. 38. sq., ut contra Lycophrona orationes ante Midianam habitas esse efficiat. Verum fortasse minus tribuendum est isti testimonio; neque enim credibile est Theonem in orationum tempora tam diligenter inquisivisse, ut quae apud eos oratores eadem vel similiter dicta invenisset, uter prius dixerit, uter ab altero mutuatus sit, recte potuerit iudicare. Cautius Athenaeus loco eo, quem Kiesslingus p. 38. adscripsit.

Quodsi de illarum orationum argumento recte statui, non est dissimile veri fragmentum, quod apud Harpocr. v. Ἀνδραποδιστής extat (Kiessling. p. 40.), si sententia tantum spectetur, sic fere esse redintegrandum: θαυμάζω δ' ἐγὼ εἰ τοὺς ἀνδραποδιστὰς [μὲν, τοὺς] τῶν οἰκετῶν ἡμᾶς ἀποστεροῦντας μόνον, θανάτῳ ζημιοῦν, [τοὺς δὲ εἰς παῖδας καὶ γυναῖκας ἐλευθέρων ὑβρίζοντας καὶ τὰς

τὰς ψυχὰς τῶν ἡμῖν οἰκειοτάτων διαφθείροντας εἰς χρήματα ζημιοῦν ἀξιοῦντε]. Ceterum Dobraeus Bekkerus Baiterus de coniectura scripserunt: ζημιοῦμεν. — Fragmentum, quod Suidas v. *Μοχθηρία* servavit (Kiessl. p. 45.), novissimus Suidae editor sic restituit: οὐ γὰρ ὅσιον [τὸν] τοὺς [μὲν] γεγραμμένους νόμους δι' ὧν ἡ δημοκρατία σώζεται παραβαίνοντα ἑτέρ[οις] δὲ μοχθηρῶν ἐξηγητὴν ἐθῶν καὶ νομοθέτην γενόμενον ἀτιμώρητον ἀφεῖναι, in quibus placet τὸν additum, nec displicet ἑτέροις pro ἑτέρων repositum, μὲν autem particula careri posse arbitror. Vehementer vero displicet ieiunum illud γεγραμμένους, cuius loco erat κειμένους dicendum, neque illud cum verbis Lycurgi c. Leocr. §. 5. ἅπασι δὲ τοῖς γεγραμμένοις ἔνοχον ὄντα componere debebant Turicenses p. 92; nam hic τὰ γεγραμμένα esse γραφῆς s. accusationis capita, ut in §. 56: ἔνοχός ἐστι τοῖς εἰσηγγελμένοις ἅπασιν verbo τὰ εἰσηγγελμένα capita εἰσαγγελίας significantur, recte alii perspexerunt; cf. Maetzner p. 82. Hinc aliquid intercidisse arbitror, veluti τοὺς [ὑπὸ Σόλωνος, vel κάλλιστα] γεγραμμένους. An γεγραμμένοι νόμοι opponantur τοῖς ἀγράφοις? — Lycurgus c. Leocr. §. 115.: ἀτιμώρητον ἐᾶν. — In fragmento p. 47. pro Harpocrationis πεφασμένης — γεγενημένης ap. Phot. et Suid. est: πεφαμένος — γεγενημένος. — In novissimo fragm. p. 46. ἄνοικος ordini litterarum ap. Harpocr. melius convenire verissime monuit Sauppius. Denique his in orationibus poterant etiam locum habere fragmenta, quae inter ἀπαράσημα rettulit Kiessl., tum duo Stobaei, prius ὅταν γυνὴ ὁμονοίας τῆς πρὸς ἄνδρα στερηθῇ, ἀβίωτος ᾖ καταλειπόμενος γίγνεται βίος.; dein alterum ὅσοι τοῖς ἀπὸ τῆς φύσεως ἀγαθοῖς ἐπὶ τὰ χείρω χρῶνται, τούτοις πολέμια τὰ εὐτυχήματά ἐστιν. Ὡς εἴ τις ἀνδρεῖος ὢν ληίζεσθαι μᾶλλον ἢ στρατεύεσθαι προαιρεῖται, ἢ ἰσχυρὸς ὢν λωποδυτεῖν μᾶλλον ἢ συμβουλεύειν (hic aliquid turbatum est, neque enim συμβουλεύειν aut tanquam effectum

τοῦ ἰσχυροῦ aut tanquam oppositum τοῦ λισποδυτεῖν commode cogitaveris, quare intercidisse quaedam arbitror in hunc fere modum resarcienda: ἢ ἰσχυρὸς ὢν λισποδυτεῖν μᾶλλον ἢ [ἀμύνειν τοῖς ἀδικουμένοις, ἢ ξυνετὸς ὢν πανουργεῖν μᾶλλον ἢ] συμβουλεύειν), ἢ καλὸς ὢν μοιχεύειν μᾶλλον ἢ γαμεῖν· οὗτος τῶν ἀπὸ τῆς φύσεως ἀγαθῶν ὑπαρξάντων προδότης ἐστίν, tum hoc Rutilii Lupi (Kiessl. p. 124.) „cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimae, oculi ad petulantem lasciviam, manus ad rapinam, venter ad aviditatem, membra quae non possumus honeste appellare, ad omne genus corruptelae," etc.

V. Orationem in Lysiclem (Kiessl. p. 46. sqq.), Chaeronensis cladis imperitum an infelicem imperatorem, Nissenus (p. 68.) in εἰσαγγελίᾳ statuit habitam esse; equidem in medio relinquo, utrum hic an in εὐθύναις sit habita. Quod eum unum accusavit Lycurgus omissis Charete et Stratocle, qui etiam ipsi exercitui Attico tum praeerant, Nissenus inde repetivit, quod penes illum eo die summa imperii (ἡ πρυτανηΐη) fuerit. At fortasse hic Lycurgo visus est maiorem eius cladis culpam quam reliqui sustinuisse; aut huic Lycurgus, reliquis alii diem dixerunt. Habitam eam orationem esse recenti admodum dolore fidem facit primi fragmenti (Kiessl. p. 47.) acerbitas. Quod hic posuit orator cives tum mille caesos, bis mille captos esse, idem et alii habent et Demades (fr. p. 488.) δισχιλίους γὰρ αἰχμαλώτους ἄνευ λύτρων καὶ χιλίων πολιτῶν σώματα ἄνευ κήρυκος λαβών.

VI. Oratio c. Menesaechmum (K. p. 50. sqq.) habita est contra eum qui aerario publico post Lycurgum praefectus et oratorem ipsum cum animam ageret, et fato defuncti liberos accusavit. Habitam eam in εἰσαγγελίᾳ esse iam Kiesslingus ex Harpocr. v. Ἀρχνωρός docuit, et quia fragmenta pleraque ad res sacras

pertinent, iudicium illud ἀσεβείας fuisse coniecit. Licet vero etiam ulterius progredi; videtur enim ἀσέβεια illa ad sacrificium theoriamque Delum missa pertinuisse. Probatur id primum testimonio Dionysii Halicarnassei; hic enim (Vol. V. p. 616.) inter orationes Dinarchi iudiciorum publicorum, quae sint sublestae fidei, commemorat utramque pro Menesaechmo orationem, quae Dionysio iudice ad Menesaechmum potius ipsum auctorem sint referendae; earum vero priorem esse de sacrificio Delum misso[1]). Neque enim dubium est, quin hac se defenderit Menesaechmus adversus illam Lycurgi orationem; θυσίαν autem τῆς Δήλου iam Boeckhius[2]) docuit fuisse sacrificium Atticorum theororum Delum missorum. Dein idem efficitur aliquot fragmentis ipsius Lycurgeae orationis, ex quibus apparet commemoratos in ea esse primum Deliastas, tum parvam illam insulam Ἑκάτης νῆσον, quae non procul absit ab Delo, dein Apollinis sollemnia, denique Apollini sacram εἰρεσιώνην; neque mediocriter huc facit Hyperboreorum et Abaridis memoria, quae in ea extitit oratione; nam fabulosi illi Hyperborei in Atticis fabulis ferebantur per Athenienses esse Prasiis Delum deducti[3]). — His expositis ipsa consideremus fragmenta. Atque primum quidem (Kiessl. p. 51.) ex Nonno sic est ab K. editum: Λυκοῦργος δὲ ὁ ῥήτωρ μέμνηται τοῦ Ἀβάριδος ἐν τῷ κατὰ Μενσαίχμου λόγῳ, λέγων ὅτι „λιμοῦ γενομένου ἐν τοῖς Ὑπερβορέοις ἦλθεν ὁ Ἄβαρις ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ ἐμισθώτευσε τῷ Ἀπόλλωνι καὶ ἐδιδάχθη παρ' αὐτοῦ τὸ χρη-

1) Περὶ Μενσαίχμου λόγους ἀμφοτέρους, ὧν ὁ μέν ἐστι περὶ τῆς Δήλου θυσίας, ubi ὑπὲρ pro περὶ Μεν rescribendum esse monuimus p. XII. n.

2) Erklärung einer Attischen Urkunde über das Vermögen des Apollinischen Heiligthums auf Delos p. 15. not. 4.

3) Boeckh. l. c. p. 3.

σμολογεῖν καὶ οὕτω κρατῶν τὸ βέλος ὡς σύμβολον τοῦ Ἀπόλλωνος — τοξότης γὰρ οὗτος ὁ θεός — περιῄει χρησμολογῶν πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα“ •in quibus haud scio sitne pro καὶ οὕτω κρατῶν τὸ βέλος rescribendum: καὶ ὀϊστοῦ κρατῶν, ἔχων τὸ βέλος. Eo vero fragmento non ipsa Lycurgi verba referri iam illud ἦλθεν ἐν τῇ Ἑλλάδι docet, quod fere abhorret ab antiquiorum pedestris orationis scriptorum usu [1]), placuit autem grammaticis et scholiastis [2]). Paullo diligentius in Lycurgi verbis describendis versatus esse videtur scholiasta Bodleianus, quem Turicenses repetiverunt: ὁ δὲ ῥήτωρ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου φησίν, ὅτι „λιμοῦ γενομένου ἐν τοῖς Ὑπερβορέοις ἐλθὼν ὁ Ἀβαρις ἐμ. τῷ Ἀπ. καὶ μαθὼν χρησμοὺς παρ᾽ αὐτοῦ, σύμβολον ἔχων τὸ βέλος τοῦ Ἀπόλλωνος, περιήει ἐν τῇ Ἑλλάδι μαντευόμενος“. Quamquam ipsam manum oratoris ut ne ab hoc quidem exhiberi arbitrer, facit μισθωτεύειν verbum, quod ab oratorum aetate abhorret. — In altero fragm. quod Suidas v. Προηροσία praebet: Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου· „καὶ γὰρ νῦν πολλὰς καὶ μεγάλας ὑμῖν τιμὰς ὀφείλω καὶ ζητῶ παρὰ πᾶσιν Ἕλλησι μαντευομένους τὸν Δία προηροσίαν ποιήσασθαι“, in hoc igitur ζηλῶ pro ζητῶ MSS. A B habent, ex neutro autem probabilem sententiam elicias; neque μαντευόμενος quod pro μαντευομένοις Sauppio, aut τῇ Δηοῖ quod Valesio Kustero Sauppio, aut τὸν θεὸν κελεῦσαι ἰδίᾳ quod Bernhardyo pro τὸν Δία placuit, multum nos iuvat. Mihi primum in ζητῶ et ζηλῶ latere videtur ζήλους; nam τιμαὶ καὶ ζῆλοι saepe ab ora-

1) Diversae enim naturae sunt exempla a Bernhardyo Synt. p. 208. sq. collecta.

2) Maittaire de Dialect. p. 102. Matth. Gr. Gr. §. 577. Argum. orat. Lycurg. ἦλθεν ἐν Ἀθήναις. Argum. orat. Antiph. V. εἰσελθόντων ἐν αὐτῷ.

toribus coniunguntur, veluti ab Demosth. p. 267, 14. 641, 8. in quem locum cf. quae eruditissimus Weberus p. 255. commentatur; dein τὸν Δία crediderim ortum esse ex διὰ τὸ, id autem alieno loco legi. Totum igitur locum sic fere rescripserim: καὶ γὰρ καὶ νῦν πολλὰς καὶ μεγάλας ὑμῖν τιμὰς ὀφείλεσθαι καὶ ζήλους παρὰ πᾶσιν Ἕλλησι, διὰ τὸ μαντευομένους προηρόσιαν ποιήσασθαι [κελεύσαντος ὑμῖν τοῦ θεοῦ, ὑμᾶς τότε τὴν θυσίαν ταύτην ὑπὲρ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων ἀναδέξασθαι καὶ θῦσαι].

VII. VIII. Transeo ad duas adversus Demadem orationes (Kiessl. p. 62. sqq. Nissen. p. 69. sqq.). Earum alteram accusationem, alteram defensionem fuisse tum ex verbis Suidae „κατὰ Δημάδου, Ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν“ apparet, quibuscum Eudocia (in Villoison. Anecd. I. p. 281.) conspirat, nisi quod haec vocem ἀπολογίαν omittit, tum idem confirmatur ab lexicographis, qui orationem Lycurgi κατὰ Δημάδου non minus quam eius orationem πρὸς Δημάδην excitant. Atque defensio quidem videtur post accusationem esse scripta, quippe quae post eam commemoretur. Cum autem ex fragmento eo, quod Athenaeus (XI, 476. d.) servavit (Kiessl. p. 65.), collato cum Diodoro 16, 87. colligi posse videatur accusationem Philippo superstite sed post proelium Chaeronense instituam esse (cf. Lhardy p. 23. 64. sq.), defensio Lycurgi adversus Demadem multo magis illa pugna posterior est. Hanc in εὐθύναις habitam ab Lycurgo esse, cum in ea opportunitate ab Demade esset accusatus, inscriptio qua Suidas utitur, docere videtur, nisi forte, ut iam supra significavimus, verba ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν ab antecedentibus Ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτὸν sic dirimenda sunt, ut iis alius orationis titulus significetur, idque eius quam Harpocratio quater inscriptione ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται usus commemorat. Si autem in εὐθύναις ea

Lycurgi oratio habita est, hae ab Demade institutae euthynae priores fuerint eo iudicio, quo ab Menesaechmo arcessitus est orator; pertinuerintne autem ad summam aerarii an ad alius sive muneris sive curationis administrationem, multa enim constat administrasse Lycurgum, parum scio. Quocumque autem iudicii genere cum Lycurgo egerit Demades, quin absolutus Lycurgus sit, dubitari non sinunt verba vitae scriptoris (p. 8. Kiessl.): *μηδένα ἀγῶνα ἆλοὺς καίτοι πολλῶν κατηγορησάντων.* Prior vero oratio, quae *κατὰ Δημάδου* erat inscripta, cum possit, si solum titulum spectas, videri aut in privato iudicio, in aliqua earum caussarum quae *κατά τινος* dicebantur, aut in publico habita esse, duo sunt quae suadeant, ut eam ad hoc potissimum genus referamus. Primum enim Lycurgus numquam, quod sciam, actoris personam in caussis privatis sustinuit; dein vitae scriptor (p. 10. K.) testatur, *γραψάμενος — καὶ Δημάδη τὴν Δημέου — εἷλεν*, id quod docet Demadem ab Lycurgo *γραφῆς* iudicio arcessitum in eoque iudicio victum condemnatumque esse; unde credibile est Demadem correptum dolore propter cladem eo in iudicio acceptam mox Lycurgo diem dixisse. *Γραφὴν* eam *παρανόμων* fuisse probabiliter statuit Kiessl. (p. 64.), praesertim cum Demadem septies *παρανόμων* convictum esse Plutarchus (Phoc. c. 27.) scribat; Suidas vero ut cum Diodoro concilietur, etiam illi erit *τρὶς* pro *δὶς* reddendum, id quod quasi praeteriens moneo. Rogatio autem Demadis, propter quam a Lycurgo *παρανόμων* est accusatus, ad Philippi honores pertinuisse videtur; probabile id redditur fragmento per Athenaeum servato, cuius iam supra meminimus (p. 65. Kiessl.). Rogasse Demadem, ut Philippus inter XII deos referretur templumque ei construeretur, non credo rhetorum figmentis scholasticae exercitationis caussa factis (Apsin.

T. IX. p. 470. Walz.), quae si essent fide digna, ob istam ipsam rogationem putarem Demadem παρανόμων ab Lycurgo esse accusatum. Ceterum ex accusationibus παρανόμων, quibus Demades ter vel septies petitus est, unam praeterea accuratius novimus, eam dico, quam ob proxeniam Euthycrati Olynthio rogatam Hyperides instituit, de qua post Kiesslingum de Hyperide orat. II. p. 14. sqq. egi in commentatione de proxenia (p. 1. sq.). Altera videri possit esse a Polyeucto in Demadem facta (cf. Kiessling. p. 64.); nam Polyeucti in Demadem oratio (cf. Lhardy p. 24. p. 50. sqq.) quin in iudicio παρανόμων habita sit dubitari nequit. At etsi Polyeuctus ea oratione accusavit rogationem de statua aenea Demadi collocanda factam, non tamen ipse poterat Demades eo iudicio arcessi, cum credibile non sit Demadem ipsum eius rogationis auctorem fuisse eamque populo suasisse; immo κατὰ Δημάδου ea oratio dicitur, quod Demades potissimum in ea impugnatus est, ut Aeschinis oratio „contra Ctesiphontem" ab nonnullis minus accurate „contra Demosthenem" dicitur, quod ea Ctesiphon nomine tantum, re autem vera Demosthenes petitus est.

IX. X. Ἀπολογισμὸς ὧν πεπολίτευται et περὶ διοικήσεως s. περὶ τῆς διοικήσεως (Kiessl. p. 69. sqq. Nissen. p. 71. sqq.). His titulis duas diversas orationes significari Harpocratio probat, qui quattuor locis illi, huic octo locis testimonium denunciat; hanc Suidas quoque commemorat et eo quidem loco, ubi Lycurgi orationes data opera enumerat; illam praetermisisse putandus est, nisi verbis Ὑπὲρ τῶν οὐσιῶν dirimendis ab superioribus Ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτὸν illa ipsa oratio significata est, id quod iam Pinzgerus et Taricenses coniecerunt. Et priori quidem oratione Lycurgus omnis administrationis publicae omniumque rerum ab se publice gestarum, altera solius aerarii curatio-

nis rationes reddidisse videtur. In illa igitur persecutus fuerit orator opera publica sacrave se curatore vel inchoata perfectaque vel tantum perfecta; eo pertinet, quod *νεώρια καὶ νεώσοικοι*, quod *ἐδωλιάσαι* s. *ἐδωλιᾶσαι*, quod *ἑκατόμπεδος* in ea oratione commemorata sunt. Cum autem inter germanas Dinarchi orationes iudiciorum publicorum ab Dionysio Halic. (de Dinarch. p. 651.) recenseatur etiam oratio, cui inscriptum fuerit *κατὰ Λυκούργου εὐθύναι*, nescio cuinam scripta — nam Dinarchus ut peregrinus non poterat suo ipsius nomine reum facere Lycurgum — cumque Lycurgus in decreto Stratoclis dicatur *διδοὺς εὐθύνας πολλάκις τῶν πεπολιτευμένων ἐν ἐλευθέρᾳ καὶ δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει*, possit quispiam in eam adduci opinionem ut illarum orationum altera adversus Dinarcheae orationis actorem, altera adversus alium ex multis illis, qui Lycurgum accusarint, responsum esse statuat. Nihilominus in alia omnia discedo, atque illarum orationum neutram in iustis *εὐθύναις* apud iudices habitam esse arbitror. Etenim titulorum auctores, si adversus certas quorundam accusationes oratorem illis orationibus se defendere repperissent, maluissent, opinor, *ἀπολογίαν πρὸς τὸν δεῖνα*, vel *πρὸς τὸν δεῖνα εὐθυντικόν* eas orationes inscribere. Quid quod, ni fallor, iustae *εὐθύναι* ne poterant quidem per leges omnium rerum ab oratore per longam annorum seriem gestarum simul institui, sed suo cuiusque muneris tempore erant faciendae. Neque tamen cum Nisseno fecerim, qui (p. 72. sqq.) orationem *περὶ διοικήσεως* s. *περὶ τῆς διοικήσεως*, quia non sit *περὶ τῆς ἑαυτοῦ διοικήσεως* inscripta, omnino negat ad Lycurgi quaesturam rationesque propter eam reddendas peculiariter pertinuisse, sed in universum vult in ea oratorem de aerarii admistratione recte instituenda disseruisse. Itaque in concione et apud populum illis ora-

tionibus coniicio Lycurgum adversus malevolorum de se sermones ita se defendisse, ut priore omnium rerum ab se gestarum, altera aerarii tantum ab se administrati rationes exponeret.

Breviter reliquarum orationum fragmenta expedire licebit, adeo nihil nobis reliqui fecit Kiesslingi industria. Orat. XI. (K. p. 90.) *Ἰσχυρίας* nomen tum ex aliis innotuit inscriptionibus tum ex Rossii „die Demen“ n. 3. et 188. Fueritne oratio *πρὸς Ἰσχυρίαν*, ut Suidas v. *Λυκοῦργος*, an *κατ' Ἰσχυρίου*, ut Harpocr. v. *Στρωτήρ* eam dicit, an duas adversus hominem orationes habuerit orator, alteram *κατ' Ἰσχυρίου*, alteram *πρὸς Ἰσχυρίαν*, in medio relinquo. — XII. (Kiessl. p. 91.) Quod de oratione, quam Suidas v. *Λυκοῦργος πρὸς τὰς μαντείας* dicit, v. *Καυχᾷ* autem *περὶ μαντειῶν* nuncupat, vaticinia ad quae oratio ea pertinebat, videntur talia fuisse, quibus Athenienses vel novas religiones suscipere vel veteres novis sollemnibus ornare, vel delubra sacella arasve extruere aut ornare, vel rem divinam facere iubebantur, cuius generis, ut his utar exemplis, tum ea sunt oracula quae in Demosthenis Midiana extant, tum id est, de quo ementitus Plutarchus in vita Lycurgi (p. 11. Kiessl.) scribit *ἐπηγγείλατο χρυσώσειν τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν ἀγορᾷ κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ θεοῦ*, de quo supra (p. LXXXI. cf. Add.) disserui. Quodsi verendum erat, ne sumptibus propter ea oracula faciendis nimis oneraretur aerarium, erat sane praefecti aerario dissuadere et dehortari et ad aerarii necessitates inopiamque populum advertere; cf. Lys. c. Nicom. §. 17. In alia omnia discedere videtur Boeckheneckeus (I. p. 739. not. 2.). Is enim cum huius orationis titulo locos quosdam [1]) contulit, qui fidem fa-

1) Dinarch. c. Dem. p. 55. §. 98.: *καὶ φυλάξασθε, καθάπερ οἱ θεοὶ προειρήκασιν ὑμῖν ἐν ταῖς μαντείαις πολλάκις,*

ciunt, statuisse eum oracula, de quibus hac in oratione actum sit, esse post cladem Chaeronensem edita et in praetores quosdam oratoresque ut illius cladis auctores populi odium concitasse, a quibus ut sibi caverent, Apollo studiosus ille Philippi hortatus sit Athenienses. Contra ista oracula non inepte verba fecerit Lycurgus, qui etiam ipse ab illorum oratorum partibus stetit. — In fragmento uno, quod extat, huius orationis qui compellatur fortasse is est qui vaticinia rettulit commendavitque civibus; ipsum fragmentum ut probabiliter expedirem, non magis mihi contigit quam cuiquam decessorum. — XIII. XIV. Tandem dicendum de orationibus *περὶ τῆς ἱερείας* et *περὶ τῆς ἱερωσύνης*. Cum illa inscriptio vicies apud Harpocr. extet, ei plus tribuendum est, quam aut titulo *περὶ ἱερείας*, qui semel apud Suidam et semel apud Priscianum, aut *περὶ ἱερατείας*, qui semel in quibusdam libris Suidae v. *Λυκοῦργος* reperitur. *Ἱερείας* vero cum omnes de sacerdote femina intellexissent, unus Nissenus de sacerdotio interpretatus est eiusque glossema vult esse *περὶ ἱερατείας*, inscriptiones enim *περὶ ἱερείας* et *περὶ ἱερωσύνης* eiusdem esse orationis. Istorum nihil mihi placet. Nam primum Suidas v. *Προχαριστήρια* fragmentum orationis *περὶ τῆς ἱερωσύνης* excitat, dein *ἱέρειαν* de sacerdote femina dicere Atticorum est, *ἱερεία* de sacerdotio num apud Atticos scriptores reperiatur dictum, nescio. Ex fragmentis autem orationis *περὶ τῆς ἱερείας*, quae aetatem tulerunt, alia ut *ἐκεμύησα*, *πέλανος*, *ἐπιτελεῖν*, *ἐπετελέωμα*, *προτέλεια*, *ἐσχάρα*, *οὐρβεις* probant de sacrificiis et de re sacra faciendo in

τοὺς τοιούτους ἡγεμόνας καὶ συμβούλους. Rhett. Gr. IV. p. 569. Walz.: μετὰ τὰ ἐν Χαιρωνείᾳ χρωμένοις περὶ τῆς ἥττης ἔχρησεν ὁ Θεὸς ἡγεμόνων κακότητι γεγενῆσθαι τὴν ἧτταν. ἀντιπροβάλλονται ἐλλίβανος οὐ στραγγὸς καὶ οὐ ῥήτορες.

ea actum fuisse, alia, veluti *Νίκη Ἀθηνᾶ*, *Ὑγεία Ἀθηνᾶ* et *τριτόμηνις*, efficiunt eam ad Minervam pertinuisse, denique alia, ut *Σκίρον*, *Πλυντήρια*, *Ἐτεοβουτάδαι*, *τραπεζοφόρος*, docent ad Minervam Poliadem eiusque sacerdotem ex Eteobutadis captam vel capiendam spectasse. Illud autem mihi parum constat, utrum pertinuerit oratio ad *διαδικασίαν* sive illius sacerdotis cum aliis sacerdotibus de reditibus vel de sacrificiis litigantis, sive Eteobutadarum quorundam id sibi sacerdotium vindicantium, an apud populum in concione vel apud nomothetas habita sit, ut lex vel plebiscitum de sacerdote Poliadis perferretur. Ex fragmentis maxime me exercuit illud, quod est ap. Harpocr. s. v. *Μίκων*: *καὶ Μίκωνα τὸν γράψαντα ἕως τὰς τριάκοντα μνᾶς ἐζημίωσαν*, ubi in *ἕως τὰς* accusativus eorum quos pinxit latere et *μνατῖς* rescribendum videtur.

IV.

De Lycurgi oratione in Leocratem.

Lycurgi in Leocratem oratio ut his novissimis triginta annis id doctorum hominum studium concitarit, haud scio an minus virtutibus suis debeat, quam vitiis, quibus inquinata per librariorum socordiam necdum liberata est. Non quo hic quoque usu venerit, ut „amatorem amicae turpia deciperent vitia aut etiam ipsa haec delectarent“, sed uti medici gravioribus morbis diligentiorem curationem adhibent quam leviter aegrotantibus atque ex desperatis sanandis plurimum gloriae se acquirere sciunt, ita hic criticorum concursus factus est, qui multa illa vitiosa et corrupta quae insunt, emendare conabantur. Namque etsi oratio tum mascula quadam severitate excellit, quae ubi de periculis pro patria subeundis agatur, non transigi decidive patiatur, tum illustrium rerum antiquarum memoria abundat atque nobilibus poetarum locis tamquam luminibus distincta est, neque denique reliqua vel sententiae vel dicendi praestantia plane caret: exaggeratae tamen acerbitatis virus in obscurum mercatorem octavo demum post fraudem ab eo, si diis placet, commissam anno evomitum ab se ita absterret, ut in legendo de ipsa accusationis veritate dubites atque nonnumquam haesites, improbine calumniatoris vel sophistae, qui dicebatur, an iusti accusatoris libellum in manibus habeas. Sententiarum vero, quas continet, ieiunitas

imagini illius viri, quam ex rerum ab eo gestarum fama et ex vitae enarrationibus tibi adumbraveris, adeo mediocriter convenire videtur, ut si hinc aestimanda sit Lycurgi facultas orandi, sane cum Turicensibus editoribus dicendum fuerit, meliorem illum civem quam oratorem fuisse. Illis autem maculis eluendis, quibus adspersa est oratio per scribarum neglegentiam, ita nondum suffecit singularis quam dixi doctorum hominum industria, ut verear, ne ante meliores libros inventos reddi integritati omnino non possit. Inutile fuerit percensere omnia, ubicumque ab superiorum interpretum iudicio mea discrepet sententia, aut illorum contentione nondum veram medicinam inventam esse arbitrer; satis habebo de nonnullis locis breviter disserere, qui aut cum pro sanis sint hucusque habiti, tamen aegrotare, aut cum non recte valere iam diu apparuerint, nondum ut par erat curati, sed aliis et magis salutaribus remediis indigere videantur. In hac autem huius libelli particula perscribenda rationem etiam habiturus sum censurarum, quas God. Hermannus editionis prioris ab Turicensibus curatae et Frankius commentariorum in Leocrateam ab Maetznero confectorum in diariis antiquitatis [1]) divulgarunt.

Itaque §. 1. sq. cum Tayloro et Turicensibus facio, qui *δικαίαν — καὶ εὐσεβῆ καὶ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ὑπὲρ τῶν θεῶν τὴν ἀρχὴν τῆς κατηγορίας — ποιήσομαι* rescripserunt, cum Maetznerus *ἡμῶν*, quod librorum est, retinuerit. — §. 2. *Εὔχομαι γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ — ἐμὲ μὲν ἄξιον ὄν τῇ τήμερον ἡμέρᾳ τῶν Λεωκράτους ἀδικημάτων κατήγορον ποιῆσαι, ὃ καὶ τῷ δήμῳ καὶ τῇ πόλει συμφέρει.* God. Hermannus (l. c. 1835. p. 590.) *συμφέροι* coniecit, alioquin verba *ὃ — συμφέρει* et inutilia

1) Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1835. n. 74. sqq. 1837. n. 6. sqq.

et parum apta esse, id quod mihi secus videtur. Qui enim sit inutile aut parum aptum, oratorem statim in orationis initio precantem ab diis immortalibus, ut semet accusatorem convenientem dignumque rei sceleribus faciant, illud etiam addere: „id enim votum e republica et e populari imperio est“? — Pergit in eo voto: *ὑμᾶς δὲ ἀπαραιτήτους δικαστὰς μὴ παρέχοντας συγγνώμην — γενέσθαι.* Verba *μὴ παρέχ. συγγν.* ego quoque servanda et similis epexegesis exemplo, quod extet §. 13., defendi arbitror, quamquam Frankius (l. c. 1837. p. 65.) et id additamentum iciunius dicit esse neque *παρέχειν συγγνώμην* ut graecum comprobari credit locutionibus *παρέχειν φιλότητα, εὔνοιαν.* — Precatio desinit in verba: *εἰ δὲ μήτε τὸν προδόντα τὴν πατρίδα μήτε τὸν ἐγκαταλιπόντα τὴν πόλιν καὶ τὰ ἱερὰ εἰς τουτονὶ τὸν ἀγῶνα καθίστημι.* Sententia transpositionem articuli postulare videtur: *εἰ δὲ τὸν μήτε προδόντα τὴν πατρίδα μήτε ἐγκαταλιπόντα τὴν πόλιν κ. τ. λ.*

§. 8. *ὥστε μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν, μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι τιμωρίαν ἀξίαν τῶν ἁμαρτημάτων. Τί γὰρ χρὴ παθεῖν τὸν ἐκλιπόντα μὲν τὴν πατρίδα — ἅπασαν δὲ τὴν πόλιν ὑποχείριον τοῖς πολεμίοις παραδόντα; τὸ μὲν γὰρ μέγιστον καὶ ἔσχατον τῶν τιμημάτων θάνατος ἀναγκαῖον μὲν ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμιον, ἔλαττον δὲ τῶν Λεωκράτους ἀδικημάτων καθέστηκε.*] Locus etsi vehementer exercuit doctos interpretes, nondum tamen satis expeditus est. Alii enim modo priora omnia *μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἐνδέχ. εὑρεῖν ἀξίαν*, modo sola *μήτε τιμωρίαν* pro spuriis habent, alii contra posteriora *μηδὲ — τῶν ἁμαρτημάτων* in fraudis suspicionem vocarunt; nihil autem istorum probabile est. Etenim superiora *μήτε κατηγορίαν — εὑρεῖν ἀξίαν* cum infra paucis versibus post in libris repetantur, illuc aliquo

ex loco male translata sint necesse est, atqui is locus alius nullus potest esse quam hic, in quo nunc ipsum versamur. Sola autem verborum *μήτε τιμωρίαν* eiectio haberet etiam id incommodi, quod sic *μήτε κατηγορίαν ἐνδέχεσθαι εὑρεῖν ἀξίαν μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι* necesse esset sibi responderent, id quod per grammaticam rationem fieri nequit, quamquam vel talia sunt qui artificiis quibusdam explicent et exemplis tueantur. Neutra vero neque priora neque posteriora omitti posse inde apparet, quod in iis quae statim sequuntur, duplicis sententiae ratio redditur, primum eius sceleris cur poena satis digna inveniri omnino nequeat, dein cur nulla legibus constituta sit; huius sententiae argumentum inest in verbis §. 9: *παρεῖσθαι δὲ τὴν ὑπὲρ τῶν τοιούτων τιμωρίαν συμβέβηκεν οὐ διὰ ῥᾳθυμίαν τῶν τότε νομοθετούντων κ. τ. λ.*, prioris ratio extat in verbis *τί γὰρ χρὴ παθεῖν*. Unum igitur illud speciosum est, quod God. Hermannus proposuit, ut sola *τιμωρίαν ἀξίαν τῶν ἁμαρτημάτων* eiiciantur. Sane ne id quidem offensione caret; cum enim sic ad *μηδὲ ἐν τοῖς νόμοις ὡρίσθαι* repetendum sit *μήτε κατηγορίαν μήτε τιμωρίαν ἀξίαν*, possit quispiam opponere, legibus poenae modum non accusationis modum definiri; at vero licet illud ad iudicii genus referre, quo accusator utatur, ad *εἰσαγγελίαν*, ad *γραφὴν* vel simile quid, id autem erat sane legibus cautum. Quodsi verborum *τί γὰρ χρὴ — καθέστηκε* indolem recte explicavimus, novissima *τὸ μὲν γὰρ μέγιστον κ. τ. λ.* non possunt nisi antecedentium *τί γὰρ χρὴ — παραθόντα* rationem continere; inde consequitur, illa nullo modo ad poenas legibus sancitas sed necessario ad poenas accusatoris et iudicum aestimatione rogatas pertinere; quod si ita est, apparet *ἀναγκαῖον μὲν ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμιον κ. τ. λ.* vera esse non posse; nam de *ἐπιτιμίοις ἐκ τῶν νόμων* derivatis agitur in verbis demum

§. 9. *παρεῖσθαι δὲ — γενήσεσθαι.* Hinc in eam incidi coniecturam, ut „*ἐκ τῶν ἐννόμων ἐπιτιμίων*“ rescriberem. Sic sententia haec efficitur: ex vindictis iis, quae quidem legitimae sunt rogarique possunt ab accusatoribus, mors sane maxima, at minor est Leocratis scelere. Etenim fingi sane possunt supplicia, quae tormentis cruciatibusque additis vel mortem superent, at non erant illa legibus Atticis concessa, non erant illa *ἔννομα ἐπιτίμια.* —

§. 9. *διὰ τὸ μὴ ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν μήτε ἐν τοῖς μέλλουσι ἐπίδοξον εἶναι γεγενῆσθαι.* Probo eorum rationem qui *μήτε* pro *μὴ* rescribendum et alterum *γεγενῆσθαι* tollendum esse statuerunt. Difficilius est de iis iudicare, quae mox sequuntur: *δεῖ ὑμᾶς γενέσθαι μὴ μόνον τοῦ νῦν ἀδικήματος δικαστὰς ἀλλὰ καὶ νομοθέτας. ὅσα μὲν γὰρ τῶν ἀδικημάτων νόμος τις διώρικε, ῥᾴδιον τούτῳ κανόνι χρωμένους κολάζειν τοὺς παρανομοῦντας. ὅσα δὲ μὴ σφόδρα περιείληφεν ἑνὶ ὀνόματι προσαγορεύσας, μείζω δὲ τούτων τις ἠδίκησεν, ἅπασι δὲ ὁμοίως ἔνοχός ἐστιν, ἀναγκαῖον τὴν ὑμετέραν κρίσιν καταλείπεσθαι παράδειγμα τοῖς ἐπιγιγνομένοις.* Praetereo quod accuratae oppositionis ratio postulabat *ἀλλὰ καὶ τῶν μελλόντων νομοθέτας.* Verum novissima a me impetrare non possum ut pro sanis habeam; offendor imprimis eo, quod neque *τούτων* neque *ἅπασι* habent aut in iis quae antecedunt aut in iis quae sequuntur, quorsum referri possint. Nam si *τούτων* volueris esse *τῶν ἑνὶ ὀνόματι προσαγορευθέντων* et ad *ἅπασι* supplueris *ὀνόμασι*, sententiam habebis inanem, quam vel grammatica ratio parum admittet. Dein non caret offensione, quod se in protasi ter excipiunt *ὅσα δὲ* et *μείζω δὲ* et *ἅπασι δὲ*; quamquam non ignoro, quibus exemplis saepius in protasi repetita *δὲ* particula defendatur. Denique quidpiam molesti etiam in construc-

ctione

ctione ὅσα δὲ — ἅπασι δμοίως ἐνοχός ἐστιν inest. Aegrotare igitur locum arbitror, medicinam autem, qua illis malis medear, non habeo.

§. 13. sq. Ἀδύνατον γάρ ἐστιν ἄνευ τοῦ λόγου μὴ δικαίως δεδιδαγμένους δικαίαν θέσθαι τὴν ψῆφον. Tueor hic ἄνευ τοῦ λόγου, variis modis tentatum, quippe quorum epexegesin esse statuam μὴ δικαίως δεδιδαγμένους. Similis est ratio loci, de quo supra dixi, §. 2. ἀπαραιτήτους δικαστὰς μὴ παρέχοντας συγγνώμην. — §. 14. Aliam dicit orator huius iudicii rationem esse, aliam aliorum, quibus privati homines arcessantur. Ignotus enim aliquis si iudicetur, non permanare ad reliquos Graecos, utrum bene an secus iudices officium exsecuti sint, sed intra Atticae fines circumscriptam manere laudis vel dedecoris iudicum famam; de Leocrate autem iudicium qualecumque fuerit, in omnium Graecorum sermone fore. Ἐπιφανής τε γάρ ἐστι διὰ τὸν ἔκπλουν τὸν εἰς Ῥόδον καὶ τὴν ἀπαγγελίαν ἣν ἐποιήσατο καθ' ὑμῶν πρός τε τὴν πόλιν τὴν τῶν Ῥοδίων καὶ τῶν ἐμπόρων τοῖς ἐπιδημοῦσιν ἐκεῖ, οἳ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περιπλέοντες δι' ἐργασίαν, ἀπήγγελλον ἅμα περὶ τῆς πόλεως ἃ Λεωκράτους ἀκηκόεσαν, οἳ ἴσασι τὰ τῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων ἔργα ἐναντιώτατα τοῖς τούτῳ διαπεπραγμένοις ὄντα. Hic aut de coniectura Heinrichii alterum οἳ mutandum est in καὶ, ut sibi respondeant ἅμα et καὶ (cf. §. 29. 31. 50.), aut verba οἳ ἴσασι — ὄντα hinc releganda et inferius collocanda sunt; in hunc fere modum: ᾧ πλεῖστον διαφέρετε τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, τῷ πρός τε τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς καὶ πρὸς τοὺς γονεῖς ὁσίως καὶ πρὸς τὴν πατρίδα φιλοτίμως ἔχειν, τούτου (libri: τούτῳ) [τοῖς ἴσασι τὰ τῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων ἔργα ἐναντιώτατα τοῖς τούτῳ διαπεπραγμένοις ὄντα] πλεῖστον ἀμελεῖν δόξαιτ' ἄν, εἰ τὴν παρ' ὑμῶν οὗτος διαφύγοι τιμωρίαν. Aliter Frankius; is enim (l. c. p. 77.) haec οἳ ἴσασι — ὄντα in superiorem locum post περὶ δὲ τού-

τον ὅ τι ἂν βουλεύσησθε, παρὰ πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν ἔσται λόγος reiicienda putat. —

§. 19. sq. Φυρκίνου nomen etsi aliunde incognitum, habet tamen, quo ut derivatum ab φύρκος, defendatur; cf. Pape p. 9. n. 7. Keil Anal. Epigr. p. 124. — Ἐὰν δὲ μηδέτερον τούτων ποιῶσιν, ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῶν νόμων καὶ τῆς δημοκρατίας κλητεύσομεν αὐτούς. Distinctio Baitero, κλητεύσομεν Tayloro debetur; reliqui enim sic distinguunt, ut coniungant ποιῶσιν ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῶν νόμων καὶ τῆς δημοκρατίας, atque in libris est: κλητεύσωμεν. —

§. 22. sqq. δεηθεὶς τοῦ κηδεστοῦ πρίασθαι παρ' αὐτοῦ τἀνδράποδα καὶ τὴν οἰκίαν ἀποδόσθαι ταλάντου. Orator ut comprobet, omnem reditus spem quanto opere abiecerit Leocrates, commemorat Amyntam socerum arcessitum ab illo Megara ibique rogatum esse, ut de ipso mancipia domumque emeret eaque illi venisse talento. Namque τἀνδράποδα καὶ τὴν οἰκίαν ad utrumque et ad πρίασθαι et ad ἀποδόσθαι pertinent. Pretium autem adiecit Lycurgus fortasse, quod vilius fuerit, quo non vendidisset reus, nisi de suo reditu plane desperasset. Mancipia cum mox Amyntas Timochari triginta quinque minis vendiderit, apparet domum illi minis XXV constitisse; quod si vile est, domus necesse est satis ampla fuerit; cf. Boeckh. Oec. Civ. Athen. I. p. 72. — Timochares quod nummis caruit, non solvit Amyntae praesentem pecuniam, sed syngraphen fecit atque ex ea deposita apud Lysiclem μίαν μνᾶν τόκον ἔφερε τῷ Ἀμύντᾳ. Vitium fecisse eam orationem satis comprobavit Maetznerus, neque vero invenit, qui illud emendaret; equidem periclitabar: μίαν [δραχμὴν ἀνὰ] μνᾶν τόκον ἔφ. i. e. centesimas usuras menstruas ferebat. — Philomelus Cholargensis et Menelaus, quibus Amyntas quadraginta minas solvisse dicitur, creditores erant Leocratis, cre-

ditique nomine illa iis numerata est pecunia; reliquis igitur XX minis sic usus est Amyntas, ut earum partem ad τοὺς ξράνους διενεγκεῖν conferret, partem ipsi Leocrati redderet. Menelaus dicitur ὁ πρεσβεύσας πρὸς τὸν βασιλέα; qua vero in opportunitate iverit ille ad Persarum regem legatus, non magis scio, quam quando Atrometus Aeschinis frater natu minimus fuerit ἀξίως τῆς πόλεως ὑπὲρ ὑμῶν πεπρεσβευκὼς πρὸς τὸν τῶν Περσῶν βασιλέα (Aeschin. F. L. §. 149. p. 315.). Verum Menelai legatio cadit fortasse in annum Ol. CXI, 1. postquam Darius trecenta talenta Athenas misit, ut bellum in Graecia Alexandro conflaret; cf. Boehnecke Forschungen I. p. 627.

§. 25. sqq. οὐ γὰρ ἐξήρκεσε τὸ σῶμα τὸ ἑαυτοῦ καὶ τὰ χρήματα μόνον ὑπεκθέσθαι. Fortasse ante τὸ σῶμα intercidit αὐτῷ, ut §. 26. est οὐκ ἐξήρκεσεν αὐτῷ τοσαῦτα — ἀδικῆσαι. Alius enim generis sunt exempla, in quibus ἐξαρκεῖν legitur non addito dativo, veluti Demosth. Mid. p. 557, 5. οὐδὲ — ὕδωρ — ἂν ἐξαρκέσειεν, c. Aphob. 817, 11. τότ' ἐξαρκέσει περὶ αὐτῶν εἰπεῖν. — Pergit orator §. 26. Λεωκράτης δὲ οὔτε νομίμων οὔτε πατρῴων οὔτε ἱερῶν φροντίσας. Aliis aliud placuit; bene multi unum οὔτε sustulerunt, eorumque alii id quod ante πατρῴων, alii id quod post illud extat; Urbanus (ap. God. Hermannum p. 600.) οὔτε ἐθῶν πατρῴων coniecit, denique Frankius librorum scripturam tuitus ita explicat: „gesetzliche, herkömmliche, religiöse Einrichtungen". Verum sic πατρίων dicendum erat; inane est enim, quod πατρῴων verbum significatione πατρίων dictum ita excusat, quod inter νομίμων et ἱερῶν interpositum nullam pati dicit dubitationem [1]). Mihi primum

1) „Denn wenn auch πατρῷα gewöhnlich das väterliche Erbgut bezeichnet, so ist es doch zwischen νόμιμα und ἱερά keinem Missverständniss ausgesetzt."

hic tria, non duo tantum distingui vel eo nomine probabile est, quod similiter infra tria commemorantur. §. 36. *προδότης ἐστὶ τῆς πατρίδος καὶ τῶν ἱερῶν καὶ τῶν νόμων.* §. 149. *ἐγὼ — τῇ πατρίδι βοηθῶν καὶ τοῖς ἱεροῖς καὶ τοῖς νόμοις.* Dein *πατρῴων* verum esse nequit; non quo penates non neglexerit, quos evocatos Athenis Megara accessivit (cf. §. 25. et 56.); nam ex ipsa §. 25. satis apparet sacrorum illorum evocatione imminutam visam esse eorum religionem; sed quod tum ineptum fuerit inter *νόμιμα* et *ἱερὰ* penates commemorare, tum *τὰ πατρῷα* per se neque addito *ἱερὰ* vocabulo ne potest quidem penates significare, adeo in usu est *τὰ πατρῷα* de bonis a patre relictis dicere. Quare rescribendum arbitror: *τῶν πατρίων*; namque recte et distinguuntur et coniunguntur quae legibus, quae moribus maiorum, quae religione sancita sunt, et *πάτρια* cum *πατρῷα* saepius a librariis confunduntur, etiam in hac oratione §. 56.

§. 28. sq. *παρεκαλεσάμην γὰρ αὐτοὺς πρόκλησιν ὑπὲρ τούτων ἁπάντων γράψας καὶ ἀξιῶν βασανίζειν τοὺς τούτου οἰκέτας.* Neque haec pro sanis, neque eorum interpretationem eam, quam Schoemannus et Maetznerus commendarunt, pro vera habeo. Si enim hic de testibus ageretur, qui *προκλήσει* de servis exhibendis factae interfuisse se testarentur, non appareret utique, qui eos testes orator dicere potuisset *μὴ δώσοντας ἔλεγχον ἀλλὰ δεδωκότας.* Istiusmodi enim testes poterant non minus quam quicumque alii fallere iudicem et cui rei non interfuissent interfuisse se testari. Quod igitur dicit orator *δεῖν — ὑπὲρ τηλικούτων ἀδικημάτων — τοὺς μάρτυρας μὴ δώσοντας ἔλεγχον μαρτυρεῖν ἀλλὰ δεδωκότας*, fieri nequit quin ad servorum indicia tormentis expressa spectet; *ἔλεγχος* enim reliquorum quidem testium est iudicium *ψευδομαρτυρῶν*, horum

quasi testium est βάσανος; ita recte reliqui i. e. iusti verique testes ὡσαύτως, servi autem tormentis interrogati ἀναγκάτες ἔλεγχον μαρτυρεῖν dicuntur. Non dubito igitur, quin προσαναλεσάμην de coniectura Taylori scribendum sit. — Quod §. 29. est πολὺ δοκεῖ δικαιότατον καὶ δημοτικόν, Turicenses secuti suspicionem Reiskii rescripserunt: δημοτικώτατον. Mihi positivus cum superlativo coniunctus non magis est offensioni quam fuit Maetznero; cf. §. 40. et Thuc. I, 1. μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων. Exempla habet Lobeckius Paralip. p. 41. —

§. 30. sq. πολὺ ἥττον — τῶν λεγομένων ἄν τι ἠρνήθησαν ἢ τὰ μὴ ὄντα τοῦ αὐτῶν δεσπότου κατεψευσαντο. Discedo in Bekkeri sententiam qui pro τῶν λεγομένων coniecit: τῶν γενομένων. Ea demum iusta est oppositio, τὰ λεγόμενα autem et τὰ μὴ ὄντα sibi non recte opponuntur. — §. 31. τῶν δὲ δικαίως τὰς κρίσεις ἐνισταμένων καὶ τοὺς ἐνόχους ταῖς ἀραῖς ἀκριβῶς ἀποδεικνύντων. Utut placuerit oratoribus ἀραῖς ἔνοχον εἶναι dicere, id quod Maetznerus exemplis comprobavit, huic tamen loco magis convenit: ἐνόχους ταῖς γραφαῖς. —

§. 39. ἡνίκα ἡ μὲν ἧττα καὶ τὸ γεγονὸς πάθος τῷ προσηγγέλλετο. Ita libri, quod editores qui supplent πάθος τῷ ἡμῷ προσηγγ., praeterviderunt, quam ingrata esset huius verbi intra duos versus repetitio; mihi probabilius videtur post τῷ intercidisse στρατοπέδῳ, id quod non ex προσηγγ., sed ex γεγονὸς pendet. —

§. 45. sq. τὸν μηδὲ ξυναγαγεῖν μηδ' ἐπ' ἐκφορὰν ἐλθεῖν ἀξιώσαντα τῶν — ἐν Χαιρωνείᾳ τελευτησάντων. Alii aliud tentarunt, mihi placet Dobraei ξυνεξαγαγεῖν, neque tamen cum Dobreo ejecerim μηδ' ἐπ' ἐκφορὰν ἐλθεῖν, quae si vel maxime essent ἀσύνταμα, nihil

tamen offensionis haberet synonymorum concervatio, quippe quae et maiori perspicuitati inserviret et rei gravitatem augeret; locum autem habet ea aggregatio non minus in disiunctione per οὐδέ et μηδέ, quam in coniunctione per καὶ particulam facta, veluti ap. Demosth. de cor. p. 272, 20. οὐκ εἶξα οὐδ' ὑπεχώρησα. p. 323, 11. οὐκ ἀπὸ τῆς ἐμῆς πολιτείας οὐδὲ προαιρέσεως. Verum ne sunt quidem plane synonyma; nam ἕλθειν ἐπ' ἐκφοράν idem significat, quod ἀκολουθεῖν ἐπ' ἐκφοράν, quod παρεπέμπειν, i. e. „sequi funus", ἐξενεγκεῖν autem est „simul efferre funus." — §. 46. probo Reiskii coniecturam „καὶ μὴ νομίζειν ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς τοιούτους λόγους τῶν δημοσίων ἀγώνων" rescribentis pro eo, quod in libris est τους τοιούτους τῶν δημοσίων ἀχῶνας. Certe minus placent Maetzneri et Frankii conatus, quorum ille τῶν τοιούτων τοὺς δημοσίους ἀγῶνας rescripsit atque τῶν τοιούτων de viris intellexit, qui pro patria occubuissent, hic τοῖς τοιούτοις τοὺς δημοσίους ἀγῶνας confecit, τοῖς τοιούτοις autem neutrum voluit esse referendumque dixit ad τὰ μικρῷ πλείω ἃ βούλεται διελθεῖν, non animadvertens oratori, id si voluisset significare, dicendum potius fuisse: ἀλλότρια εἶναι τὰ τοιαῦτα τοῖς δημοσίοις ἀγῶσι.

§. 48. sq. καὶ τοῖς ἄριστα ἀνδράσιν ἐξ ἴσου τῶν κινδύνων μεταςχόντες οὐχ ὁμοίως τῆς τύχης ἐκοινώνησαν. Ita libri, editorum plerique: ἀρίστοις, G. Hermannus (l. c. p. 601.): τοῖς ἄριστα ἀνδραγαθήσασιν ἐξ ἴσου, Frankius: τοῖς ἄριστα omisso ἀνδράσιν, id quod comparat cum τοῖς μάλιστα et similibus; mihi videtur τοῖς ἀριστεύσασιν ἐξ ἴσου scribendum esse; §. 108. Λακεδαιμόνιοι δ' ἐν Θερμοπύλαις παραταξάμενοι καὶς μὲν τύχαις οὐχ ὁμοίως ἐχρήσαντο, τῇ δ' ἀνδρείᾳ πολὺ πάντων διήνεγκαν. — §. 49. εἰ δὲ δεῖ καὶ παραδοξότατον μὲν εἰπεῖν ἀληθὲς δέ, ἐκεῖνοι νικῶντες ἀπέθανον. τὰ γὰρ ἆθλα

τοῦ πολέμου τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐστὶν ἐλευθερία καὶ ἀρετή, ταῦτα γὰρ ἀμφότερα τοῖς τελευτήσασιν ὑπάρχει. Alterum γὰρ audacius iusto est vel plane ejicere, vel δὲ eius loco rescribere; neque vero defenditur illud iis locis, in quibus ita sese excipiunt enunciationes, quae γὰρ continent, ut posterior quaeque prioris rationem reddat, quod ubi usu venit, vel ter vel septies enunciata, quae γὰρ particulam habent, sequi se possunt; cf. ut hoc utar, Platon. Apolog. Socr. c. 31. c. n. Engelhardti p. 225. Dem. c. Eubulid. §. 44. sq. p. 1312, 24. Equidem conieci: ἃ γὰρ ἄλλα — ἀρετή, ταῦτα γὰρ ἀμφότερα, et repetitum γὰρ eo facere dixerim, ut redeat oratio ad enunciatum interposito enunciato altero intermissum. Demosth. c. Leoch. p. 1087, 3. §. 20. sq. χρόνῳ δ' ὕστερον οὐ πολλῷ — τοῖς γὰρ μετὰ ταῦτα λόγοις ἤδη σφόδρα τὸν νοῦν προσέχετε — ὁ γὰρ Λεωκράτης — ἐπανῆλθεν αὐτὸς εἰς τοὺς Ἐλευσινίους. — Denique in verbis ἔπειτα δὲ οὐδ' οἷόν τ' ἐστιν εἰπεῖν ἧττης αἰτίους ego queque malim οὐδ' ὅσιον, ut ap. Isocr. Paneygr. §. 92. est οὐ γὰρ δὴ τοῦτό γε θέμις εἰπεῖν ὡς ἡττήθησαν. —

§. 51. sqq. εὑρήσετε δὲ. „Immo γάρ.“ Sauppe. Verum δὲ explicandi caussa positum non tantum poetarum est, inprimis Pindari (Aristoph. Av. 584., ubi schol. ὁ δὲ ἀντὶ τοῦ γάρ. Pindar. Ol. 6, 3. 13, 58. Hartung. de Partic. Graec. p. 167.), immo reperitur etiam apud prosae orationis scriptores, veluti ap. Thucydidem (I, 37. φασὶ δέ. 5, 30. παρεκάλεσαν δέ. ib. 54. Καρνεῖος δέ), Demosthenem (1119, 20. σκοπεῖτε δέ) alios. — §. 53. ἀξίους εἶναι νομίζων τῆς ἐσχάτης τιμωρίας. Malim ἀξίους αὐτοὺς εἶναι. —

§. 63. sq. εἰ δ' ὅλως μηδὲν τούτων πεποίηκεν, οὐ μανία δήπου τοῦτο λέγειν ὡς οὐδὲν ἂν γένηται παρὰ τοῦτο. Ita libri, οὐδὲν ἂν ἐγένετο Coraes, Maetznerus, id vel

οὐδὲν γεγένηται Bekkerus, hoc Turicenses in ed. I., οὐδὰν ἂν γένοιτο Sauppius in ed. II. Mihi οὐδὲν γεγένηται probabilitate praestare videtur, nisi praeferas: οὐδὲν ἓν γεγένηται. — §. 66. αὐτὸ ἐσκόπουν τοῦτο, εἰ πέφυκε τὸ ἀδίκημα τοῦτο ἐπὶ πλεῖον ἐλθὸν μέγα βλάπτειν τοὺς ἀνθρώπους. Alterum τοῦτο neque est necessarium et ex superioribus male repetitum videtur. Mox in enunciato ἆρ' οὐκ ἀπεκτείνατ' αὐτόν; ἐγὼ μὲν οἶμαι δικαίως, εἴπερ ἐμέλλετε καὶ τοὺς ἄλλους σώσειν, malim transponi: ἆρ' οὐκ ἀπακτείνατ' αὐτὸν δικαίως; ἐγὼ μὲν οἶμαι. —

§. 78. τίνι δ' ἂν τὴν πατρίδα προὔδωκε μείζονι προδοσίᾳ; τὸ γὰρ τούτου μέρος ἐκλελειμμένη πολεμίους ἐποχειριός ἐστιν. Ita libri. Wesselingii παρέδωκε μείζονα verum esse dubitari nequit, praesertim cum aint satis frequentia exempla verborum προδιδόναι et παραδιδόναι a librariis confusorum (cf. etiam §. 128.); at προδοσίᾳ neque plane abiecerim, quippe quod perspici nequeat qua fraude intrusum fuerit, neque ita ut nunc est reliquerim; quae enim ab Ged. Hermanno proposita est eius explicatio, ut sit fere i. q. „ὁ προδεδωκώς" vix ratione usuve comprobari potest, et ut possit, hypophora sic comparata rationis explicationem eam quae sequitur, tulerit non magis quam superiores, quae omnes ea carent, veluti ποῦ δ' ὑπὲρ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἤμυνεν ἂν ὃ μηδένα κίνδυνον ὑπομείνας; — neque denique distinctione ea locum adiuverim, quam Heinrichius et Bekkerus probarunt „μείζονα; προδοσίᾳ; τὸ γὰρ"; namque cum τίνι propter παρέδωκε pro masculino habendum sit, non potest προδοσίᾳ eo pertinere, ut hypophorae illi respondeatur. Vide igitur, sitne locus hac potius transpositione sanandus: μείζονα; τὸ γὰρ τούτου μέρος προδοσίᾳ ἐκλελειμμένη. —

§. 80. sqq. *καὶ γὰρ παλαιῶν ὄντων τῶν τότε πεπραγμένων, ὅμως ἰσχνῶς ἐστιν ἐν τοῖς γεγραμμένοις ἰδεῖν.* Mihi quoque *ἰσχνῶς* displicet, neque vero habeo, quod eius loco substituam; quod enim Coraes de coniectura reposuit *ἱκανῶς*, tum auribus ingratius est post *ὅμως*, tum suapte sponte improbabile ex *ἱκανῶς* librarium in *ἰσχνῶς* aberrasse. Pro *ἐν τοῖς γεγραμμένοις* autem, in quo miror neminem offendisse, expectes potius: *ἐν αὐτοῖς*. — §. 86. *ἢ ζῶντες ἑτέραν μεταλλάξαι τὴν χώραν.* Hic videtur aut cum Schoemanno *ἑτέρας* scribendum aut cum G. Hermanno *τὴν* tollendum, nam *ἑτέραν* plane abiicere audacius est, qui autem librorum scripturam tuetur Frankius, is haud scio sitne subtilius quam verius versatus. —

§. 102. sqq. *Βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τὸν Ὅμηρον παρασχέσθαι ἐπαινῶν.* Hic Reiskius: *τῶν Ὁμήρου παρασχ. ἐπῶν*, idque probat G. Hermannus; Sauppius *ἐπαινοῦντα* coniecit, illud autem vult i. q. *μάρτυρα* significare. Facio cum Reiskio, nisi malis: *καὶ τῶν Ὁμήρου παρασχέσθαι ἐπαίνων.* Fortasse *ἐπαινῶν* hic tollendum et inferius collocandum est, in hunc fere modum: *οἱ δὲ ποιηταὶ — μετὰ λόγου καὶ* [*ἐπαίνων καὶ*] *ἀποδείξεων τοὺς ἀνθρώπους συμπείθουσιν.* — §. 105. Probo librorum quorundam scripturam: *καίτοι εἰ τῶν ἀφ' Ἡρακλέους γεγενημένων, οἳ δεὶ βασιλεύουσιν ἐν Σπάρτῃ, τοὺς παρ' ὑμῶν ἡγεμόνας ἀμείνους ὁ θεὸς ἔχρινε*, quamquam recentiores plerique ex aliis libris ediderunt *τοῖς — γεγενημένοις*. Neque enim, postquam praecessit *τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀνεῖλεν*, attinebat commemorari iterum, quibusnam Apollo id dixerit, neque deus ille regibus solis sed omnino Spartanis id oraculi edidit, neque *κρίνειν τινί* est „dicere alicui se id iudicium ferre", contra e re cum maxime erat dicere, Atheniensium duces vel ipsis Heraclidis praestantiores iudicasse Apollinem. —

§. 116. *μὴ δῆτα, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὑμῖν οὔτε πάτριον ἀναξίως ὑμῶν αὐτῶν ψηφίζεσθε.* Ita libri, verum neque hoc, neque aut *ὑμῖν οὕτω πάτριον*, quod editorum plerique, aut *ὑμῖν οὗτοι πάτριον*, quod nonnulli de coniectura reposuerunt, aptam praebet sententiam, si vel maxime *πάτριον* absolute dictum esse statuatur pro *πάτριον ὄν*; quod Turicensibus vero placuit, *μὴ δῆτα, ὦ ἄνδρες δικασταί. ὑμῖν οὗτοι πάτριον ἀναξίως ὑμῶν αὐτῶν ψηφίζεσθαι*, et quod Frankio arrisit, *μὴ δῆτα, ὦ ἄ. δικασταί. οὐδὲ γὰρ πάτριον — ψηφίζ.*, utrumque sententiam plane ieiunam habet; neque enim fingi mortales possunt, quorum fuerit *πάτριον ἀναξίως αὑτῶν ψηφίζεσθαι*, nihil igitur hic Atheniensibus proprium est. Itaque haud scio sitne huic quoque loco medicina similis fere ei adhibenda, qua in §. 102. usi sumus, ut quae verba iustae offensioni sunt, in locum inferiorem ablegemus, in hunc modum: *μὴ δῆτα, ὦ ἄ. δικασταί, ἀναξίως* [*καὶ τῶν προγόνων καὶ*] *ὑμῶν αὐτῶν ψηφίζεσθε. καὶ γὰρ εἰ μὲν ἦν τι τοιοῦτον γεγονὸς ἦν ψήφισμα, εἶχεν ἄν τις εἰπεῖν ὡς ὑμῖν οὔτε πάτριον* [*καὶ*] *δι' ὀργὴν μᾶλλον ἢ δι' ἀλήθειαν ἐποήσαντε.* „Nolite igitur“, inquit „pati, iudices, ut quae maioribus vestris et vobismet ipsis indigna sint, ea iudicetis. Etenim si unum modo extaret huiuscemodi plebiscitum, posset quispiam contendere, illud neque patrium vobis fuisse et ex ira potius quam ex veritatis ratione esse profectum.“ —

§. 123. sq. *ὁπότε γὰρ ἐκεῖνοι ἀνάστατον τὴν πόλιν οὖσαν τὸν λόγῳ μόνῳ προδιδόντα οὕτως ἀπέκτειναν.* Non hic *οὕτως* adverbio certa quaedam species capitalis poenae indicatur, sed eo spectat, quod sine mora, quod continuo (ohne weiteres, ohne Umstände) capitis illum oratorem damnarunt Athenienses. Is autem significatus adverbiorum „οὕτως“ et „sic“ satis

notus; cf. si tanti est, Platon. Phaedr. §. 24. Theaetet. §. 2. Gorg. §. 44. Cratyl. §. 45. 62. Phileb. §. 5. — Mox in verbis „καὶ ὅτ' ἐκεῖνοι τοὺς ἐπιχειρήσαντας τῆς παρὰ τοῦ δήμου σωτηρίας ἀποστερεῖν οὕτως ἐκόλασαν, τί ὑμᾶς προσήκει τὸν αὐτοῦ τοῦ δήμου τὴν σωτηρίαν προδόντα ποιῆσαι;" retineo quod unum cohaerentiae orationis convenit „αὐτοῦ", quamquam nonnulli editores ex duobus libris „αὐτὴν" receperunt. Etenim non sibi opponuntur τῆς σωτηρίας et τὴν σωτηρίαν, sed ἡ παρὰ τοῦ δήμου et ἡ αὐτοῦ τοῦ δήμου σωτηρία. Eadem fere sententia est Frankii. — §. 124. αἱ πατέρες ὑμῶν πεπονθότες ὑπὸ τῶν πολιτῶν, οἷα οὐδεὶς πώποτε τῶν Ἑλλήνων ἠξίωσεν. Novissimo vocabulo facile careas, neque tamen illud tollendum est, praesertim quum non appareat, quo id consilio librarius additurus fuerit, qui non repperisset apud oratorem; habet autem explicatum facilem; ut enim ἀξιοῦν nonnumquam significat „non detrectare" (cf. Buttmann. Ind. in Dem. Mid. s. v.), ita οὐκ ἀξιοῦν est „detrectare", „nolle pati". Orator igitur „cum essent", inquit „maiores vestri ab civibus suis iniuriis iis affecti, quas nemo umquam Graecorum sibi inferri passus est". —

§. 126. sq. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἀδικημάτων ὑστέρας δεῖ τετάχθαι τὰς τιμωρίας, προδοσίας δὲ καὶ δήμου καταλύσεως προτέρας. εἰ γὰρ προήσεσθε τοῦτον τὸν καιρὸν ἐν ᾧ μέλλουσιν ἐκεῖνοι κατὰ τῆς πατρίδος φαῦλόν τι πράττειν, οὐκ ἔστιν ὑμῖν μετὰ ταῦτα δίκην παρ' αὐτῶν ἀδικούντων λαβεῖν· κρείττους γὰρ ἤδη γίνονται τῆς παρὰ τῶν ἀδικουμένων τιμωρίας. Malim: δίκην παρὰ τῶν ἀδικούντων λαβεῖν. Sic sibi recte opponentur παρὰ τῶν ἀδικούντων et παρὰ τῶν ἀδικουμένων. Illud autem fieri nequit ut ἐν ᾧ μέλλουσιν — πράττειν et αὐτῶν ἀδικούντων sibi opponantur, cum oratori, id si voluisset, dicendum fuerit: παρ' αὐτῶν ἀδικησάντων vel ἠδικηκότων, neque enim poenae aliorum

delictorum sumuntur tum, cum peccatur, sed postquam demum peccatum est. — §. 127. *διομωμόκατε δ' ἐν τῷ ψηφίσματι τῷ Δημοφάντου κτείνειν τὸν τὴν πατρίδα προδιδόντα καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ χειρὶ καὶ ψήφῳ.* Cum Demophanti rogationem non, ut Lycurgus dicit, ad proditionem patriae sed ad maiestatis crimen et ad coniurationem adversus populare imperium (*κατάλυσιν τοῦ δήμου*) pertinuisse ex Andocide (de myst. §. 96. sqq.) appareat: Lycurgus quae eo de plebiscito tradit, memoriter indicandus est satisque neglegenter perscripsisse; itaque temerarium fuerit ex Lycurgi oratione ipsius rogationis verba ab Andocide servata emendare velle. Verbis *καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ χειρὶ καὶ ψήφῳ* non quattuor res diversae distinguuntur, sed duo tantum insunt opposita, quorum altero alterum quodammodo explicatur, illud est *καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ*, hoc *καὶ χειρὶ καὶ ψήφῳ*. In hoc, quod extat etiam apud Antiph. (V, 92. *ὅστις τε ἂν τῇ χειρὶ ἀποκτείνῃ ἀδίκως καὶ ὅστις τῇ ψήφῳ*), noli *χειρὶ* cum Bergmanno et Godofr. Hermanno (p. 607.) de *χειροτονίᾳ* accipere, immo ex Luzacii explicatione de *αὐθέντῃ* intellegendum est. —

§. 130. *ὁ γὰρ παρὰ τῶν πολιτῶν φόβος ἰσχυρὸς ὢν ἀναγκάσει τοὺς πρὸς πολεμίους κινδύνους ὑπομένειν. τίς γὰρ ὁρῶν θανάτῳ ζημιούμενον τὸν προδότην, ἐν τοῖς κινδύνοις ἐκλείψει τὴν πατρίδα; ἢ τίς παρὰ τὸ συμφέρον τῆς πόλεως φιλοψυχήσει, εἰδὼς ὑποκειμένην αὐτῷ τιμωρίαν; οὐδεμίαν γὰρ ἄλλην δεῖ ζημίαν εἶναι τῆς δειλίας ἢ θάνατον. εἰδότες γὰρ κ. τ. λ.* Novissima non esse sana satis iam suapte sponte apparet; neque enim verum est vitae neminem contra utilitatem reipublicae parciturum esse, poenam si sibi instare sciverit, immo illud sic demum non faciet, si capitis poenam ignavo sibi impendere intellexerit; idem etiam docet superior sententia, cui quae sequitur ad amussim respon-

deat necesse est; ut in superiore non est τίς γὰρ ὁρῶν ζημιούμενον sed θανάτῳ ζημιούμενον, ita in hac non satis est τιμωρίαν verbo. Itaque non solum δεῖ quod uno ex libro adiectum est, sed etiam γὰρ et ζημίαν εἶναι tollenda videntur, quorum γὰρ aut ex versu vel superiore vel inferiore huc illatum aut ex γρ. i. e. γράφεται signo dittographiae ortum, ζημίαν εἶναι autem ipsam διττογραφίαν arbitror esse verborum τιμωρίαν ὑποκειμένην. Locum igitur sic refinxerim: ἢ τίς παρὰ τὸ συμφέρον τῆς πόλεως φιλοψυχήσει, εἰδὼς ὑποκειμένην αὐτῷ τιμωρίαν οὐδεμίαν ἄλλην τῆς δειλίας ἢ θάνατον; Altera scriptura fuerit: εἰδὼς οὐδεμίαν ἄλλην ζημίαν εἶναι τῆς δειλίας ἢ θάνατον. — §. 132. τὰ γοῦν ζῶα πετεινὰ μάλιστα πέφυκε πρὸς τάχος, ἃ ἔστιν ἰδεῖν ὑπὲρ τῆς αὑτῶν νεοττιᾶς ἐθέλοντα ἀποθνήσκειν. Non satis concinnum fuerit, sententiae caput in enunciato secundario, id autem quod minus grave sit, in primario collocari: atqui cardo quasi rei versatur in ἔστιν ἰδεῖν κτλ. Quare Reiskius Heinrichius Coraes, alii recte ἃ ante ἔστιν abiecerunt et post πετεινὰ posuerunt; rectene etiam G. Hermannus ζῶα deleverit, quod sane eo magis abesse poterat, cum τοῖς ἀλόγοις ζώοις praecesserit, non ausim neque affirmare neque negare. —

§. 134. sq. ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ἀνδροφόνων ἤλαυνεν. Leocratem omnis civitas magis quam homicidas exagitasse dicitur, quod hi ex ea demum terra, in qua caedis piaculum commisissent, Leocrates autem undique expulsus sit. — §. 134. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι προδόται, μέλλοντες ἀδικεῖν ὅταν ληφθῶσι, τιμωρίαν ὑπέχουσι. Libri: ὅταν μὴ ληφθῶσι, id vano conatu Maetznerus tueri studuit, ut olim Turicenses; nam hi in posteriore editione „ὅταν συλληφθῶσι“ de coniectura Halmii scripserunt, quod non magis verum est, quam God. Hermanni (p. 607.) προδόται μέλλοντες ἀδι-

κεῖν, ὅταν καταληφθῶσι. Dicendum erat enim, reliquos proditores sic puniri, si in proditionis consilio conatuque „deprehensi“ essent, quibus recte opponitur quod Leocrates peracta demum perfectaque proditione (διαπεπραγμένος ὅπερ ἐπεχείρησε) iudicium subisse dicitur, non autem licebat dicere: „si in eo consilio essent comprehensi.“

Addenda et corrigenda.

Pag. IV, 17. leg. supremum.
- VIII, n. 5, 7. carpatur.
- XXIV, 2. p. 68.
- LVIII, 25. dare (Nep. Timoth. 4.).
- LXII, 14. T. 9. p. 545.
- LXXXI, 22. Adde C. I. 1593, 1. *Βοιωτοὶ τὸν τρίποδα ἀνέθηκαν τῆς Χαρίτεσσι καττὰμ μαντείαν τοῦ Ἀπόλλωνος.* Keil Inscrr. Boeot. n. XVI. *κατὰ χρησμὸν Διὸς Τροφωνίου.* Franz. El. Ep. Gr. p. 335, 8. Nonnumquam quae diis consecrata sunt, *κατ' ὄνειρον* oblata esse dicuntur; cf. Keil ib. p. 100.
- XCIII, 2. Pro affinitate vocalium *o* et *υ* faciunt etiam Boeotica *Σομφόρω* et *Ἀμόντας*, Keil Inscr. Boeot. p. 11.
- CIII. Quae de differentia inter *καλεῖν εἰς πρυτανεῖον ἐπὶ δεῖπνον* et *κ. ε. πρ. ἐπὶ ξένια* statui, non probari videntur Keilio Inscr. Boeot. p. 27.
- CV. Lamponi, vati nobili, coloniae Thurios deducendae cum novem collegis praefecto, victum in prytaneo datum esse tradit Schol. Arist. Av. 521. *ἔτυχε δὲ καὶ τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως*, hinc Schol. Pac. 1083. colligit vatibus omnino id honoris datum esse: *ὅτι καὶ οἱ χρησμολόγοι μετεῖχον τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως, δῆλον ἐκ τοῦ Λάμπωνος ὃς τούτου ἠξίωτο.* Ea si vera sunt, vatibus, ni fallor, iis imprimis, qui imperatoribus additi rei bene gestae laudem reportassent, sive potius in re bene gerenda consiliis suis eos adiuvissent, is victus praemii caussa dabatur perpetuus.
- CXXXI, n. 1. leg. *Μεν.*
- CXXXIII, 30. ut iam alii significarunt.

INDICES.

Confecit Augustus Nauck.

I. Index locorum.

Aelian. V. H. VIII, 10. expl. LX.
Alciphro II, 3. expl. XXI.
Aristoph. Ran. 775. sq. expl. CVII.
Athenaeus IV. p. 137. E. expl. CII.
— VI. p. 237. F. cf. Timocles.
Demosth. F. Leg. p. 365, 8. expl. XXV.
Ps.-Demosth. Epist. III. p. 1478, 15. LV.
Dionys. Hal. V. p. 616. XII. n. CXXXI. n. 1.
— p. 652. XXVII.
Harpocr. v. *Ἀεί* [1]) CXIX.
— v. *Ἀνάγειν* CXX.
— v. *Ἀνδραποδιστής* CXXVIII. sq.
— v. *Ἀξιοῖ* CXIX. sq.
— v. *Ἀποσάξαντα* CXXI.
— v. *Ἀρχιδάμειος πόλεμος* CXIX.
— v. *Βουλεύσεως* LXV.
— v. *Ἡλικία* CXXIV.
— v. *Ἵππαρχος* LXXVI.
— v. *Ἰσοτελής* expl. XLI.
— v. *Κακώσεως* CXX. sq.
— v. *Μίκων* CXXXIX.
— v. *Ὁ κάτωθεν νόμος* expl. XCVII.
— v. *Σύνδικοι* CXVII. sq.
Hesych. v. *Πρυτανεῖον* XCIX. n. 3.
Hyperidis fr. ap. Polluc. IX, 156. CXXVII.
Inscr. Nav. XI, c. 14. XXVI.
— Rossii LXXVIII.
— C. I. 2270. LXXXV. n.
— C. I. 2363, b, 7. Ind. II. v. *Μικίων*.
Lucian. Prom. 4. CXI. n. 1.
Lycurgi or. c. Leocratem CXL—CLVIII.
— fragmm. CXXXVII. sqq. cf CXXIX. sq.
— or. *Ἀπολογισμός* CXXXV. sq.
— — c. Aristogitonem CXXIII—CXXV.
— — c. Autolycum CXXV. sq.
— — c. Demadem CXXXIII—CXXXV.
— — *περὶ διοικήσεως* CXXXV. sq.
— — c. Lycophronem CXXVI. sqq.
— — c. Lysiclem CXXX.
— — c. Menesaechmum CXXX.
Moeris p. 322. CI. n. 3.
Plut. Aristid. 11. expl. XXVII.
— Comp. Nic. c. Crass. 1. XLIV. sq.
— Phoc. 29. expl. XLVII. n.
— Solon. 24. CI.
Ps.-Plut. p. 275. CVIII. n. 4.
— — Vit. Lyc. IV — LXXXII.
Pollux v. Hyperides.
Schol. Aeschin. c. Tim. §. 64. CVI. sq. n. 4.

1) „H. l. Thucydidis mentio spectare videtur ad I, 18.: *ἀπὸ τῶν Μηδικῶν εἰς τόνδε ἀεὶ τὸν πόλεμον*. Senarius qui accedit, *οὕτω μὲν οὖν μοι δεῦρ' ἀεὶ τείνει λόγους* (quicum cf. Schol. Aesch. Eum. 599.: *τὸ ἀεὶ ἐπὶ τοῦ ἕως τάττουσιν Ἀττικοὶ πολλάκις*· „*δεῦρο μέν μοι τόνδ' ἀεὶ τείνει λόγον*“) hunc in modum corrigendus videtur: *οὗτος* (ita iam alii) *μὲν οὖν μοι δεῦρ' ἀεὶ τείνει λόγος*. Vide geminum locum Aristophanis Lysistr. 1135.: *εἰς μὲν λόγος μοι δεῦρ' ἀεὶ περαίνεται*, ubi tragicae dictionis colorem recte agnovit Engerus.“ A. Nauck.

Schol. Aristid. p. 665. Ind. II. v. παρά.
— Nic. Ther. 577. Ind. II. v. Μιχίων.
— Oribas. Ind. II. v. Hermippus.
Steph. Byz. XXVI.
Suidas v. Ἀριστογείτων CXXIII.
— v. Δημάδης CXXXIV.
— v. Ἀνκοῦργος CXXXIII. CXXXV.
Suidas v. Μηλόβοτος CXVIII. sq. CXXI. sqq.
— v. Μοχθηρία CXXIX.
— v. Προηροσίαι CXXXII. sq.
Theo Progymn. p. 162. CXXVII.
Theophrastus ap. Harp. v. Ἰσοτελής XLI.
Timocles ap. Ath. VI. p. 237. F. CII. n. 3. [„ubi leg. προσαγορευτέα cum Meinekio Fragm. Com. edit. min. p. 801.“ A. N.]

II. Index rerum et verborum.

A. *A.*

Ἄβρων an Ἄβρων LXIV.
adiectivorum positivus cum superlativo iunctus CXLIX.
ἀεί particulae collocatio XC. sq.
ἀείσιτος CIX.
aerarii debitorum filii in carceres conjecti LVI.
ἀγραφίου δίκη CXXIV.
ἀμφισβητεῖν de rei vindicatione dictum LXXI.
Anaxicrates ἄρχων LXX.
ἀπογράφεσθαι publice declarare LXXXIII.
Apollo Pythius Atheniensibus πατρῷος LXXXI.
arae in foris positae LXXX.
ἀρχή. interdictum μὴ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτόν XIX.
Areopagitarum iurisdictio CXXV.
ἀργυρεῖα μέταλλα LXXII.
articulus omissus: κατὰ ψήφισμα LXIX.
— ταμιεύσας στρατιωτικῶν LXIV.
ἀστικαὶ et Ληναϊκαὶ νῖκαι XXXVI.
ἄστυ. εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι XXXVI.
ἄστεος φυλακή XXXI. sq.
ἀθάνατος σίτησις cf. victus.
Ἀθηναῖοι et Θηβαῖοι conf. CXXII. n. 1.
Autolycus Areopagita CXXV. CXXVI.
ἀξιοῦν non detrectare CLV.
bellicorum apparatuum praefectus XVIII. XIX.

B. *B.*

Βών nomen CXX. n.
βουλαία Ἑστία XCIV.
βουλεύσεως δίκη CXXIV.

C. *K. X.*

κακοῦργος nominis potestas XXXIII.
καλεῖν εἰς πρυτανεῖον ἐπὶ δεῖπνον et ἐπὶ ξένια CIII. cum Add. CLVIII.
κατὰ μαντείαν, κατὰ χρησμόν, κατ' ὄνειρον LXXXI. cum Add. CLVIII.
Cephisodotus contra quem Lycurgus dixit CXVII. n.
Cephisodotus et Timarchus artifices LXXVIII.
Cephisophontis rogatio de iis quibus prytanei victu interdicendum CII.
ceramici et fori homonymia LXIX. sq.
Χάριτες v. Δήμου.
χεὶρ καὶ ψῆφος CLVI.
χλαῖνα, χλανίς L.
χοροὶ κύκλιοι, χοροὶ παίδων et ἀνδρῶν αὐλητῶν XLII.
χρήματα i. q. δημόσια χρήματα IX. sq.
χρήματα num de vasis et ornatu dicatur LXXXVI.
Chytris quae certamina commissa fuerint XXXVI.
colacretae πρεσβεῖται τῆς δημοσίας εὐτήσεως CII.

columnae acta publica continentes ubi repositae fuerint CXII. sq. columnarum publice statuendarum curam qui magistratus gesserint CXIV. col. inscribendarum pretium quantum fuerit, unde sumptum CXIII. sq.
Conon Timothei filius LVIII.
κόσμος τῆς θεοῦ XXIX.
cosmi sociorum Cretensium CIII.
κύκλιοι χοροί XLII.

D. Δ.

δέ pro γάρ usurpatum CLI.
decretum Hyrcano datum LXXXIX.
decretum Stratoclis CXIV. sq. annotationes in Stratoclis decretum LXXXII—CXIV.
Demadis rogatio de Philippo CXXXIV. sq. de Alexandro LIII. sq. orationes contra Demadem habitae [1]) LVIII. Demades παρανόμων accusatus CXXXV. Demades Paeaniensis et Laciades LXXII.
Δημέας nomen LXXI.
Democles Theophrasti discipulus LVII. sq.
Demophanti rogatio CLVI.
δῆμος et πόλις LXXXIV. sq. τῶν δήμων Βουτάδης VI.
Δήμου καὶ Χαρίτων templum XC.
διανεῖμαι eo significatu quo μερίσαι in' psephismatis dicitur LXXXIV.
δικαστήριον τὸ ἐπὶ (ἐν) πρυτανείῳ XCVI.
Dinias Herchiensis XXVI. sq.
διοίκησις. ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει sive τῆς διοικήσεως X. sq. XVII. LXXXIV.
Diomedes et Lycomedes LXXV.
Dionysius ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως XVII.
διότι pro ὅτι usurpatum LXXXVIII.
Diphilus a Lycurgo accusatus LXXIV.
Diphilus imperator CVII.
dona diis oblata κατὰ μαντείαν, κ. χρησμόν, κατ' ὄνειρον LXXXI, cum Add. CLVIII.

E. E. H.

ἔκγονος et ἔγγονος [2]) nil differunt LX. sq.
Echelidarum in pago num certamina Panathenaeis habita fuerint XXVI.
εἰκόνες in theatro extructae XXXVII. εἰκόνες ξύλιναι LXXVIII. εἰκὼν τελεία LXXVII.
ἐν τόπῳ ἐλθεῖν CXXXII. ἐν ὑστέρῳ XLV.
ἐπιμελητὴς τῶν κοινῶν προσόδων num iustus sit titulus X.
ἐπιστάτης theatri XXVII. sq.
Ἑστίᾳ πρυτανεία s. πρυτανῖτις et Ἑστ. βουλαία XCIV.

1) „Orationis contra Demadem habitae fragmentum hucusque quod sciam neglectum servavit Herodianus περὶ σχημάτων Dind. p. 58, 21. (Walz. Rhett. Gr. T. VIII. p. 602. sq.): Σὺ μὲν γὰρ ἔλαβες, Δημάδη, δῶρα παρὰ Φιλίππου, ἐγὼ δὲ οὐκ ἔλαβον· καὶ σὺ μὲν συνέπινες αὐτῷ κατὰ τῆς πόλεως εὐωχυμένῳ, ἐγὼ δὲ οὐ συνέπινον· καὶ σὺ μὲν συνηνέχθης τοῖς ἐκείνου πρέσβεσι συνομνύμενος, ἐγὼ δὲ οὐ συνηνέχθην. Qui locus cuius sit oratoris, alii iudicent." A. Nauck.

2) „Usitatissimum illud ἔγγονος cum interdum ἔνγονος scribi vidissem, dubitavi nuper utrum ab ἐκ praepositione an ἐν repeterem: cf. Rossii Demen v. Att. p. 142. quae verba male interpretatur v. d. in Gersdorfii Repertor. a. 1846. II. p. 214. Nunc de ν ante γ emollito nulla restat dubitatio. Vide Keilii Inscr. Boeot. p. 188. et C. I. 4310, 5.: ἐρᾶς δικαίων ἐγ γάμων ἰδεῖν σποράν." A. Nauck.

Eteobutadarum sacerdotium hereditarium LXXVII. sq.
Euclides Olynthius XLIX.
Euripidi vindicatur versus anonymus [de quo cf. CLIX. n.] CXIX.
εὐθύνη generalius dictum LXXIII.
ἐξηγητής LXIV.
ἥμισυς, τὰ ἡμίση LII.

F. Φ.

φεύγειν verbi duplex potestas V.
fori et ceramici homonymia LXIX. sq. in foro quae arae fuerint LXXX.
φυλακὴ ἄστεως XXXI. sq.
Φυρκῖνος nomen CXLVI.

G. Γ.

γάρ repetitum CLI.
genitivus. τινὸς τιμὰς γράφειν LXXXI.
— τῶν δήμων Βουτάδης VI.
γραμματεὺς τῆς πόλεως XXXVIII.
γραμμ. ὁ κατὰ πρυτανείαν CXI.
gymnasia Att. antiquiora XXI.

H.

Habro Lycurgi filius ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως XVII. LXVI.
Habro Βατῆθεν LXIV.
heliastarum iusiurandum XVI.
Hermippus Smyrnaeus [1]) VII. sq.
Hyperidis oratio contra Autoclem CXIX. n.

I. Ι.

Ἶβις Lycurgus LXXV.
ἱερεία num Atticum sit CXXXVIII.
ἱεροθυτεῖον Lindiorum CX.
interdictum μὴ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτόν XIX.
Iphicratis adversus Harmodium oratio CVI. n. 1.
Ischomachus σίτησιν ἐν πρυτανείῳ accepisse videtur CVIII. n. 5.
Ἰσχυρίας nomen CXXXVII.
Ismenias Chalcidensis pictor LXXVII.
Isocratis discipuli VII. VIII. Isocratis tres statuae LXIX. n.
iudicia ψευδεγγραφῆς, βουλεύσεως, ἀγραφίου CXXIII. sq.

L. Λ.

Laconistae L. sq. [„Cf. Meinekii Hist. crit. p. 486.“ A. N.]
λήιτον XCIII.
Ληναϊκαὶ et ἀστικαὶ νῖκαι XXXVI.
Lindiorum σίτησις ἐν ἱεροθυτείῳ CX.
Lycei gymnasium XXI. sq.
Lycomedes cum Lycurgo cognatus LXXVI. Lycomedes et Diomedes LXXV.
Lycophro Lycurgi filius natu maximus LXV.
Lycophro a Lycurgo accusatus CXXVI. sq.
Lycurgi gens sacerdotalis VII. LXXIII. Lyc. avus V. Lyc. uxor XLIV. sq. Lyc. filii LV. sqq. LXI. LXIII. sqq. Lyc. posteri LX. sq. LXVI. sqq. Lycurgus cum homonymo Lycurgo et Lycomede cognatus LXXVI. Lycurgus ad Philippum legatus XXXIV. ab Alexandro expostulatus XXXIII. sq. LXXXVI. sq. Lycurgus quibus magistris usus fuerit VII. sq. num philosophiae operam dederit VII. extemporalem eloquentiam fugit LI. sq. Lycurgi et Isocratis diversitas IX. Lycurgus ταμίας X. sqq. apparatui bellico praefectus XVIII. sqq. quaestor τῆς διοικήσεως XX. ἐπιστάτης theatri XXVII. φυλακὴν

1) „Huius fragmentis a Lozynskio collectis exime fr. 83. (coll. Meinek. Com. II. p. 382.), adde Schol. Oribas. in Mai Class. Auct. IV. p. 11. ubi de Dionysio Cyrto agitur: ὁ Φίλων ἐν τῷ δ' περὶ βιβλιοθήκης κτήσεως καὶ Ἑρμιππος (cod. Ἑρμηπος) ἐν τῷ ε' περὶ τῶν ἐνδόξων ἰατρῶν καὶ ὁ Σωρανὸς ἐν ταῖς τῶν ἰατρῶν διαδοχαῖς φασὶν ὅτι καὶ ὀξυτόνως εἴρηται κυρτός, ὡς φοξός, διὰ σωματικὴν ἀσθένειαν. βαρυτόνως δέ, ὡς ἵππος, πύργος, ἐπεὶ ἐκ μεσογείου πόλεως τῆς Αἰγύπτου λεγομένης Κύρτου ὑπῆρχεν. ἢ ὡς φασί τινες, διὰ τὸ ἀλίσκεσθαι τοὺς ἀντιλέγοντας (addo ὑπ') αὐτοῦ, ὥσπερ τοὺς ἰχθῦς ὑπὸ τῶν ἁλιευτικῶν κυρτῶν.“ A. Nauck.

ἄστεος gessit XXXI. sq. navalia et armamentarium perfecit XIII. sq. XXIII. sq. stadium Panathenaicum et theatrum perfecit XXIII. XXV. sq. XXVII. sq. νόμον, πομπεῖα, Νίκας confecit XXVIII. sqq. templum Apollinis et adiectum gymnasium adornavit XXI. palaestram aedificavit XXII. sq. naves auxit XIX. sq. reditus publicos auxit LXI. sq. Lycurgi leges XXXV. sqq. LXXXIV. rogatio de tragicorum statuis in theatro ponendis XXVIII. XXXVI. sq. in scribendis psephismatis Euclide usus est XLIX. Xenocratem liberasse narratur XLV. sqq. Neoptolemo honores decrevit LXXIX. quos accusarit XXXII. sq. LXXII. sqq. quot orationes habuerit CXVI. sqq. num contra Dexippum et Autoclem dixerit CXVII. CXVIII. n. saepius rationes reddidit LXII. sq. LXXXVII. sq. a populo coronatus est LXVIII. statua ornatus LXIX. in prytaneo victum accepit LXXI. publice sepultus est LIX. sq.

Lycurgus alius cum oratore Lycurgo cognatus LXXVI.

Lycurgus Ἴβις dictus LXXV.

Ἀνκοῦργος et Ἀναίας conf. CXVII. sq. CXXIV.

Lysiae oratio contra Autoclem CXIX. n.

M. *M.*

magistratus Attici quorum iustos titulos ignoramus XVIII.

Menelaus ad Persarum regem legatus missus CXLVII.

Menesaechmus LV. sq. ἀσεβείας iudicio accusatus CXXXI.

μετοίκιον i. q. πωλητήριον τοῦ μετοικίου XLV. n.

μήτε et μηδέ num sibi respondeant CXLIII.

Μικίων nomen [1]) CXX.

μισθωτεύειν verbum Lycurgo abiudicatur CXXXII.

Moerocles LV.

mulctae XLIII. LVIII. n. ab Attica concione remissae LVIII. sq.

N. *N.*

Neoptolemus Anticlis filius LXXIX.

νῖκαι Ληναϊκαὶ et ἀστικαί XXXVI.

Νῖκαι XXX.

nomina familiis saepe erant sua cuique ex una radice formata LXXV. sq.

νόμοι a Lycurgo lati XXXV. sqq. LXXXIV.

O.

o et *v* vocalium affinitas XCIII. cum Add. CLVIII.

ὅπως ἄν de consilio LXXXVIII.

οὕτως continuo CLIV. sq.

P. *Π. Ψ.*

palaestrae cum gymnasiis coniunctae XXII. sq.

παρά et πρό confunduntur CLII. [„Schol. Aristid. p. 665.: οἱ πρὸ ταύτης τῆς κοινῆς ἀπολογίας τέσσαρες λόγοι ὥσπερ παροιμία ταύτης δοκοῦσι καὶ τῆς τῶν ἀνδρῶν ἀνατροφῆς καὶ διαίτης καὶ πολιτείας ἔπαινοι καὶ διηγήσεις. Pro παροιμία aperte legendum προοίμια.“ A. Nauck.]

παραγιγνώσκειν et παραναγιγνώσκειν XXXVIII.

παρασιτεῖν verbi potestas CI.

πάτριος et πατρῷος CXLVII. sq.

Pericles ἐπιστατῶν XXVIII.

Philonis σκευοθήκη XXIV.

1) „Idem nomen oblitteratum suspicor in Schol. Nic. Ther. 577.: καὶ Νικάων δὲ ἐν ταῖς δυνάμεσιν ἀρίστην τὴν πυτίαν εἶναί φησι. Corrigo Μικίων et medicum intelligo eum qui alibi fluctuantibus passim libris Μίκων, Μίκτων, Μικτίων dicitur: cf. Schol. Nic. Ther. 617. Plinius H. N. XX, 96. Celsus V, 18, 14. 26. V, 28, 18. Contra in titulo C. I. 2363, b, 7. (quo de loco vide Keilii Anal. p. 152. sq.) restituendum erit Μικαλίων, vide titulos Rossii Demen v. Att. n. 79. 120.“ A. Nauck.

plebiscitorum appendices LXXXII.
πολιτείας vocis ambiguitas XLVII. n.
Polyeuctus Lysistrati filius LXXVIII.
πομπεῖα XXX.
praefectus apparatuum bellicorum XVIII. XIX. praefectus theoricae pecuniae XVIII.
πρό et παρά conf. v. παρά.
πρύτανις i. q. πρύτανις XCII. n. 5. [„Eadem forma ter legitur in titulo Delio ap. Ahrens. de Dial. Dor. p. 496, sive C. I. 2265, b. Vol. II. p. 1038." A. Nauck.]
πρυτανεία s. πρυτανῖτις Ἑστία XCIV.
prytanes XCII. sq. XCV. sqq.
prytanea XCIII. sqq. Athenarum prytaneum XCVII. prytaneum et tholus differunt C. cf. victus.
ψήφισμα : κατὰ ψήφισμα (omisso articulo) XLIX.
πύλαι de una porta LX.

Q.

quaestori num licuerit mulctas remittere XLVIII. n.

R.

reditus publici a Lycurgo aucti LXI. sq.

S. Σ.

sacerdotiorum auctores fabulosi LXXVI. sq.
σκευοθήκη Philonis XXIV.
scriba civitatis quotannis electus XXXVIII.
scriptorum diversorum loci apud grammaticos librariorum culpa saepe coaluerunt CXVIII. sqq.
sepultura publica quibus concessa fuerit LX.
σιτήσεων δημοσίων institutum non Atheniensium proprium CIX. sq.
σίτησις: cf. victus.
σοφισταί oratores XXXIII.
stadium Panathenaicum XXV. XXVI.
statuae publice positae LXXXVIII. sq. statuis publice ponendis locus assignatur a magistratibus XC.
στῆλαι v. columnae.
στρατηγὸς ἐπὶ τὰ ὅπλα LXVIII.
στρατηγὸς ἐπὶ τῆς διοικήσεως num extiterit XI.
Symmachus Socratis e Callistone filius LXVII.
synonyma coniuncta CXLIX. sq.

T. Θ. T.

ταμίας τῆς κοινῆς προσόδου num legitimum sit muneris nomen X. LXXXIV.
τελεία εἰκών LXXVII.
templum Δήμου καὶ Χαρίτων XC.
theoricae pecuniae praefectus XVIII.
Θηβαῖοι et Ἀθηναῖοι conf. CXXII. n. 1.
tholus XCIX. n. 4. 5. victus in tholo C.
τιμαί et ζῆλοι copulantur CXXXII. sq.
Timarchus et Cephisodotus artifices LXXVIII.
τριβων L.
triremes a Lycurgo auctae XX.

V.

victus in prytaneo XCI. sq. XCVIII. sq. CII. sqq. victus in tholo C.

X.

Xenocrates XLV — XLIX.
ἰσοτελής non fuit XLVI. bis certe legatus fuit XLVI. sq. not.

Y.

υ et ο vocalium affinitas XCIII. cum Add. CLVIII.

Z.

ζῆλοι et τιμαί coniunguntur CXXXII. sq.

HALIS, TYPIS ORPHANOTROPHEI.